Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Fecht

Noctes Christianæ, Seu Exercitationum Varii Argumenti Liber Singularis

Editio novissima, priori, adjectis Miscellaneis qvibusdam, auctior & locupletior, Rostochii: Lipsiæ: Leoburgi: Apud Joh. Frid. König: Excudebat Christ. Albert. Pfeiffer, Anno M. DCC. VI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061

Druck Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863220061/phys_0003
DFG

Clarissimo Domino
Petersen,
Ex liberrimi promissi
ratione. In tenerrimi
adfectus Fidem.

Anno
1748. d: 11 Jan:

O. H. Fecht.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863220061/phys_0004
DFG

~~VIII. 3283.~~

Theol. 431.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0006
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0009
DFG



Hic est Varniaci flos inclutus ille Roseti:
Quem fugiunt angues, & venerantur apes.
Nam sacrum vitæ dum late spargit odorem,
Et fugat ille malos, & trahit ille pios.

In honorem Theologi Rostochiensis
de universa Ecclesia optime meriti S.
D. Thomas Ittigius.

J. G. M. sc.

NOCTES CHRISTIANÆ, SEU EXERCITATIONUM VARII ARGUMENTI LIBER SINGULARIS.

AUCTORE

JOANNE FECHTIO,

S.S. THEOL. D. ET IN ACAD. HODIE ROSTOCH. P. P. CONSISTORII DUCALIS ADSESSORE, DISTRICTUS ROSTOCHIENSIS SUPERINTENDENTE ET FACULT. THEOL. SENIORE.

Editio novissima, priori, adjectis Miscellaneis quibusdam, auctior & locupletior.

Cum Privilegio Sacr. Cæsareæ Majest. nec non Potent. Regis Polon. & Elect. Saxon.

ROSTOCHII & LIPSIÆ.

Apud JOH. FRID. KÖNIG. Bibliopol. Academiæ.

LEOBURGI. Excudebat CHRIST. ALBERT. PFEIFFER.

ANNO M. DCC. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0011

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_0012
DFG

SERENISSIMO
PRINCIPI
DOMINO
FRIDERICO MAGNO,
MARCHIONI BADENSI ET HOCHBURGENSI, LANDGRAVIO SAUSENBERGENSI, COMITI SPONHEIMENSI ET EBERSTEINENSI, DYNASTÆ IN ROETELEN, BADENWEILER, LAHR ET MAHLBERG.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

SERENISSIME PRINCEPS,

NOCTES has CHRISTIANAS, â miscelli argumenti, genere, prævio sanctissimarum Literarum usu & veteri exem-

plo. non ullo vel arrogantiæ vel affectationis pruritu ita à me appellatas, AUGUSTISSIMO PARENTI TUO, cujus qvondam virtus, nunc memoria, cœlestis est, qvi me à juventute singulari gratiâ complexus, primum studia mea, in variis Germaniæ Academiis qvasi peregrinantia, liberalitate suâ sustentavit, deinde præmio literario ornatum Ecclesiæ ministerio & Gymnasii professioni, tandem octo abhinc annis animæ qvoqve suæ curæ admovit, tanqvam grati adversus immensa in me beneficia animi pignus, dedicaturus eram, SERENISSIME PRINCEPS, cum operis typographicis ad finem jam properantibus mortalitati ILLE, immani cum dolore nostro & publico Imperii luctu, exemptus, in feliciorem perfectioremqve, qvam cœlites agunt, vitam translatus est. Hujus TU, cum AUGUSTA DOMO

MO, tam MAGNI PARENTIS, Hujus nos, qvi in parendi sortem geniti sumus, tam CARI PRINCIPIS, Hujus, qvotqvot in Romano Imperio communis patriæ amore tanguntur, INVICTI HEROIS jacturam, pari pietate deplorant. Is enim NOMINIS hujus fuerat splendor, qvi qvidem maximè, ubi regnabat, enituit, admirationem tamen peperit, ubicunqve celebrabatur. Cujus bellicas præcipuè virtutes & trophæa, qvæ consentiente omnium rumore fama longè lateqve prædicat, qvibus æmulorum plerumqve invidiam fregit, semper certè amicorum vicit fidem, postqvam inprimis, qvasi suprema generositatis & fortunæ specimina editurus, arces loco insuperabiles & arte, & in bello indomitas, capi posse, qvamqvam cœlo veluti de compacto consiliis ipsius ancillante, hosti pa-

riter & CAESARI & orbi probavit, majora etiam pro causa, qvam jam olim Deus & INVICTISSIMUS, qvem sanctè semper colebat, IMPERATOR & tot PRINCIPES, postremò etiam successus approbavit, gesturus, si ut nunqvam fractus animus, ita vita & sanguis superfuissent, amici, inimici loqvuntur &, si aliqvod precium virtuti est, posteritas loqvetur. Corpus huic PRINCIPI magnum, majestateqve plenum, in qvo regni cujusdam instar erat. Hoc in corpore majorem nactus à Deo est hospitem, ingentem & priscis comparandum Heroibus Spiritum, qvi gentilitiâ qvadam magnanimitate ejus qvoqve limites excesit, sæpeqve intra stupendæ humilitatis comitatisqve angustiam delituit, ut se totum experiretur atqve exploraret. Qvantus verò is erat

pro

pro CAESARE, (qvem, qvam ingenuè, qvam pertinaciter amavit!) pro IMPERIO, pro Patriâ animus, qvi, qvum cum exqvisitissimis morbis & morte ipsâ colluctaretur, commoveri tamen non precibus ullis, nullo rogatu potuit, qvin relictis urbibus, ubi valetudinem subinde suam curare instituit potius, qvam curavit, in castra provolaret, malletqve tubas & cornua audire, qvam medicorum leges & pulvere militari AUGUSTOS oculos & tremendum hostibus vultum inficere, qvam corpus unguentis? *Erat hoc ei ingenitum*, qvam GUSTAVO ADOLPHO laudem eximius scriptor tribuit, *ut, qvo major erat in eo animus, eò minus leges corporis admitteret, neqve æstimaret hanc vitam, qvia aliam ex gloria & laude paratam sibi videbat, qvam æternam esse bene ei erat persuasum.* In qvo ipso tamen be'-

licarum artium fastigio nunqvam dedignatus est PRINCEPS noster ad honestissimarum literarum scientiarumqve, ad historiarum omnis temporis, ad antiqvitatis totius, ejus præprimis, qvæ in nomismatibus res gestas Veterum & Imperatorum Regumqve illius ævi prudentiam, utilissimâ & dignâ viro PRINCIPE curiositate indagat, oblectationem descendere, gravioresqve inter tot armorum strepitus, tot negotiorum molem, qvæ non omnem tantum ejus ætatem, vitamqve, sed mortem propemodum ipsam exercuit, curas interstinguere jucundæ contemplationis delectu. Qvotiens ille Musas, si paganâ voce Divinarum qvarumvis literarum majestatem qvasi dehonestare licet, ita familiariter in secretum admisit, vel potius in earundem sacrarium recessit, ut hoc studiorum temperamento jam minus Martem Gradivum

divum refugere, immò discerent amico favore complecti? Ubi verò à militaribus occupationibus ad pacis otium transiit, remotus à turbis ita negotiosis remissionibus pacatissimum animum tradidit, ut tamen potior esset cura religionis, ipsoqve instaurante, qvæ vel bellorum injuriâ ceciderant, vel invenustè steterant, novâ impensâ, novoqve ingenio, ut cum alia edacibus annis facile pereant meliore fato isthæc collati in Divinas res studii monumenta perseverarent, nova templa, nova altaria niterent. Qvasi non satis esset, ferocissimos debellasse hostes, nisi ferocior longè impietas & barbaries ex hominum animis proscriberetur, ac ignorantia Divinarum pariter & humanarum rerum. Huic enim, nec alii, fini hanc PRINCIPI excelso mentem cœlitus inspiratam existimare fas est, qvod SCHOLAM suæmet provinciæ pe-

culiarem, à Majoribus qvidem ſuis, veritatis & gloriæ cœleſtis ardore incenſis, inchoatam, à ſe verò immensâ liberalitate auctam. & qvaſi perfectam, conſervaverit, qvam ut cum vero de Deo rebusqve Divinis ſenſu pietas & probitas in ipſo qvaſi patriæ meditullio nutrita, uſum in Eccleſ. & Remp. uberrimum diffunderent. Non poterant HEROIS animum movere, qvi incultis horrentes ingeniis eruditionem omnem, ut vilem & gerendis rebus ineptam, qvâ nobilitas & Martii ſpiritus contaminentur, refugiendam, non plantandam, eſſe dictitant. Miſerrimos omnium & infelicisſimos, qvi extincto literarum lumine. (cujus certé cœcæ noctis triſtisqve fati, ſi ratio illa, qvæ non poteſt non cum clade & interitu omnium liberalium artium conjuncta eſſe, obtinet, magnus timor impendet) irato Numine lucis uſura fruentur?

tur? Mors est vita sine literis, non vita, & sepultura vivorum hominum. Istud eqvidem tam bonum, tam Christiano PRINCIPE, tam immortali laude dignum factum, non modo GYMNASIUM nostrum, promovendo Divino honori excitatum interqve ipsas Martias has tempestates raro magnificentiæ exemplo fotum, & qvicunqve Ejus qvondam jussu bonas literas in illustri SCHOLA docemus, aut docturi sumus posthac, gratâ mente agnoscunt, verum exteri qvoqve & hujus gloriæ æmuli magnopere commendant. Studiis in hoc ATHENAEO nostris, ut hinc etiam PRINCIPIS æstimes sapientiam, laudatissimo instituto hunc esse modum voluit, ut veritatem eqvidem ex principiis suis, non ullo humanæ auctoritatis vinculo adstrictis, profiteri liberè liceret, oculo tamen semper ad antiqvitatis sive leges sive sapientiam conversо.

Ser-

Servilis ista veritatis indagatio est, qvæ unius alteriusqve doctoris ita addicta est sententiis, ut casurum esse cœlum pertimescat, si non universam eruditionis suæ existimationem ab opinionibus ejus, in qvas juravit, suspenderit. Et hæc tam religiosa pietas, qvam alii superstitionem rectius aut brutam stoliditatem dixerint, nonnullorum Papalem, ut ita loqvamur, ambitionem, qvi fastigium non sapientiæ tantummodo, sed publicæ famæ attigisse sese persuasi sunt, ita suaviter titillat, ut jam non amplius eum, qvi ab adulatoribus istiusmodi abjectissimis ipsis defertur, deberi sibi summo jure honorem, dubitent. Evecti itaqve in Deorum numerum, Deorum indolem induunt, pro tribunali sedent, oracula edunt, in eos, qvi à Magistralibus placitis discedere audent, hoc ipso auctoritatem suam violatam & dimi-

minutam esse credentes, non minus qvam ob editam in capitale crimen subscriptionem, Vatiniana odia exercent, hos infami hæreticorum, aut, si clementiam juris rigori qvandoqve præferunt, Syncretistarum anathemate, tanqvam tonitru irati Jovis, percutiunt; cæteros, cujuscunqve sint furfuris, qvi veritati modum ab ipsorum pronunciatione obseqventissima servitute fixerint, minorum qvorundam Deorum catalogo inserunt, qvem æternitati consecrant, his in publico famæ theatro cippos erigunt, per hos stare qvondam, per hos cadere literariam remp. &, si Diis placet, etiam Ecclesiæ ipsius incolumitatem, de cathedrâ proclamant. Qvo fœdo pudendoqve seculi nostri more, qvem facilius reprehendas, qvam corrigas, qvid damni veritatis studium patiatur, boni cordatiqve non norunt tantum, sed & ingemiscunt.

Eam

Eam verò qamqvam in literario regno libertatem nobis indulserit OPTIMUS PRINCEPS, venerationi tamen nobis esse voluit benè merita de qvalibet solidæ eruditionis parte nomina, qvæ tum præsentia, tum præcipuè vetusta nobis suggerunt secula. Fas nobis est, qvod multi, qvi se solos non omnibus paginis allegari conspicati rumpuntur, qviqve intolerabili pariter φιλαυτία & eximiâ dementiâ, ut se unos venditent magistros, qvi eum in finem & scribunt & edunt libros, omnes cæteros contemnere jubent, flagitium interpretantur, virtutem & eruditionem etiam in hoste laudare. Non qvidem sola antiqvitate, aut nominis qvocunqve artificio comparatâ celebritate, existimatio doctorum constat; famam alii habent, alii merentur, in senatu literario ex omnibus subselliis sententiæ acci-

accipiendæ sunt, interdum etiam opinione vilior, nisi prorsus inter proletarios fuerit rejectus, opportunissima locutus est, nunc novis veteres, nunc recentes antiqvis antecellunt. *Qvia tamen prisci*, ut recte ille, *multorum seculorum examine probati sunt, hoc ipso magnam auctoritatem sibi qvæsiviſſe, eosq; ante alios habendos in precio, nemini ferè intelligentiori est ignotum. Proindeqve nec illis, qvi solos veteres, nec aliis, qvi novos doctores solos amplexantur, eosqve duces in omnibus seqvuntur, noſtro calculo acceſſerimus, sed, singulis suo æqvo pretio æstimatis, reverentiâ tantum majore qvadam longi temporis perpetuo eruditorum conſenſu approbatos, proſeqvendos arbitramur.* Nihil in omni eruditione reconditum, nihil pulchrum, nihil solidum qvod ignoraverint antiqvi. Nemo vel sapientiæ vel doctrinæ fa-

mâ hodie illustris, qvin antiqvitatem & amet & colat & versetur. Sic enim natura ipsa comparatum est, ut, qvo qvisqve est generosior, eò in vetustatis studia feratur avidius, optetqve scire, qvid canis illis seculis mortalium sapientissimi vel docere consveverint, vel sapere, vel dicere. Hanc à majoribus suis traxit mentem PRINCEPS. Nam illi, cum qvasi fundamenta jacerent celebris GYMNASII, in scientiis inferioribus, cæterorum ferè ingeniorum compendium, Aristotelem, in eâ verò, qvæ Christianismum informat, antiqvissimos omnium mortalium, Prophetas & Apostolos, & secundo ab illis loco Ecclesiæ veteris Patres, docentibus pariter discentibusqve duces, qvos ante cæteros omnes audirent, qvos legerent, qvos imitarentur, esse voluerunt. De ERNESTO & GEORGIO FRIDERI-

DERICO, Jacobus Lorhardus, magni Philosophi, Jacobi Schegkii auditor, & in Gymnasio nostro superiori seculo Dialectices Professor, libro, cui titulum fecit: De Adeptione veri necessarii seu Apodicticci, Tubingæ edito: *Nonne*, inqvit, *Gymnasium illud vestrum illustre & laudabiliter institutum, voce vultis Aristotelis audiri, ejusqve commentationibus personari? Qvicqvamne magis in votis habetis, qvam omnes vestros alumnos eos effici, qvi non tam titulo & nomine, (qvid enim, ut illud Poëtæ huc applicem, facit ad vacuos nomen inane lares?) qvam reipsâ tractandæ veritatis sint magistri?* Ex qvo tempore ad hodiernum usqve diem opera datur, ut personet in auditoriis, qvicqvid veteris sapientiæ magistri, Pythagoras, Sophocles, Euripides, Socrates, Plato, Xenophon, Aristoteles, Democritus, Euclides, Demosthenes, Epicu-

picurus, Terentius, Cicero, Virgilius, Seneca, Plinius, Tacitus, Plutarchus, aliiqve numero infiniti, inqve ſanctiori diſciplina Clemens, Juſtinus, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, Irenæus, Origenes, Gregorius, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Hilarius, Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Euſebius, Theodoretus, Cyrillus, Auguſtinus, cæteriqve, vel eruditionis vel pietatis ſuis qvondam tradiderunt. Qvid enim jucundius eſt, qvam hos, tam profundâ ſapientiâ, tam excellenti doctrinâ, tam religioſa pietate ſubactos, vel ſententiarum mentis vel animi morum evolvere & audire arbitros? Sed aliam expecto occaſionem, qvâ PRINCIPUM noſtrorum, ſummorumqve, qvibus ad tantum inſtitutum uſi fuerunt, virorum, prudentiam, qvâ certè ſolâ re immortalem omnium rectè ſentien-

tientium judicio gloriam consecuti sunt, concelebrem; in universa provinciarum suarum gubernatione vidimus PRINCIPEM nostrum summo studio pariqve sapientiâ illud semper potissimum esse molitum, ut magis indies magisqve feliciter proveheretur & succresceret, qvicqvid vel justitiæ vel serenitatis vel salutis superioribus annis bellorum calamitates, toto ferè terrarum orbe coortæ, subruerant. DOMUM verò SERENISSIMAM & eos, qvi vel á consiliis vel à servitiis ipsi fuerant, & subditos deniqve atqve patriam totam, tantâ comitate, tanto affectu prosequebatur, ut nec amantiorem maritum Regii sangvinis, sed propriâ virtute magis conspicua, uxor, nec patrem meliorem liberi, nec amicum jucundiorem necessitudines, nec svaviorem Dominum ministri subditiqve desiderarent. Qvæ, cum omnibus placere viro etiam probissimo vix con-

tingat rara certè laus est; sed superavit eam tamen invictissimum animi robur, & in iis qvæ sagaci multaqve experientiâ subacto ingenio ab eo eligi meruerunt, qvæqve virtutis qvasi suffragio probata erant, constantia. Fastigium vero rarissimis hujus PRINCIPIS virtutibus, ut prodigum in ipsum fuerat cœlum, imposuit, qva suummet in tot victoriis animum, qvod non potuit Alexander, exarmavit, adversus invidorum improbitatem, qvi, qvod præmium hodie est impensæ in res difficillimas operæ, partam invidendis facinoribus famam infami ore impunè lacerabant, patientia. Non ille ullâ maledicentiâ commotus ad injurias, qvas confinxerant, intumuit, nec intra se indignationem, qvâ nefarios sui nominis obtrectatores ulciscereturr, tenuit, nec, qvod poterat, alios ignominiâ, tanqvam mor-

mordaci longâqve morte oppresſit, aliis digna veris doloribus verba rependit, alios deniqve, qvod utique merebantur, malâ cruce multavit. Sola illi pro clipeo, pro tutela contra fœdarum avium voces candida ſanctaqve innocentia, qvam probatam DEO, qvam IMPERATORI, qvam fidis IMPERIO Principibus, qvam deniqve cunctis integrè procul affectu, procul odio judicantibus noverat; *innocentibus viris*, ut ille loqvitur; *pudendam incolumitatem eſſe ratus, ad alias profugere aras, qvam qvibus nec inſidere improbitas, nec innocentia poſſet arceri.* Huic Tu tanto PRINCIPI, SERENISSIME DOMINE, ex Divino nutu ſuccedis, TIBI itaqve, cui in hæreditatis partem laus PARENTIS, triumphiqve, & reliqvæ dotes eunt, qvâ viâ ille ad æternitatem graſſatus eſt, qvod illi deſtinaveram, meritò dedico. Magna eſt, fateor.

temeritas mea, sed intra Tuam, opinor, clementiam. Nam ut de favore in me Tuo, qvi neqve novus, neqve inusitatus est, qvippe qvem cum suscepto simul imperio & Paternarum virtutum hæreditate in me derivasti, nihil dicam, eâ nuper animi magnitudine, eâ de futurâ felicitate omnium singulorumqve civium Tuorum spe iis virtutibus provinciarum Tuarum gubernationem adiisti, qvas nemo nisi cum religione qvadam prosequatur, qvibus vota Deo immortali, qvi tanta in TE bona contulit, cui, qvantum TU debeas, qvantum nos illi debeamus, nemo nescit, nisi qvi non capit, singuli nuncupent. Pietatem TIBI, qvæ inter virtutes prima est non exacta tantum, sed austera etiam PARENTUM TUORUM, (cujus utriusqve ex utero genium habebas, unâ cum illo, qvi à

Numi-

Numine est, PRINCIPIBUS, DEI vicariis, incubantem) à prima ætate educatio, domestica in ERNESTIS, CAROLIS, GEORGIIS FRIDERICIS & FRIDERICIS, qvorum vestigiis non insistis modo, sed & virtute antistare velle videris, exempla clementiam temperantiam usus indidit. Neqve imperare aliis TE posse censuisti, nisi prius indicto voluptatibus bello, imperium in TE inchoares, qvoqve in terris nihil majus cogitari potest, non hosti ulli servires. Privatum tamen hoc bonum est, ad suæ unius mentis notitiam dominiumqve perveniisse. Publicæ utilitati severius animum TUUM præparasti, qvando variis & ad usum directis peregrinationibus diversos omnium genios & animorum impetus, neqve semel sub PATERNA disciplina, populi, qvem olim recturus eras, indolem, moresqve, curiosa diligentia, sive cognoscere,

pensi habuisti, sive distinguere. Regnandi artes alii, qvum ad clavum jam sedent, discere solent, TU, cum qvasi é litore non minus prosperos aliorum cursus, qvam infelicia naufragia perspexisses, colloqviis haud rarò non minus, de re omnium maxima, qvæ est cura alienæ salutis, qvam factis egregiis immersus, talia TUIS usibus mancipasti. Nunc istæ, qvas feliciter comprehendisti, artes, nunc spirans illa in oculis atqve ingenio TUO maximi PATRIS virtus, nunc justitiæ & æqvitatis admirabilis moderatio, non tam in expectationem nos erigunt, qvam spe, qvam jam olim concepimus, frui nos plenissimè jubent. Qvod in summo dolore efficacius nobis vel solatium vel oblectamentum esse potest, qvam cum TE, talem PARENTIS TUI hæredem, contuemur? Mentem in augusto & â naturâ ipsa

ipsa ad gratiam composito corpore, inqve oculis, in qvibus magna pars illius habitat, geris animosam atqve ad res maximas & pulcherrimas capacissimam, eamqve ipsam domi cilium incredibili amore, foris comitate & affabilitate, (qvâ illecebrâ, qvod aliis sua dictare solet ratio, á feritate ipsa & barbarie exprimis) utrobiqve propria prudentia munitam. Qvis dubitet, hac si animi sanctitate, fide, vitaqve glorioſum majorum tuorum imperium exornaturus sis, qvin PRINCIPEM TE nobis, qvod & gentibus jure creditum, cœlitus datum, Deiqve apud nos summi imaginem, non qvâ lege cœlestis Numinis imitatione qvadam cæteri mortales, sed qva maximarum rerum DEI ministrum, divinitus ad populum justitiâ & pietate continendum, fato missum, & patria olim nostra & orbis universus sint deprædicaturi? Raras in

PRIN-

PRINCIPE memoravi dotes, religione præcipuè & veræ virtutis ſtudio inſignes, qvas, qvamqvam animo magis qvam ſtylo celebrare fas ſit, à literarum tamen etiam & omnis ſeriæ doctrinæ cultu illuſtrari, tantum abeſt, ut recuſes, SERENISSIME PRINCEPS, ut cum majores TUI omnis virtutis cognitionem, omnium deniqve ſcientiarum ornamenta provinciis TUIS cumulatisſimè intulerint, eruditionem ipſe qvoqve & ſapientiam innato ſangvini TUO ardore tenerrimè ames, adſcitis in comitatum TUUM & ſecretius conſilium ſummis natalibus, doctrina, prudentiâ & agendarum rerum dexteritate, qveis TU ante omnes maximè excellis, viris, qvorum ope rectisqve inſtitutis ſubjectos TIBI populos non tam manu, qvam vel ipſa vita vel imperio in fide & officio contineas. Qvæ & fiduciam mihi addunt

dunt', faciuntqve ſpem, fore, ut non adſpicias ſiniſtro oculo NOCTES has CHRISTIANAS, haud ita dignas fortaſſe, qvæ in lucem prodeant, ſed dignas tamen, ſi patrocinio AUGUSTI NOMINIS TUI non videbuntur indignæ, à cujus luce obſcuræ per ſe lucubratiunculæ illuſtrari honeſtariqve qveant. Iſto ſimul conatu GYMNASII noſtri, & impoſterum TUI, cujus auditoria TUO pariter & SERENISSIMI FRATRIS, CAROLI GUSTAVI, Principis ut generoſo Heroicoqve animo vere magni, ita bellicis præcipuè artibus, rebusqve pro IMPERII libertate & patriæ noſtræ ſalute non minus cordatè qvam feliciter geſtis clari, lumine aliqvoties nituerunt, memoriam aliqvantulum & pios adſpectus commendo, ut ſocietas hæc literarum, majorum Tuorum auſpiciis conſtituta & à glorioſiſſimo PARENTE conſummata, TUIS etiam,

(de

(de qvo nec pietas nos TUA, nec animi magnitudo cui hæc ſtudiorum officina, ut Ægyptiis Regibus ſuæ Pyramides & Rhodo Coloſſus, nominis immortalitatem, honeſta nec unqvam evanidâ operâ, parat, dubitare patitur) ſubſidiis amplificata, magis magisqve ſerviat emittendis in meſſem Dominicam operariis, qvi huic, qvod nos nunc agimus, negotio ſtrenuè incumbant & CHRISTO, adverſus hoſtes ſuos pugnanti, ferant ſuppetias. Hinc eniteſcet pietatis TUÆ affectus, hinc PATERNÆ gloriæ æmulatio, hinc illuſtre poſteris qvondam TUIS Exemplum, ut qvemadmodum TU in vivi mortuiqve PARENTIS cultu nemini fuiſti ſecundus, ita illi cœptam ſummæ inter Chriſtianos gloriæ materiam, pari ſtudio, ſaltem in æternam ejus commendationem, ſint proſecuturi. Deniqve cum collocatus Divina providentia

dentia in PATRIS PATRIÆ noſtræ ſolium, confluentes ex toto orbe gratulationes admittas, fas & mihi erit, cui primas pro TE & potiores ad DEUM intercedendi partes, qvam primum ab obitu PARENTIS devolutum divinitus in TE regnandi onus ſentiebas, ipſe injunxiſti, inter acclamationes plebis, inter variorum officiorum ſtrepitus & pulveres, & omnium ſingulorumqve pro ſuſcepto preces, è ſtudiorum meorum muſeo, tanqvam ſpecu & cavernula qvadam, obſeqvia mea conteſtari, felicitates omnes & ſalutes & ſecuritates precari, & cum à tumultu forenſi lateam in abdito, qvod aliter non poſſum, ſtilo ſaltem & literario munere, publicis iſtis votis & ſupplicationibus ſymbolum meum apponere. Deus TECUM faciat, PRINCEPS, & de annis plurimorum, qvod veterum ſolenne votum erat, annos TIBI addat!

TE

TE cum PIENTISSIMA CONJUGE, sexus sui immortali ornamento, cæterisqve AUGUSTO sanguine junctis, æternum servet, sospitet, gubernet! TIBI digna virtutibus TUIS præmia & famam nunqvam intermorituram paret atqve perennet! Durlaci. m. Mart. ann. Chr. clɔ lɔc LXXVII.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus ac devotissimus Servus

JOH. FECHT, Th. L.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EXercitationes præsentes in forma breviorum disputationum à me conscriptæ, publicoqve pro more, cui nos severa lex adstringit, examini subjectæ, rogante Typographo, revisæ, nonnullæ aliqva, aliæ majore sui parte, auctæ in lucem, eduntur, Institutum nostrum, qvi singulorum argumentorum tractationem penitius inspexerit, facile, deprehendet. In iis, qvæ textus alicujus Biblici φιλολογίαν in se continent, viam prævimus juventuti nostræ, veritatis studiosæ, qvæ magnam partem, ad Ecclesiasticum ministerium nobis præparanda est, locorum sensum, ex lingvæ mysteriis, ex vocum proprietate, ex con-

)()(side-

sideratione circumstantiarum, aliisqve id genus præsidiis, eruendi atqve ad usuum in suggestu enodationem eundem aptandi. Qvæ controversiam qvandam Theologicam, nituntur dirimere, , specimen continent Logicæ analyseos, qvâ controversiæ statu accurate constituto, argumenta probantia apodicticis syllogismorum vinculis constringi, vindicariqve ab objectis vel dubiis vel difficultatibus posse & debere ostenditur. Modum his Exercitiis ratio demandati mihi officii fixit. Nam pviusqvam Theologiæ professionem, qvæ in me per præmaturum, viri, ut prorsus eruditi, ita de Ecclesiis nostris præclarissimè meriti, D. JOANN. FRIDERICI HEILBRONNERI, obitum devoluta est, susciperem, , Hebrææ lingvæ & primæ Philosophiæ notitia tradenda, auditoribus publicè fuerat, cujus ut usus adspirantibus ad disciplinam Theologicam studiosis, sub primum qvasi horum studiorum introitum, sese insinuaret, eas è cæteris, ex nutu monituqve viri supra encomium meum positi, JO. CHRISTIANI KECKII, cujus subacto in omni eruditionis genere judicio & su-

premæ

premæ curæ res Gymnasii nostri literaria, commissa est, & cui de meis qvoqve studiis, de qvibus universim omnibus optimè meritus est & qvotidie meretur, me plurimum debere libens publicèqve profiteor, materias se legi tractandas, qvarum decisio ex recta philosophicaqve terminorum acceptione penderet. Eas disputationes, qvarum Theses in solennibus Synodis coactorum qvotannis de more Ecclesiarum inferioris hujus marchionatus Ministrorum propositæ fuerunt, ideo adjeci, ut publicè constaret, qvam de Christiana religione doctrinam, qvas loqvendi formulas unanimi consensu illæ vel approbent, vel rejiciant, & à qvibus erroribus sese confessione sua candidè cordateqve separent. Argumentum de Forma Christi primum tractandum ipse susceptit Respondens, breviqve dissertatiuncula, in qva tamen conscribenda magnam diligentiæ laudem meruit, pleraqve, qvæ à me latius diffusa sunt, qvasi in summa complexus, occasionem mihi submINistravit, librum Theologi Gallicani, certè eruditissimi, vestigia viri qvasi κατὰ πόδα premendo, dictaqve refellendo, totum

considerandi. Neqve enim sive pulchrius sive jucundius sive deniqve utilius ingenii exercitium reperiri posse arbitrabar, qvam id, cujus se partes in omne eruditionis genus, linguarum, mysteriorum, antiqvitatis, sacræ, profanæ, philosophiæ, naturalis, moralis, & si qvæ alia ibi pasim, conspiciuntur, diffunderent. Ad ultimam deniqve Exercitationem scribendam seqventi sum occasione delatus Cum ex publico instituto Gymnasii Professores, qvorum qvilibet ad habendas qvotannis minimum duas, atqve alterutram fisci sumptu, disputationes publicas lege obligatur, terno qvolibet mense, perorare qvoqve de argumento qvopiam, qvod ad excitandam, qvæ festivitatibus conveniret, animi pietatem faceret, non exclusis ab hoc variæ eruditionis in publicum edendæ exercitio Classium Præceptoribus, juberentur, natali Servatoris nostri festo, ego arrepta de Naturali Religione materiâ, in eos fui invectus, qvi hodie, qvorum eqvidem, immanis est numerus, dum, natum nobis Christum, fidemqve in eum collocandam exteriori labro profitentur, intra semet integram innocuamqve pietatem

tem rident, qvi religionem & hausta è sacratissimo verbo mysteria, tanqvam inanes fabulas & terriculamenta, ad percellendos hominum animos excogitata, subsannant, qvi aut nihil credere, qvam ipsorum judicio obscura & incerta, malunt, aut fidem certè ex naturæ lumine informant & ex hujus scitis placitisqve, [vide absurdissimi dogmatis insolentiam atqve projectam impietatem!] revelatæ veritatis debilitatem emendant. Qvum paulo post ex eadem cathedra ordinis nostri RECTOR, vir solida eruditione & inusitata modestia clarissimus JO. GERHARD. ARNOLDUS, Paschali festo, qvo tempore, qvibusqve ritibus Paschales ferias olim veteres celebrarint, dissereret, ut Programmate publico ad hunc actum studiorum patronos invitarem, ordine monitus, scurram istum, gentili qvam Christiano nomine digniorem, qvi monstrum libri edidit, cui inscriptio est: PHILOSOPHIA SCRIPTURÆ INTERPRES, aggressus, carnis resurrectionem rationi qvod ille criminatatur, adversam non esse demonstrare cœpi.

Exinde consideranti, qvam ista Naturalistarum deliria, universum, prope hodie orbem, eos inprimis, qvi è vulgo secreti & sacris vel Principum vel Regum vel Imperatorum auribus admoti reconditæ sapientiæ famam affectant, occuparint, qvam brevi paganæ religionis exercitium, si in insano isto conatu perrexerimus, in ipso Christianismi meditullio habituri simus, postqvam non vi tantum & ferocia qvadam, qvi Christianæ religionis disciplinam, tanqvam jugum aliqvod, à cervice sua, excutere, laborant, sed jam doctrina etiam, publicis in Anglia & Belgio typis vulgata, in abominandum & Christiano per tot secula intaminato nomini pudendum ruimus præcipites gentilismum, incesit animus, qvicqvid mihi ex DEI voluntate, vitæ superit, his hominum, vel bestiarum potius Christianarum prodigiis oppugnandis insumendi, id est, religionis Christianæ veritatem, [qvod qvamqvam maximi viri & omni laude, majores ante me jamdudum fecerint, spicilegium tamen sine dubio

dubio aliis reliqverunt] adversus infestos ejusdem hostes probandi, vindicandiqve. Cujus rei primum specimen ultimâ Exercitatione, qvam aliæ, si DEO ita visum, fuerit, brevi seqventer, ut, qvid harum, rerum, indagatoribus relictum sit, in qvo vel ingenium vel diligentiam suam exerceant, aliqvantum patefceret, volui exhibere. Disputent alii adversus omne, genus hæreticos de fidei nostræ mysteriis atqve, articulis, qvibus hanc vel officii modus, vel metus seductionis necessitatem, imponit, qvos ego tanquam incorruptæ veritatis strenuos assertores æternum, laudabo & venerabor; mihi licebit cum aliis pugnare monstris, qvorum me proprior cura, tangit, qvæ aulis præcipuè sese & locis illustrioribus aliis freqventer insinuant, qvibus enitendis in lucem aut in solium collocandis, non, tantum, hujus seculi filii, sed qvi Theologorum etiam nomen ementiuntur, operam ponunt. O rem dictu, nedum, factu nefandam & ævo priori inauditam! Eos, qvi CHRISTO, mundi Salvatori,

qvondam in sacro baptismi lavacro nomina dederunt, ita naturam unam æstimare, ut ejus intuitu Deo & qvæcuncqve, à Deo in hominibus bonum & naturæ corruptæ subsidium ordinata fuere, salutis mediis repudium mittere, ut hanc unam, veluti Deam qvandam venerari & colere, qvam Christiani esse, Christianæqve fidei mysteria, qvæ naturæ scientiam supergrediuntur, malint exoscvlari. Qvid vetat, hoc hominum genus NATURALISTAS vocari, inculto qvidem vocabulo, sed à rei ipsius conditione neqvaqvam alieno? Si enim Christiani rectè dicuntur, qvi Christum fidei suæ vitæqve magistrum & impetrandæ qvondam perfectæ salutis auctorem, unicè suscipiunt, neqve qvidqvam, vel credere sustinent, vel facere, qvin ab ipso, summo veritatis Doctore, profectum revelatumqve fuetit: cur Naturalistas vocare, dubitamus eos, qvi spreto & rejecto Christo, proditaqve ejus per divinum verbum veritate, ita naturæ fixi inhærent, ut malint erroneis ejus jussis aures præbere, qvam verbo

do obseqvi pietatis? Ad Naturalistarum horum ordinem eqvidem & Athei accedunt, è cæteris omnium pessimi atqve deterrimi, qvia, qvamqvam communes de Deo conceptus, ut Philosophi loqvuntur, ex naturæ ὁρμῆ, ceu qvodam fonte emanantes, rejiciant, Deumqoe & qvicqvid uspiam divini est, flagitiosè negantes, nihil credant, nisi qvod oculis cernunt & sensu comprehendunt, naturæ tamen se in hoc ipso ductum seqvi, belluæ istæ, qvæ ipsa sese humanitate malitiosè spoliant, profitentur. Cum his nullum nobis negotium erit, qvibus bellum alii indixerunt; qvæ enim barbaries est, istam sceleris sui atrocitatem naturæ, in se certè optimæ, injustissimo ausu adscribere, qvæ tamen eorum conscientiam, qvi impressioni ejus sistendæ unicè laborant, occultis stimulis ita qvotidie compungit, ut Numinis intra se veritatem non tam intelligendo noscant, qvam sentiant percipiendo? Alios hæc ultima orbis sex qvotidie producit Naturalistas, qvi naturam in o-

mnibus ita seqvendam esse dictitant, ut nec, qvod devium ab illâ est, receptent, nec respuant, qvod illa dictat. Qvorum non est nulla prorsus, sed illâ tamen sui, eaqve primaria, parte manca mutilaqve religio, qvâ Dei Filium, humani generis redemptorem, unâ cum cæteris, rationi haud obviis, mysteriis repudiat, acceptis duntaxat iis, qvæ humana ratio suomet motu comprehendit, qvæqve pagana sapientia vel fabularum tegumentis festive obvolvit, vel ex causarum nexibus perite disputavit. Tales in Gallia Deistæ, qvos Moses Amyraldus; Tales in Anglia Herbertini, qvos Jo. Musæus; Tales in Belgio, qvi Anonymos istos Tenebriones seqvuntur, qvi tractatum Theologico-Politicum, de Libertate Philosophandi & Philosophiam Scripturæ interpretem ediderunt. Et qvid horum exemplo non parturiet pejor avis, futura ætas, si istis suorum vestigiis, à nemine amplius prohibiti, profani animi, ut omnia nos indicia metuendo omine con-

condocefaciunt, insistant? Qvod si oculum in præsentis seculi faciem in aulas, in curias, in urbes splendidiores ponas, si magnorum qvorumvis, qvi eminere inter cæteros gestiunt, ingenia, consilia, vivendi, agendiqve rationem, deniqve, cum publica impietas latere amplius detrectet, qvotidianos eorum sermones, discursusqve audias, qvid nisi apud plerosqve, qvi nondum omnem Numinis sensum exuerunt, hanc ipsam Naturalem religionem, tam suaviter rationi blandientem, advertis? Aut qvem utilius insumere laborem poteris, qvam qvi his Christianæ mentis carcinomatis eradicandis destinatur? Qvis non cum suspirio ingemiscat, oculum in Ecclesiæ statum conjiciens & paganæ religionis exitationem in ipsis Christianismi penetralibus contemplans? Qvis adeò vecors & amens est, ut, qvo hæc evasura sint, qvæ proclivi ad sentiendi qvidlibet agendiqve licentiam seculo publici præli opera instillantur, non animadvertat? Eò scil. ut avocati

à Scripturis, qvarum simplicitas ingeniis ad longè majora, scilicet natis factisqve, jamdiu sordet, ad judicium humanæ rationis, qvæ mysteriorum salutis ignara, est, deducti, spe salutis extra Christum, in qvodam naturæ rationisqve deliramento defixa, in atheismum & ex isto in damnatorum dæmonumqve in inferno consortium prolabamur? Eqvidem vim lachrymarum profundere necesse est, qvisqvis in hoc Ecclesiæ senescentis fatum animum altius intromiserit suum. Sed parco suspiriis & postqvam causas propositi mei recensui, qværelas in alterum Tomum sepono. Vale,

Nomina

Nomina Dnn. Respondentium,

qvi Exercitationes præsentes in solenni congressu defenderunt.

Matthæus Scherfius, Sulzbergâ-Brisgous, nunc Medicinæ Doctorand. respondit in Exerc. I. & II. d. 18. Sept. 1668.

Jo. Philipp. Schuster, Durlaco-Marchicus; nunc Pastor Eccles. Hagsfeldensis, in Exerc. III. & IV. d. 18. Mart. 1669.

Jo. Gerson. Buttler. Tegernavia-Marchicus, nunc Pastor Eccl. Witenaviensis, in Exerc. V. d. 16. Apr. 1669.

Adam. Wild. Durlacensis; nunc Ecclesiæ Patriæ ad SS. Trinit. Past. in Exercitat. VI. & VII. d. 28. Febr. 1670.

Jo.

Jo. Phil. Weininger. tunc Eccles. Pforzheimensis Diac. nunc Superintend. Specialis & Pastor; in Synodo respond. in Exerc. IIX, d. 3. Nov. 1669.

Valentinus Closius, Pastor tum Eggensteinensis, nunc Grœzingensis, in Synodo respond. in Exerc. IX. d. 21. Aug. 1671.

Jac. Frid. Mahler, Emmendingâ-Brisgous; nunc Pastor Ecclesiæ Dinglingensis, in Exerc. X. d. 26. Septembr. 1672.

Joannes Fridericus Bazendorffius, Durlacensis, Pastor qvondam Sexaviensis in Marchionatu Hochbergico, jam beatus, respondit in Exerc. XII. Mens. Augusto 1675.

In Noctes Christianas

Admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

VIRI

Dn. JO. FECHTII, S. Theol. Lic.

eruditissime elucubratas.

Horret ut imbre polus post tempora clara suborto,
Solis ut occasum nox solet atra sequi;
Barbara sic studiis in pace nitentibus obsunt
Prælia; castrorum sic premit umbra scholas.
Scilicet (hoc utinam possent agnoscere Reges
In proprium nomen per fera facta truces)
Fax ubi Bellonæ regionibus improba flammas
Spargit, & amorum fulgure lucet humus;
Vera perit virtus, extinctis Artibus & laus
Sanguine victores quam peperêre, perit:
Astra latent, ignara boni caligo per Orbem
Luminis obtentu supplet inerte vices.
Hoc Batavi sensêre malum, per Teutonis oram
Pulpitia tot bellis pressa queruntur idem.
Nos tamen auspicio divini PRINCIPIS armis
Hactenus illæsos fovit amica quies,
Extulit & claro se DURLACENSE Lycæum
Vertice, nec, radii quo premerentur, erat.

Jamq;

Jamq; per obscuras rudis eluctata tenebras
Desidiæ, laudum præcipitabit iter,
Dum patriam doctis illustrat NOCTIBUS auctor
FECHTIUS, & lumen, quod dedit, ipse capit.
Ipse liber minio frontem signatur, ut esset
NOCTIBUS his sacræ quæ nota lucis erat.
Quis dubitat, læto quin dixerit ore, sub auras
Elucubratum cum feret Orbis opus;
Nox alibi funesta premat jubar omne Scholarum,
Hic micat ex ipsis NOCTIBUS orta dies.

Ita labores æstimat, auctorem colit

JO. CHRISTIANUS KECK.
Consiliarius Durlaco-Marchicus.

EXER-

EXERCITATIO PRIMA PRÆLIMINARIS DE USU LINGUÆ SANCTÆ ET PRIMÆ PHILOSOPHIÆ.

I.

QUibus Philosophiæ & Lingvarum nullum esse in superioribus disciplinis, Theologiâ cumprimis, usum persvasum est, næ illi veterum qvorundam Ecclesiæ Doctorum auctoritate neqvicqvam sese tuentur. Appellet profectò Tertullianus Philosophos Hæreticorum patriarchas; turbent illi juxta Lactantium potius, qvam instruant vitam humanam: qvis nescit, Philosophis multa rectè adscribi, a qvibus longisimè abest mater pariter veritatis atqve ancilla, Philosophia? Ille idem entheatus Dei spiritu Theologus, qvi Colossenses, ne inani Philosophorum doctrina decipiantur, cavere jubet, ejusdem fidei consortibus, Romanis, rationis, hoc est Philosophiæ utilitatem com-

 mendat.

mendat. Non Philosophiam sacri Patres, sed qvæ sub specioso Philosophiæ nomine sophismata & mendacium in vitam Christianam inferunt, Philosophorum argutias damnatum eunt & rejectum. Fuerunt, qvi primis illis Ecclesiæ temporibus Christum ore adsumerent, & Platonem tamen animo non exuerent, qvi sacra illa profanis pravâ subtilitate temperarent. Inde errorum rivi & hæreses & jure merito Patres in hos tales incurrunt. At hanc subditam & Dominæ illi, ut sic dicam, ancillantem adeo non sternunt, ut attollant potius & laudent.

II. Rectè Melchior Canus, iis, qvi piscatoriam simplicitatem, in tantum, ut in exemplum, qvod hodie imitemur, nobis ob oculos statuatur, commendant, obvertit: nec latinè nobis aut grammaticè scribendum esse, aut eo modo, qvo hodie solemus, textus pro concione resolvendos & ordinatè perorandum, si à viâ qvam immediatè à Deo docti isti magistri tenuerunt, nobis recedendum prorsus non sit. Qvod illi Divinis ê cœlo auxiliis citra omnem humanam operam comprehenderunt, id nobis ediscendum est mediis, ab humana ratione nobis subministratis. E qvorum centè numero variarum disciplinarum, interqvè eas cæterarum principis, Metaphysicæ, cultura, excludi nullo modo potest, debetqve.

III. Clemens Alexandrinus seculo III. Episcopus; *Etsi* inqvit, *ipsa sibi sufficiat, nec opis aliena*

alienæ egeat doctrina Servatoris, cum sit sapientia & potentia ipsius Dei, tamen Græcanica Philosophia si accedat, non quidem validiorem facit veritatem, sed Sophisticos insultus ab eâ amolitur & insidias omnes avertens sepes ac lorica est Dominicæ vineæ. An autem existimabimus contemptim habitam à tantis Ecclesiæ adolescentis luminibus Philosophiam, cum *admirabundi adspiciamus*, [allego verba φιλοσοφωτάτα Ecclesiæ Doctoris, Augustini] *quanto auro & argento & veste suffarcinatus*, [tantis nempe Philosophiam elogiis ornat] *exierit de Ægypto Cyprianus, Doctor suavissimus & martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?* Posset iis artibus, qvibus deditus fuerat, plus æqvo propitius videri Hipponensis Præsul: igitur ille ab Episcopo tanto parentis loco cultus Presbyter, illud, inqvam, Hebraicarum literarum oraculum, Hieronymus, *nescit, qvid in Patribus primum admirari debeat, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum?* Extat apud Socratem & hujus compilatorem, Nicephorum Callistum memorabilis pro Philosophiæ usu digressio, in qvâ abstrusissimarum artium periti laudantur primorum seculorum Pastores, Pantænus, Clemens, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Gregorius, & qvis deniqve non? Ipse Theologorum princeps, Paulus, non ut Philosophus duntaxat, sed ut Philosophiæ introducitur encomiastes. Qvam prodesset diligenter legi ab iis, qvi criminari philosophicas in hodierno Theologo artes

& revocare secularis Theologiæ, ut per contemptum appellant, methodum ad antiqvissimam Patrum institutionem, qvæ tamen Philosophiam amicissimo sinu complectebatur, haud qvaquam verentur.

IV. Neqve verò mihi mirum videtur, Philosophiam ab iis æstimari & laudari, qvi precium rebus, ab eà, qvam intra se possident, bonitate imponunt, hoc autem malè me habet, à nonnullis hodie, qvi eruditionis vastæ & antiquissimæ patrum eruditioni longè præferendæ, si Diis placet, nomina ambiunt, Philosophiam & publicè contemni & tanti supercilii innoxios in Ecclesiâ Patres allegari patronos. Solus Alexandrinus Clemens, cujus jam supra meminimus, ducentos & qvinqvaginta sex Philosophos, eorumqve sine dubio multa numero, varia dogmate scripta non legit tantum, sed in Ecclesiæ usus ita convertit, ut utramque illi librorum, qvos στρωματεῖς appellavit, paginam faciant, neqve hodie qvisqvam sit Theologorum, qvi in isto studii genere paria cum hoc viro facere possit. Non ulla Philosophorum est hæresis, cujus ille placita non ad unguem tenuerit: & ille vel solus est, cui, qvicqvid hodie è veteribus Poëtis atqve Philosophis, qvorum jamdiu interciderunt opera, nobis supereſt, debeamus. Credo, hoc solo nomine hæreticum fore hodie qvibusdam, qvi imitatus tam pium Doctorem, vel profanæ Philosophiæ sese penitius dederit, vel

qvæ

quæ Philosophi illi vera dixerunt, ab iis, tanqvam injustis possessoribus, qvæ Augustini sententia est, *vindicaverit*. Malitiam ambigo an imperitiam dicam qvorundam, qvi abusum artium ab earundem usu discernere vel non volunt vel non possunt, similes illis, qvi ob adhærentes auro scorias integras damnant & abjiciunt massas. Inexpertus eqvidem qvotidianarum controversiarum sit oportet, qvi ignoret, qvanta monstra, qvanta opinionum de sanctissimis fidei mysteriis portenta pepererit Socinianorum, Arminianorum, Calvinianorum, Pontificiorum & qvorumvis aliorum Novatorum hodie Philosophia. At & petulanter malitiosus, qvi, qvâ felicitate, qvo successu ἐφθοποδῶσα, ut Apostoli verbo utar, Philosophia, vel gravissima mysteria elucidaverit, vel ab adversariorum insultibus tuta reddiderit atqve munita.

V. Ut verò necessitatem philosophicarum scientiarum, & decus eximium, qvod ex illis Theologiæ accrescit, prolixâ operâ haud demonstremus, ii faciunt, qvi in hac re dato studio occupati fuere, vel, aliis, uberius tradita, in compendium conjecerunt. Facit autem ad propositum nostrum præcipuè opera, clarissimi, dum viveret, Theologi, Joh. Wandalini, Disp. de Theol. in gen. §. XVII. s. Ubi tamen simul ita laudandum esse positum in profanorum auctorum scriptis studium, ultrò intelligitur, ne istud aut sacrarum Literarum

qvotidianæ meditationi præponatur, aut hæc præ illo contemptim habeatur, exemplo Angeli Politiani, Petri Bembi, Lazari Bonamici, Thomæ Linacri, aliorumqve, tempus nullum pejus collocari, qvam in S. Literarum lectione, profanâ impietate vociferantium. *Est enim modus in rebus, sunt certi denique fines, qvos ultra citraqve nequit consistere rectum.* Qvam in rem legi utiqve merentur, qvæ scripsit J. C. Dieterichius, apud Dillherr. Tom. I. d. VIII. qvæqve extant in Tomi Novi dedicatione.

VI. In specie, qvod Metaphysicam & Hebraicam Lingvam concernit, sicut in omnibus scientiis & artibus nihil est, de qvo non variis & sæpe adversâ inter sese fronte pugnantibus sententiis inter eruditos fuerit concertatum: ita de usu primævæ lingvæ & ejus Philosophiæ, qvam Metaphysicam vulgò vocamus. non una fuit semper & constans doctorum opinio.

VII. Nisi videretur honoris aliqvid accedere iis, qvi utriusqve studii usum vel ex omni eruditione, vel certè ex sacrâ, qvantum in ipsis fuit, exterminarunt, eorum hic promeremus nomina, qvi tenebris debentur potius oblivionis. Qvantum enim nefas est, qvod aut studio tuo non attigisti, aut cujus subtilitatem ingenii tui tarditate non assecutus es, adeò nauci habere, ut & aliis ejus fastidium conciliare publicis scriptis non erubescas?

VIII. Jam verò, qvod sacratissimam, qvæ pri-

primis terrarum incolis à manu creatoris implantata fuerat, lingvam concernit, diffusissimum ejus in SS. Theologiæ adyta usum nobis commendat Auctoris sanctitas; qvid enim utilè esse non potest, qvod ab auctore tam sancto proficiscitur? Suadet veri sensus S. Literarum, cujus indagatio sine præsidiis S. Lingvæ & idiotismorum ejus, frustra suscipitur, necessitas. Qvâ sine qvam facilis sit in capiendis Divini sermonis mysteriis ad qvoslibet errores lapsus, tristes proximorum Apostolis Patrum nævi abundè docebunt eum, qvi antiqvissimorum temporum haud superficiariam sibi acqvisiverit notitiam.

IX. Non possum mihi temperare, qvin adscribam memorabilem Megalandri Lutheri, ad acqvirendam hujus lingvæ notitiam, exhortationem, qvæ in enarratione Psalm. XLV. extat, licet paulò longiorem: *Sæpe*, ait, *monui, ut Ebræam lingvam disceretis, nec eam negligeretis. Etsi enim ejus lingvæ nullus alius esset usus, tamen prograriarum actione discenda erat, qvod pars qvædam religionis & cultus Dei est, eam lingvam docere vel discere, qvæ sola, qvicqvid usq; Divini est, docet. Auditur enim in eâ Deus loqvi, audiuntur sancti invocantes & maximas res gerentes, ut studium, qvod in hanc lingvam discendam collocatur, Missa qvædã seu cultus Dei meritò vocari posset. Qvare seriò vos hortor ne eam negligatis. Periculum enim est, ne DEUS hac ingratitudine offensus, privet nos non solũ cognitione hujus sanctæ lingvæ, sed & græca & latinæ & totius*

ligionis Qvam facile enim ei est excitare barbarum aliqvem populum, ut hæ lingvæ unâ intereant. Sed præterqvam qvod pars cultus Divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqvi futuri sunt Theologi, sicut necesse est, neqve enim omnes jura aut medicinam discemus) oportet eos esse munitos contra Papatum & aliud odiosum hominum vulgus, qvi cum unam Ebræam vocem sonare didicerunt, statim putant se esse Magistros hujus sacræ lingvæ. Ibi nisi nos eam tenuerimus, tanqvam asinis illudent & insultabunt. Sin autem nos qvoqve muniti fuerimus cognitione hujus lingvæ, poterimus eis impudens os obstruere. Sic enim Diabolo & ejus ministris resistendū est. Arbitror autem habituros nos religionis nostræ hostes, Hispanos, Gallos, Italos & Turcas etiam, ibi certè cognitione Ebrææ lingvæ, opus erit. Scio enim, qvantum mihi contra meos hostes profuerit. Quare hac qvantulacunq; cognitione infinitis millibus aureorum carere nolim. Et vos qvoq; dabitis operam, qvi aliqvando docebitis religionem, ut hanc linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, qvod editis libellis germanis adjutum, utcunq; Evangelia Dominicalia & catechismū docet. Sed opus etiam est ducibus qvibusdam doctrinæ & oportet habere pugnatores, qvi stant in acie contra aliarum nationum & lingvarum homines, qvi sint Doctores, Judices & Magistri in hac lingvâ. Qvæ verò de necessitate hujus lingvæ profitetur Lutherus, adeò vera sunt, ut nec Melchior Canus, licet Latina, qvæ Vulgata dicitur, Bibliorum interpretatio Romanæ Ecclesiæ Authentica sit, negare possit

sit, Lib. II. Loc. Theol. c. XV. Agnoscit enim ingenuè, non posse Theologum accuratâ hujus lingvæ notitiâ carere, sive ubi differendum cum Hebræis græcisqve, sive ubi emphases vocum sunt exprimendæ, sive ubi evolvenda vocum ambiguitas, sive ubi idiotismi & phrases cognoscendæ, sive ubi mendæ in Vulgatam illapsæ corrigendæ, sive ubi peregrinæ voces, qvæ à Latino versæ non sunt, utpote Anathema, Maranatha, atqve similes, interpretandæ. Qvâ inconfessione qvantum à sententia in Lutherana Ecclesia publicè recepta absit, ii viderint, qvi rivum malunt qvam fontem exosculari. Præclarè ergo D. Dav. Chytræus, Or. de Stud. Theol. rectè inchoando: *Qvod si*, inqvit, *multos ad peregrinam aliqvam & barbaricam linguam in Russiâ aut Norwegia discendam lubrica & fallacissima spes exigui lucri impellit: qvanto magis nos æterni & cœlestis thesauri in monumentis lingvarum, qvibus & Prophetæ & Apostoli utuntur, concluse & amplissimarum utilitatum consideratio ad amorem & studium ardens cognoscendi lingvas, divinæ erga nos voluntatis nuncias & interpretes, debet permovere?*

X. Metaphysicis verò terminis nec Theologus carere nec Philosophus potest, sive ad decidendas, qvæ de variis rebus oboriuntur, controversias, sive ad extrahendos è latibulis suis adversarios, sive ad dissolvendas, qvæ veritati opponuntur, objectiones. In qvibus omnibus licet in se sufficiens sit atqve illustris Theologia pariter & Philosophia, lucem tamen

men intellectui præfert Metaphysica, nebulasqve, qvæ è corruptâ naturâ rationi sese insinuant & scientiam vel naturalem vel revelatam impediunt, dispellit.

XI. His commoti rationibus qvamqvam pauci hodie scientiarum, de qvibus agimus, utilitatem palam impugnent; nisi qvod à superstitiosulis qvibusdam è semidoctâ plebe qvædam simplicitas lingvarum notitiæ & tricis, ita appellare amant, Metaphysicis opposita vulgò & intra parietes laudetur: Sunt tamen qvi pro diverso sive in lingvam Hebraicam sive primam Philosophiam studio hanc illi vel illam huic præferunt, majoremqve unius præ alterâ in Theologiâ cumprimis, utilitatem commendant. Qvod inde evenire manifestè cernimus, qvia ea, qvæ majori diligentiâ excoluimus, qvæqve majori successu comprehendimus, ut & nobis hinc aliqvid accedat gloriæ, majori censemus æstimatione digna, qvam qvæ vel non intelligimus vel negligentiori studio tractamus. *More hominum fit*, ait Erasmus lib. de Meth. Th. *ut tantum qvisqve probet, qvantum se assequi posse confidit.*

XII. Exemplo nobis est vir de cætero in philosophicis pariter scientiis atqve in antiqvitate sacrâ profanâqve versatissimus, qvi cum Hebrææ lingvæ mysteriis vulgariter tantum, qvod edita in publicum scripta arguunt, initiatus tinctusqve esset, sanctæ lingvæ necessitatem philosophiæ studio longè postposuit,

fuit. Neqve enim primævâ lingva opus esse disputat, nisi ut ad exemplaria Hebraica recurratur, *si qvam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas*, auctoritate usus Augustini, qvi & ipse hujus lingvæ ignarus, hanc ipsam ob causam non unis nævis doctissimorum qvamlibet operum suorum faciem fædavit, asseruitqve, in V. T. libris nihil reqvirendum ultra translationem LXX. interpretum, id qvod Hieronymus in Epistolis suis meritò refellit. Cæterum in graviores errores lapsum esse Origenem, orientalium lingvarum peritissimum, qvam Scholasticos Doctores, Philosophiæ deditos: fœdius erasse Flacium Illyricum, Hebraicarum literarum gnarum, qvam qvi philosophicis subtilitatibus animum imbuentes à veritatis orbitâ deflexerint. His isse argumentis lingvæ Hebrææ sanctitatem infra conditionem deturbat naturalium scientiarum. Sed verò Origenes ne an Doctores Scholastici majoribus pluribusqve sint erroribus obnoxii, haud certè in aprico est. Qvod si genuini Origenis libri, qvos præter eos, qvi contra Celsum scripti sunt & in qvibus vel nulla vel pauca errata comparent, maligni temporis injuria nobis eripuit, superessent, neqve tot neqve tantis erroribus inqvinatum esse incomparabilem veteris Ecclesiæ Doctorem, citra solicitum laborem intellecturi essemus. Scholastici verò Theologi, qvos *maximam turbam nugacissimorum scriptorum* appellat Augustanæ Confessionis Apo-

Apologia, qvantis ubiqve scateant opinionum de rebus fidei deliqviis, neqve ex aliorum relatione, neqve ex scriptorum interpolatione, qvæ Origenis libris à Ruffiniana manu accessit, sed ex mole propriorum librorum, qvi secundum eandem Apologiam *multò plus habent rixarum philosophicarum, qvam pietatis*, sine ullius dubitationis metu cognosci potest. In Flacio qvoqve Illyrico, utrum lingvarum notitia an Philosophiæ studium, in qvo ita excelluit, ut in publicum qvoqve ediderit eruditionis suæ specimina, palmam obtinuerit, nondum ad liqvidum deducta res est. Qvam verò Philosophiæ partem, qvæ sapientiæ arcana intacta reliqvit ignea & adamantina vis ingenii Origeniani? Qvis plura illo unqvam, in omni eruditionis genere, non dicam legit, sed scripsit? Qva ἀκριβεία cum græcis pariter atqve barbaris Philosophis disputavit, qvos, qvotiescunqve aggressus est, vicit atqve prostravit? Nemo nisi veteris historiæ ignarus laudem philosophicæ eruditionis, ejusqve summæ, Origeni dubiam reddere, aut illi, qvod lingvarum exactam notitiam, qva cæteri Patres præter Hieronymum ferè caruere omnes, ei conjunxerit, opprobrio vertere potest, nisi solidam eruditionem funditus evertere & vera ad sapientiam Theologicam adminicula, sine cujusqvam applausu, è medio tollere velit. Deniqve si comparare Philosophos cum Philologis, qviqve plus damni Ecclesiæ dederint, experi-

ri atqve

ri atqve pronunciare velimus, qvotusqvisqve ex hæresiarchis est, qvi Hebraicæ lingvæ mysteria intellexit? Qvis verò eorum unqvam fuit, qvin è seculari Philosophorum schola prodierit? juxta proverbium Tertulliani: Philosophi Hæreticorum patriarchæ. *Theodotiani, primi hæretici, Christi Divinitatem negantes, scripturas depravarunt, in eò se studiosè exercentes, num qvæ syllogismi figura ad hoc reperiatur, ut Divinitas Christi impugnetur. Et si qvis illis Divinæ Scripturæ verbum proponat: inqvirunt, an conjunctam an separatam syllogismi figuram constituere possit. Relictis autem sacris Scripturis geometriam exercent, tanqvam è terrâ existentes & de terrâ loqventes, eumq; qvi è superis venit, non cognoscentes. Euclides igitur apud quosdam eorum terram sedulò metitur, Aristoteles ac Theophrastus suspiciuntur, Galenus à nonnullis etiam adoratur*: apud Eusebium, lib. V. H. E. c. XXIIX. Aëtius *categoriis Aristotelis nimis fidem habens*; ap. Socratem. II. Hist. Eccl. XXXV. Arius, *Dialecticæ studiosissimus*, ap. Sozomenum, I. H. E. c. XV. Eunomius, *& artifex verborum contentiosus & gaudens syllogismis. Tales autem multos eadem sentientium cernere licet. Vitam enim probam, aut mores bonos vel misericordiam erga egenos non magis laudant, nisi eadem sentiant, quam si quis contentiosè disputet & Syllogizando vincere videatur* ap. eundem, VI. H. E. XXVI. *Apostolicam Christianismi fidem Dialectica & vana seductio turbavit*, ait Socrates, I. H. E. c. XIIX. *Hæretici plerumque magni & eruditissimi viri*, inqvit Vincentius Leri-

Lerinensis, Common. I. c. XXXV. qvod exemplo Photini, Nestorii, Apollinaris, aliorumqve declarat. Qvod si oculum in præsentia secula flectamus, præter Pontificios, qvi ita Philosophiæ Scholasticæ incumbunt, ut *Lutheranos ex ignaniâ & stupiditate subtilitates philosophicas ne capere qvidem posse*, declament, apud Melch. Canum, X. Lib. Th. c. IV. Sociniano-rum inprimis & Arminianorum, qvibus haud pernicioſum magis Eccleſiæ hominum genus ſol aſpexit, magiſtros contemnere linguas, philoſophiam unicè amare, colere, jactare, deprehendemus. Neqve certè philoſophicæ ſcientiæ gloriam, qvantumlibet à veritate deviis, Lælio & Fauſto Socinis, Valentino Smalcio, Johanni Crellio, Jonæ Schlichtingio, Jacobo Arminio, Johanni Epiſcopio, Gerhardo Johanni Voſſio & infinitis aliis, qvorum etiam eruditionem orbis ſtupet & admiratur, invidere aut ſuffurari ſalvâ veritate licet. Adeò nempe periculoſum eſt, collatis inter ſe linguarum & Philoſophiæ abuſibus, qvaſi citra controverſiam pronunciare: faciliorem eſſe ab illis qvam ab hac in errores lapſum.

XIII. Qvid? qvod in laudando qvoqve alterutro nonnulli modum excedant. Qvibus rudes cenſentur & obſcuri, qvotqvot in his artibus ad qvandam ἀκμὴν non pervenerunt. Illis occinendum eſt: non omnia poſſumus omnes. Sæpe ubi defecit in uno natura, in alio eruditionis genere majori & in-

æſti-

æstimabili fœnore compensavit. Et ea insuper qvorundam ingeniorum est ratio, ut naturali fecilitate externum scientiarum studium vincant & sint, verbi causâ, Metaphysica, ubi Metaphysica sese esse inficiantur aut ignorant; qvod magni viri exemplo docere possem, si prolixior esse luberet.

XIV. Qvi mediâ videntur viâ incedere, in actu, ut domesticis utamur terminis, exercito à vero sæpe usu ita aberrare deprehenduntur, ut deplorandum sit, rem tam pretiosam in tam viles nefandosqve degenerare errores. Qvid enim monstrorum nobis non exhibuit Hebraicæ & Rabbinicæ literaturæ sive jactantia inanis sive æstimatio importuna? Qvos non peperit errores, ut Philosophiæ in universum, ita sublimis illius, qvæ Prima dicitur abusus? Qvæ causa est, cur non comprehendere duntaxat linguas & artes debeamus, sed in comprehensis qvoqve rectè & justè versari.

XV. Habet se autem Linguæ Hebraicæ usus ut instrumentum, cum operi perficiundo applicatur, qvare suâ natura ad id ordinatur, ut rei principaliori, ceu ministra serviat, & ejus ope princeps causa effectum suum attingat. Ea est indoles omnium aliarum linguarum & eorum habituum, qvi ideò instrumentales dicuntur, qvamqvam in speciali efficiendi ratione, ut ex artis Logicæ cum Grammaticâ collatione patescit, non exiguæ intercedat differentia.

XVI.

XVI. Methaphysices verò qvalis sit in aliis scientiis usus, inter Doctores haud usqveqvaqve convenire, omnino fatendum est. Dedit eqvidem qvaliscunqve iste sive in verbis, qvibus mentem qvisqve suam exposuerunt, sive in reipsâ dissensus, ansam Ecclesiæ nostræ adversariis, iniqvè certè ac veteratoriè cavillandi, ac si omnem prorsus rationis usum ex Theologicis disputationibus exterminarent. Qvem ad Metaphysicas subtilitates stuporem nostris objectet Melch. Canus, paulò ante innuimus, qvi & lib. IX. Loc. Theol. c. III. Lutherum. Agrippam, eorumqve sectarios, ut supinos Philosophiæ totius contemptores, mordaciſſimo scribendi genere introducit. Qvod in hoc viro eo magis intolerandum videtur, qvia & ipse; spreta Theologiâ scholasticâ, qvam ubiqve insectatur, optimis literis præter morem seculi sui aut religionis, qvam profitebatur, animum imbuerat, & qvo succesſu qvâ gloriâ Germaniæ Præceptor & Lutheri Collega, Phil. Melanchthon humanitatis studia, ex profundis barbaræ eruditionis tenebris eruta, luci & nitori pristino restituerit, haud ignorarat. Qvi verò Philosophiæ, qvod fecit Lutherus, vel abusum vel attentatum in mysteria fidei dominium carpit, non ideò Philosophiam illicò ipsam à Theologiæ studio proscribit & ex Ecclesiæ pomœriis arcet. Neqve enim qvicqvam aliud Megalander, scholasticam sui seculi Philosophiam perstringens, qvam Canus ipse fecit,

cit, qvi in scholæ suæ, Scripturam & veteris Ecclesiæ concilia vel temerè negligentis, vel superciliosè contemnentis, perditum morem ubiqve acerbè invectus, de temporum suorum infelicitate conqveritur, testatus: *In Italiâ se vidisse multos, qvi Scripturâ S. neglectâ ad philosophorum doctrinas, tanqvam ad Sirenum scopulos adhæserint, postq; Galeros etiam & infulas, non Prophetas, non Apostolos, non Evangelistas, sed Cicerones, Platones, Aristoteles personarint.* IX. L. Th. c. IX. & lib. IX. c. I. asseverat: *argumentandi illa ars*, qvâ scilicet Scholastici Philosophi superbiunt, qvæqve pueris potius convenit qvam viris, *videri qvidem vult, se esse Dialecticam, sed abest ab eâ, distatqve plurimum. Dialectica enim est locata in peritiâ usuqve partiendi, sciendi, argumentandi, id qvod Theologo maximè est necessarium. Sophistica autem nihil habet aliud nisi argutationes vanas, qvarum nullus in Theologiâ fructus est.* Hoc ipsum cum, aliis licet verbis, dixerit Lutherus, cur vapulare ille, laudari verò Canus debebit? Qvis verò Pontificiorum germanam philosophiam pleniori ore unqvam laudavit, qvam Lutheranus Jacobus Schegkius, qvi in Ded. libr. contra Anti-Trinit. *Verè*, inqvit, *hoc mihi dicturus videor, nisi accuratius homines incipiant philosophari, futurum, ut nullus sectarum, nullus hæresium sit finis futurus, qvando hac ignoratione accidat, ut neqve accipere legitimè neq; reddere rationes disputatores imperiti valeant. De gubernatione rerump. dicebat Plato, tum demum beatas fore resp. si vel Philosophi gubernarent,*

narent, vel qvi gubernant, philosophari entur. Ita certè rectissimè de decisione controversiarum dici potest, tum demum rectè illas institutum iri, si qvi huic rei dant operam, philosophari entur sobriè, vel sobriè philosophantes eas dem tractationes susciperent. Qvam sententiam contra φιλοσοφομίσους alii Lutherani miris encomiis in cœlum extollunt; nominatim viri supra omnem gloriæ aleam positi D.B. Meisnerus, Part. I. Phil. Sobr. Qvæst. Gen. D. A. Grauerus, de Un. Ver. in Præf. & D.C. Scheiblerus, Op. Metaph. Pr. c. II. §. V.

XVII. Romanis Ecclesiæ nostræ calumniatoribus patrocinantur nonnulli è numero fratrum nostrorum, qvi Reformati dicuntur, qvi ex novercali scilicet amore ejusdem flagitii, ejectæ ex Theologiâ rationis, nos pariter reos agunt, fundamentum Lutheranos hoc ipso jecisse causati novæ artis, seu Augustinianæ methodi, qvâ, qvicunqve Catholicam Ecclesiam aggressuri sint, citra ullum consequentiarum, tanqvam è ratione manantium, auxilium è puris putis Scripturarum verbis, actionem adversus eandem instituere, falsitatisqve veterem & imperturbatam hactenus religionem convincere teneantur. Gravis accusatio est, qvæ non aliunde originem habuit, qvam qvod Lutherani rationi Reformatorum luxurianti, fidei compedes injecturi, qvod hortulani solent, tenellam plantam in alteram nimium flectentes partem, paulò severius castigare Philosophiæ intemperantiam visi sunt.

Qvan-

Qvantâ enim constantiâ, qvanto animi æstu musteum istud Jesuitarum artificium, collapsis rebus erigendis aut qvalitercunqve suffulciendis inventum, à Lutheranæ Ecclesiæ Doctoribus in ipsis qvasi natalibus ac incunabulis suppressum, qvanto robore, qvo successu subinde impugnatum fuit? Qvam verò obtorto collo ad dicendum injustæ delationi testimonium, magna Ecclesiæ nostræ nomina, Mart. Chemnitius, Luc. Osiander, Balt. Meisnerus, Jo. Gerhardus, aliiqve à Nicolao Vedelio rapiantur, uberrimè demonstravit doctissimus Theologus, Jo. Musæus, lib. I. de Usu Princ. Rat. c. I. & seqq.

XIIX. Qvalem verò qvantamqve Reformati potestatem rationi in res fidei attribuant, passim ostensum est à Nostris. Vedelius certe, etsi ab omni suspicione suos liberaturus Rationale Theologicum conscripserit, ea tamen rationi ubiqve in res revelatas principia concedit, qvæ si admiseris, nulla causa est, qvin universa fides Christianorum & religio pessumeat & proculcetur. Positâ enim, qvam ille inculcat, regulâ: *Principia rebus corporeis vel incorporeis propria rectè applicari rebus corporeis & incorporeis*; ut obtineat, Christi corpus sub pane in Sacramento non contineri: [omne enim corpus naturale sub sensum cadit. Christi verò corpus sub sensum non cadit; ergo non erit naturale corpus, qvod absurdum] qvid non ex eodem principio concludet Nestorius? Omnis essentia singularis

& intelligens est persona. At humana in Christo natura est essentia singularis & intelligens. Ergo. Qvid non Socinus? Qvot sunt personæ, tot sunt essentiæ. Atqvi in Divinitate non sunt tres essentiæ. Ergo nec tres personæ. Major enim propositio utrobiqve continet principium rebus corporeis & incorporeis proprium. Jam verò Barth. Kekermannus philosophiam in nobis accendere amorem, cultum, invocationem Dei; pietatem erga Deum non posse constare sine contemplatione naturæ; per Logicam & Metaphysicam lucem Spiritus S. accendi docet, Sacrosanctæ verò Trinitatis mysterium ex ratione ita probat, ut vim ei irrefragabilem adscribat, tantum abest, ut ordinis & pædiæ causâ duntaxat hoc disputandi genus præmittat, qvo pacto à nonnullis suorum perperam certè, & præter mentem propriam, excusatur. Huldr. Zwinglius qvoqve Gentiles, solo lumine naturæ usos, salvatos esse, statuit. Ne qvidqvam nunc dicam de iis è Reformatorum cœtu, qvi rationi vel normæ vel principii Theologici dignitatem totidem verbis adscribere haud verentur; qva de re Doctores nostri præcipuè is, qvem jam laudavimus, cujusqve hic opera nunqvam satis veritatis studiosis laudari commendariqve potest, D. Jo. Musæus, passim monuerunt.

XIX. Dum verò hanc dominandi in Divinis licentiam petulanti rationi subtrahimus, non tamen ideò veritatem cum veritate, natu-

naturalem cum revelata, philosophicam cum Theologica collidere, qvodqve in una disciplina, utpote inferiori verum est, falsum in alia, nempe superiori, proclamare, dicendi sumus. Aut nimium simplices illi sunt, aut abstractum cum concreto data opera confundunt, qvi, qvod revelatum est, virginem parere, ferrum sursum sponte ferri, hominem Deum esse, & qvæ sunt talia, qvæ ratio aliunde non adjuta ignorat, Theologiam contradicere Philosophiæ, [cum tyrones etiam Dialecticæ norint, omnem contradictionem debere dici τοσαύτως, secundum idem, ad idem, eodem respectu, tempore & loco] aut, qvod in Theologia verum est, in Philosophia falsum esse, persuaderi sibi patiuntur, cum unica atqve simplicissima sit veritas, sive ea sese in revelatione sive in natura exerat. Neqve enim Deus, qvi utriusqve auctor est, qvi tam lumen veri semenqve boni, inæstimabile certè gratiæ suæ donum, naturæ nostræ indidit, qvam mysteria in verbo suo revelavit, sibi ipsi contrarius esse, qvodqve uno loco asserit, inficiari altero potest. Somniavit eqvidem in Ecclesia qvondam nostra talia opinionum portenta D. Dan. Hoffmannus, Helmstadiensis, atqve Socinianis ansam præbuit, universæ Ecclesiæ Lutheranæ hunc errorem objectandi; sed rectius informatus repudium ei misit, sententiamqve revocavit, qvâ de re publica scripta extant, Philosophi nostro seculo summi Cornelii Martini,

aliorumq́, inprimis Theologi φιλοσοφικωτάτου D. Alb. Graweri libellus eximius de Unica veritate. Qvamqvam autem *contra rationem nemo sobrius, contra scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit*, ut ait Augustin, lib. IV. de Trin. c. VI. & rectè scribat immortalis gloriæ Philosophus, Jac. Schegkius, lib. I. Dem. *nemo est, qvi magis criminetur philosophiam, qvam qvi sibi metuit à veritate argumentorum, qvibus se opponere non potest*; atqve Comm. in lib. I. Top. c. I. *qvibusdam Logodædalis persvasissimũ est, Philosophiæ ἀκροβασιαν contaminare Theologiam, cum nullâ re magis tamen depravetur ejus veritas, qvam insciti â veræ & solidæ Philosophiæ*; non tamen ideò Philosophiæ officium attribuendum est interpretandi Theologiæ mysteria, verbo Divino revelata; qvod fecit is, qvi nuper edidit monstrosum librum: *Philosophiam S. Scripturæ interpretem.* Qvamqvam enim Philosophiæ nunqvam falsum sit, qvod Deus verax dixit, id est, verbo suo manifestavit, fit tamen sæpissimè, ut Deus in verbo verum aliqvid esse revelet, qvod vel philosophia verum esse, antequam reveletur, ignorat, vel qvod possibile esse suapte qvidem sponte apprehendit, ex gr. qvandam singularem naturam non per se subsistere, aliqvam essentiam numericè unam tribus personari hypostasibus, & si qvæ sunt ejusmodi: [qvæ, qvamqvam, qvi mera ratione usi sunt, gentiles, aliqvando in dubium revocaverint, *non tamen id Philosophiæ, sed perverso philo-*

sophandi

sophandi studio imputandum est; ut rectè monet D. P. Musæus, Met. c. XXXV. §. XLVIII.] actu tamen ipso hæc ita sese habere, principio cognoscendi intra se destituta, compertum non habet. Cujus rei ratio est, qvia Philosophia disciplinæ generalis, ab omni speciali determinatione abstrahentis, naturam, Theologia verò scientiæ particularis indolem æmulatur. Qvemadmodum ergò Politica, qvæ de Legibus & jure in genere agit, jurisqve universalissimi, qvod naturæ & gentium dicitur, omnibusqve rebus publicis commune est, rationem scrutatur, qvibuslibet legibus atqve juribus particularibus, utpote juri civili Romanorum, Constitutionibus Marchionum Badensium, Ducum Würtenbergensium, aliisqve neqvaqvam contradicit, neqve, qvod in Politica verum est, in jure civili aut Constitutionibus Badensibus falsum esse deprehenditur, ut tamen Politica ideò non interpretetur particulare jus Romano-Germanicum vel Badense, qvippe cujus constitutiones, ceu disciplina generalior, ignorat, neqve, cum de Specialibus juris Badensis legibus controversia est, ad politicam, tanqvam exorti disfidii normam, sed ad regulas interpretandi specialiores, ipsorumqve, qvi constitutiones illas edidere, Principum voluntatem & pronunciatum recurritur: ita nec Philosophia Theologiam hostiliter oppugnat, nec Theologia Philosophiæ inimica est, ut tamen hæc illam non interpretetur, aut ad Philo-

losophorum tribunalia properandum sit, ubi certamina inter Theologos exoriuntur. Rectè ergo Grauerus, in Præf. *Nihil certè credendum, quod adversatur rectæ rationi. Cujus propositionis non hic est sensus, quasi nihil sit credendum, quod superat rectam rationem, aut quod recta ratio non assequitur, aut non intelligit. Nullo enim pacto negari potest, multa esse credenda, quæ planè superant captum ingenii humani, quæ sunt ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, quæque suis viribus ratio non assequitur, qualia sunt mysteria fidei de Trinitate, incarnatione verbi Divini, unione personali, resurrectione mortuorum. Sed hic est sensus: nihil esse credendū, quod ita adversatur rectæ rationi, ut evidentem & manifestam implicet contradictionem. Duo enim contradicentia simul vera esse non possunt, neque simul falsa; differunt autem longo intervallo, rectam rationem aliquid non assequi vel non comprehendere, &, rectæ rationi evidenter adversari. Nec verum, quod omnia, quæ ratio humana assequi non potest, sint contradicentia, ut quidam satis ineptè de contradicentibus loquuntur. Hoc quidem verum est, quod recta ratio non possit comprehendere, nec intelligere, duo contradicentia simul vera esse, non tamen vice versâ: quæcunq; humana ratio non potest capere vel intelligere, mox sunt contradicentia. Omnis homo quidem animal est, sed non vice versâ: omne animal homo est. Si quis ulterius progrediatur, & ex Philosophicis principiis articulos fidei ex sacrâ Scripturâ firmiter probatos oppugnet, vel Philosophiam Theologiæ Dominam & MENSURAM constituat, cum illo ego non facio. Ejusmodi etiam homo philosophiâ non tam*

utitur,

tur, qvam abutitur. Philosophia perpetuò Theologiæ ancillam manere debet. Qvo sensu qvoqve Cl. Scheurlæus, Prof. Julius mirum sibi videri ait, *qvod plerig; existiment, Calvinianos ideò errare, qvod omnia ratione metiantur, cum tamen persuasum ipsi sit, neminem ratione minus uti, qvam Calvinianos*, ap. Celeberr. Dilherr. Disp. Acad. Tom. Nov. d. XIV. Et Melch. Canus, lib. IX. L. Th. c. IIX. *Non nascuntur, mihi crede, è studio Philosophiæ vitia, sed ex errore & ignorantiâ nascuntur.* Egit de totô hoc argumento luculentissimè, D. Conr. Hornejus, in Phil. Mor. lib. II. c. II. §. 1. seqq. & D. C. Scheiblerus in Oper. Metaph. Procem. c. I. seqq.

XX. In exponendo verò modo, qvo usum suum Philosophia prima aliis disciplinis impertit, nonnulli in eo acqviescunt, ut dicant: organicum, servilem, ancillarem, instrumentalem esse. Theologiam Dominam esse, esse principem, esse reginam. Eidem famulari, ut Philosophiam universam, ita cumprimis ob universalitatem objecti, primam. Hinc titulus: *Philosophia Theologiæ ancilla.* Nonnulli Theologiam cum Sarâ, Philosophiam cum Hagare, Origenes illam cum uxore, hanc cum concubina, comparant. Alii Theologiam cum arte, v. g. fabrili, Philosophiam cum instrumento, qvo artifex ad efficienda artis opera utitur. Qvidam Philosophiam non nisi ad formam Syllogismorum Theologicorum qvidpiam conferre, nempe ut instrumentum inferendi conclusionem, materiam solam Theolo-

giam subministrare, qvos inter & Nic. Vedelius est, opinantur. Qva de loqvendi ratione, ut, qvid sentiendum sit, appareat, seqventia operæ pretium est observari.

XXI. Atqve ut à Vedelii opinione initium capiamus, fœdus certè in eo Philosopho, qvi Lutheranorum errores toto libro carpit, error est, qvod propositiones materiales conclusionem antecedentes, instrumentum duntaxat formale facit efficiendæ conclusionis. Nam qvæ ad formam, qvæ verò ad materiam Syllogismorum spectent, tyronibus etiam Logices notum est. Propositiones, major æqvè ac minor, materia Syllogismi sunt, non instrumentum formale conclusionis, qvod in connexione potius propositionum, in earundem per figuras certas, modosqve dispositione, inqve earum, vel qvoad affirmationem & negationem, vel qvoad universalitatem & particularitatem, qvalitate & affectione, consistit. Cum dico: Omnis homo est animal: Petrus est homo: Ergo est animal; Et iterum: O animal sentit. O homo est animal. Ergo omnis homo sentit; propositio: omnis homo est animal; in utroqve Syllogismo, non obstante, qvod in priori majorem, in posteriori minorem propositionem constituat, materialiter non formaliter ad inferendam conclusionem concurrit. Qvid igitur causæ est, qvod propositio rationis in Theologico Syllogismo, sive major sit, utpote, qvando dico: Omnis testis est persona.

Spiri-

Spiritus S. est testis, Ergo est persona: sive minor, ut in hoc: Qvicunq; in filium non credit, damnatur. Atqve athei, qvi Deum pernegant, in Filium non credunt. Ergo athei damnantur; non materia est, sed instrumentum formale conclusionis? Sed nolumus in re manifesta, ubi Vedelius vel veræ Philosophiæ fundamenta ignorat, vel ab iisdem studio, licet infelici recedit, à Philosophorum unanimi choro desertus, amplius occupari.

XXII. Metaphysica, cum sit disciplina realis, neqvaqvam aliis servire apta nata est, sed sese contenta, usum sui duntaxat accidentarium ad alias disciplinas diffundit. Philosophus hoc ita enunciat: usum seu finem, ut disciplinarum Theoreticarum in universum, ita Metaphysices esse vel internum & essentialem, qvi dicitur finis operis, & est earum rerum, de qvibus Metaphysica tractat, contemplatio, qvæ utilis est, in qvantum intellectum perficit, qvi scire desiderat; & externum sive accidentalem, qvi dicitur finis operantis, & alias disciplinas, nonnisi pro arbitrio utentis, respicit. Qvanquam autem de priori usu, ut in propatulo est, hic nobis non sit sermo, sed de posteriori solummodo, neqvaqvam tamen ille servilis est, sed nec herilis qvoqve absolutè, sed abstrahens ab utroqve. Sicut amicus amico, par pari nec ut servo utitur, nec ut Domino, sed pro lubitu sibi invicem & commodissimè tamen ministrant.

XXIII.

XXIII. Qvi igitur Metaphysicam ancillari Theologiæ aut ejus instrumentum esse, in accurato proprioqve significatu, qvo instrumentum aut organum, aut ancillam aut servam esse notat suâ naturâ dirigi ad serviendum alteri, omnemqve naturam rei ad aliud referri, dum ipsimet Metaphysicam pro reali disciplinâ, qvæ in consideratione entis, tanqvam in proprio objecto occupetur, habent, illi certè vehementer hallucinantur, ab ἀκριβείᾳ Φιλοσοφικῇ longè remoti. Grammaticæ hoc est munus, aliarumqve disciplinarum & habituum instrumentalium, qvi cum propriæ rei aut objecti nihil possideant, in qvo acqviescant, omne id, qvod habent, ad aliud referunt, atqve ad aliis serviendum, veluti ii homines, qvi nobis Slavi dicuntur, qvasi nati sunt factiqve. Qvid enim rei habet Grammatica, qvam consideret? Nihil. In vocibus illa occupata est, qvæ naturâ suâ nihil sunt aliud, qvam signum rerum aliarum. Naturâ igitur serviunt voces, significandis rebus. Naturale instrumentum sunt, repræsentandi nobis res ipsas, cum impossibile sit, res nobis ipsas ante oculos animumqve perpetuò versari. Talis habitus instrumentalis juxta plerosqve Logica qvoqve est, cujus syllogismi suâ naturâ serviunt veritati indagandæ & ex latibulis suis extrahendæ. Neqve enim de ullâ certa syllogismi materia tractat Logicus, sed qva forma instructus esse debeat syllogismus, qvamqve variam diversamqve mate-

materiam recipere possit, docet. Hinc omnes cæteræ disciplinæ syllogismo, ut instrumento, utuntur, affectiones de subjecto suo demonstrandi. At Metaphysica proprium habet objectum, ens nempe & omnia inferiora entis, in qvantum illa à materia abstrahunt secundum rem & rationem. Id dum considerat, de eo dum attributa demonstrat, veram proprièqve dictam sibi generat scientiam, cum scire sit rem per causas cognoscere. Hac autem in scientia, tanqvam in fine suo, acqviescit, neqve sua natura ulterius tendit, aut servire aliis desiderat. Seqvippe contenta, etsi nulla alia disciplina, adeoqve nec Theologia, in rerum natura existeret. Falsum igitur est, qvod Metaphysicæ usus, propriè loqvendo, organicus sit aut instrumentalis, ad eum modum, qvo vel Grammatica vel Logica instrumentum & organum est aliarum scientiarum, & in qvantum instrumentale principali, organicum reali opponitur. Falsum qvoqve est, Theologiam Dominam esse, Metaphysicam famulam & ancillam, si hi termini propriè & in illo rigore capiantur, in qvem relativa oppositio eosdem deponit. Neqve enim Metaphysicæ officium in eo consistit, ut Theologiæ serviat, qvemadmodum ancillæ debitum est, ut unicè intenta sit, voluntatem exeqvi Dominæ suæ. Qvicqvid enim in se acqviescit, qvicqvid proprium objectum habet, in qvo occupetur, qvicqvid sua natura ulterius non tendit, id certè ancilla non

est

est alterius, tanqvam dominæ. Ancilla enim non in se sed in Dominæ voluntate acqviescit, neqve propriam rem familiarem habet, in qva occupetur, sed ea unicè, qvæ Dominæ sunt, curat & omnes actiones suas ad Dominæ, non suum, nutum dirigit. Metaphysica verò, cum rem habeat propriam, cum qva ipsi negotium sit, non opus habet, ut alii ministret, sed potius, ut Domina, à cæteris habitibus instrumentalibus servitur, ipsa autem, qvæ sua sunt, agit. Consequitur ergo ex his omnibus, luce meridiana clarius esse, qvod Metaphysicæ usus, in accuratione philosophica loqvendo, non sit ancillaris aut instrumentalis.

XXIV. Fatemur interim, alio sensu, Theologiam utiqve Dominam, Metaphysicam verò ancillam vocari posse, objectum utriusqve respiciendo. Cum enim Theologiæ objectum omnium sit nobilissimum, Deus nempe in verbo suo exactè repræsentatus, & mysteria fidei ad æternam animarum salutem nos ordinantia, qva re nihil præstantius, nihil sublimius cogitare in omni rerum universitate aut eloqvi possumus, cur refragabimur, Reginæ ei titulum & Dominæ, supra cæteras scientias omnes dignitate & auctoritate eminentis, cedere? Vicissim cum Metaphysica superius qvidem generalitate, inferius tamen honoris gradu objectum teneat, & qvamqvam sub ambitu suo Deum etiam complectatur, ejus tamen minimam tantum, ut ita loqvamur, partem, ob

defe-

defectum adæqvati sciendi principii, attingat, deniqve ex revelatione constet, qvicqvid in natura nostra scientiæ aut cognitionis est de Deo, id dirigi debere partim ad perfectiorem, qvæ in Theologia traditur, de Deo notitiam, partim ad gloriam Nominis Dei triunius celebrandam atqve propagandam, [qvo de argumento pariter Theologia informat] qvis non videt, hoc certè sensu ancillam posse dici Metaphysicam Theologiæ & famulam? Sed nimirum hic termini extra illam accurationem accipiuntur, qvam Philosophicus eis usus impresit, qvamqve vel oppositio eorundem, vel etiam loqventium de hac re intentio, sine dubio reqvisivit.

XXV. Sed & alia, eaqve potior, ratio est, cur Metaphysicam servire aut ancillari Theologiæ, qvamqvam improprio significatu, dicamus. Datur enim aliqvod servitutis genus, qvod liberum & arbitrarium appellatur, cum qvis non ulla necessitate coactus, non ullo precio conductus, sed ex spontaneo arbitrio & liberrima voluntate alterius commoda promovet, eidemqve inservit. Qva ratione superior qvandoqve inferiori, aliqvando par pari ministeria præstat & vicem qvasi gerit servi. Eo sensu *commodis atqve utilitatibus alicujus servire in Hecyrâ*, dixit Terentius; & Cicero libro de Officiis: *Magnum est*, inqvit, *personam in Rep. tueri principis, qvæ non animis solum debet, sed oculis servire civium.* Neqve in communi loqvendi consuetu-

ſuetudine hodie vel apud Germanos vel apud Gallos, vel qvascunqve nationes alias, qvicqvam vulgarius eſt, qvam juvandi ſtudendiqve deſiderium ſerviendi vocibus exprimere. Liberalis iſta ſervitus eſt, de qva Poëtarum nonnemo:

Libera mens, inqvis. Mea certè ſervit, amori
Paret ad obſeqvium ſerva ſeqvaxqve tuum.
Aſt non ſervitium hoc invitum eſt. Cogit amicos
Mutuus & blanda eſt vis, ubi cogit, amor.

Qvæ à perſonis ad diſciplinarum habituumqꝫ genium ita uſus tranſtulit, ut qvemadmodum, qvo qvis pluribus præditus eſt opibus, tanqvam juvandi alios, iisqve ſerviendi præſidiis, eo majorem etiam de ſe diffundit uſum: ita, qvo qvæ ſcientia univerſalior eſt, pluresqve, qvibus aliæ diſciplinæ uti poſſint, terminos in ſinu ſuo fovet, eo ampliorem etiam ad alios uſum & generale qvoddam ſervitium vel myniſterium transfundat. Metaphyſica ergo tanqvam omni copiarum genere abundans, & cui ſunt ampliſſimæ terminorum generaliſſimorum divitiæ, cæteris omnibus ſubminiſtrare, qvibus undiqve circumfluit, opes, cunctis aliis operam ſuam addicere atqve ſervire apta eſt. *Philoſophia & bonæ literæ* ſtehen gleichſam vor der Thür/ warten auf als Dienerinn/ hat man ihrer vonnöhten/ ſo kommen ſie herbey und leiſten Dienſt/ gehören eigentlich nicht zu der Theologie: rectè ait D. Calixtus, Gr. Widerl. Buſch. Part. II. c. VII. n. II. §. XXI. Qvæ tamen omnia, ut

ex ſe

ex se patet, de improprio serviendi genere perinde intelliguntur, ac cum qvotidiano mori obseqventes, benevolum juvandi animum cuilibet amicorum nostrorum explicamus, dicentes: Vostre serviteur, des Herrn sein Diener.

XXVI. Rectè ergo celeberrimus Theologus & Præceptor meus, cujus æternum veneror manes, D. Dannhauerus, in accurato utilissimoqve scripto, Ideæ Bon. Disp. Sect. II. c. IV. §. XCIV. *Ex qvo liqvet*, ait, *quantus Philosophiæ, (realis, non instrumentalis) in superioribus facultatibus usus est, eum totum per accidens; sicut cultro, etsi per se natus sit cibis secandis, per accidens uti licet etiam ad ligna secanda. Nam si quis Philosophiæ per se usus esset in superioribus facultatibus, is vel esset δεσποτικὸς vel δοῦλικὸς, herilis vel servilis. Non ille, quia is repugnat dignitati illarum scientiarum superiorum; non hic, quia id obstat dignitati Philosophiæ, quæ libera est, nulli serviens, ut præclarè testatur Philosophus, l. a. maj. Metaph. c. I. & II.*

XXVII. Utuntur aliæ disciplinæ Metaphysica tum qvoad terminos simplices, tum qvoad integras propositiones, qvas dum in subsidium vocant, illæ sese haud aliter in argumentis habent, ac principia generalia seu communia, qvæ à propositionibus aliarum disciplinarum, ceu principiis particularibus, ad hoc & illud esse determinantur. Hoc pacto in argumento Theologico conclusio non à propositione Metaphysica, sive universalis illa sit

sive particularis, ut communi multis disciplinis principio, sed à revelatâ, ceu particulari & Theologiæ propriâ, ad speciem conclusionis revelatæ & Theologicæ terminatur; qvare & revelata propositio denominationem principii absolutè sustinet, cum Metaphysica nonnisi cum addito commune dicatur. Sicut in hoc Syllogismo: homini convenit temperanter vivere, Petrus autem est homo, temperanter igitur vivat necesse est; conclusio Ethica est, à proprio principio, qvod major propositio complectitur, absolutè dependens, non obstante, qvod minor ad unam disciplinam non sit adstricta, sed ad plures indifferenter sese habeat. Comparaturqve propositio indifferens causæ universali, qvæ licet ad effectum concurrat, ille tamen speciem & denominationem nonnisi à particulari accipit; Sicut sol nec generare leonem, nec parens leonis esse dicitur, qvamvis per modum causæ universalis ad ejus productionem concurrat.

XXVIII. Sunt eqvidem & hic diversæ Theologorum sententiæ, cum qværitur, qvid de propositione rationis conclusionem Theologicam antecendente sit statuendum? qvamnam illa indolem, qvam sustineat naturam? Pontificii enim artis novæ propugnatores, vel à Lutheranis nulla rationis principia in Theologicis Syllogismis usurpanda esse, vel concedendum certè propugnant, non solam Scripturam, sed præter eandem rationem qvoqve, & qvicqvid de cœtero conclusioni Theologi-

cæ

cæ faciendæ inservit, utpote traditionem & Ecclesiæ auctoritatem, principio Theologiæ annumerandam esse. Cui rei hoc afferunt argumentum: Qvæcunqve propositio conclusionem Theologicam antecedit, ea est principium conclusionis Theologicæ. Atqvi aliqva propositio rationis. Ergo.

XXIX. Ut igitur & hæc materia evidentior fiat, sciendum ante omnia est, qvæstiones Theologicas, de qvibus argumenta & conclusiones fiunt, duplicis generis esse. Qvædam tantum dependent à principio Theologiæ proprio, hoc est, non possunt cognosci nisi ex revelatione & verbo Divino; nonnullæ verò simul ex ratione notæ sunt. Deum esse in personis trinum, sola revelatio docet, eundem esse unum, bonum, colendum, simul ratio cum revelatione. Nonnulli eas, qvæ sunt posterioris generis, mixtas, Melchior Canus, medias vocat. Qvamqvam verò id faciant sensu haud alio, qvam qvo jam diximus, qvo nempe ad qvæstionem unam probandam duo principia, revelationis unum, rationis alterum, confluunt; [frigidum enim admodum est, eas vocare mixtas, qvarum termini partim sunt Theologici, partim philosophici; qvid enim fiet de hac propositione: In unâ essentiâ Divinâ sunt tres personæ; ubi meri sunt termini philosophici & propositio tamen ipsa merè Theologica est, ex sola revelatione dependens?] in modo tamen loqvendi haud immeritò aliqvid desideratur.

Non enim statim id mixtum est, ad qvod plùra principia concurrunt, sive de principiis cognoscendi sermo sit, sive de principiis essendi. Ad hominem generandum & sol & homo & Deus concurrunt, qvi tamen effectus idèò mixtus neqvaqvam dicitur. Ad probandum: Socratem esse eruditum, varia ex Ethicis & Physicis & Metaphysicis principia possunt convolare, ut tamen conclusio inde mixta frustra dicatur. Rectius ergo D. J. Gerhardus rejecto hoc loqvendi modo, *qvædam dicit esse summa fidei mysteria, omnem captum rationis superantia, alia verò, qvorum notitia ex naturâ qvoqve possit haberi.* Illa nempe Theologica sunt, ἀκριβῶς & presse loqvendo, in qvantum naturalibus contradistinguuntur: hæc naturalia sunt & Theologica nonnisi πραχυλῶς loqvendo vocari possunt, in qvantum de re Theologicâ agunt, adeoqve hinc qvandam affinitatem cum verè Theologicis nanciscuntur. Neqve ulla consequentia est: hæc talia etiam sunt revelata; Ergo hactenus verè Theologica; Nam ad propositionem presse Theologicam non sufficit revelatio, sed reqviritur, ut ita reveletur, ut aliunde non possit cognosci. Qvâ de re postea amplius dicemus.

XXX. Qvæ igitur qvæstiones ita comparatæ sunt, ut earum decisio ex ratione qvoqve, sepositâ Scripturæ auctoritate, possit instituti, earum principium proprium rationem esse non negamus. Neqve enim hoc inter nos atqve

qve Pontificios unqvam controversum fuit; cum Theologia duplex sit, naturalis & revelata; neqve à Lutheranis unqvam alia Theologiæ species, qvam revelatæ, fuerit intellecta, qvando solum verbum Divinum ejus principium esse docuerunt. Qvâ de re testimonium compendia etiam Theologica reddere possunt.

XXXI. Cum verò in Syllogismo, qvi qvæstionem continet Theologicam puram, propositio tamen rationis comparere possit, ut ex. gr. Qvicunqve alius est à Deo patre, is ab eodem realiter differt; At Spiritus S. alius est à Deo patre; Ergo realiter ab illo differt; ubi major propositio è Metaphysicâ desumpta, conclusio autem Theologiæ propria est; nondum sublata difficultas videtur, qvid de hac tali propositione dicendum sit, ne principii Theologici essentiam ingrediatur.

XXXII. Nonnulli cum Augustino inter veritatem sententiarum & connexionis distinguunt & propositioni rationis in ordine ad conclusionem connectendi tantum partes relinqvunt, ut veritas interim sententiæ ipsius in solidum pendeat ex revelatâ. Sed, si qvidem connexionis veritas pro instrumento formali connectendi sumatur, ut accipi à Nic. Vedelio supra innuimus, falli hoctales, cum propositio ista rationis non figuram modumqve, qvibus in Syllogismo propositiones connectuntur, sed ipsum principium materiale constituat, ex qvo sententiæ seu conclusionis veritas perin-

de, ut ex Theologicâ propositione profluit, adversus eundem demonstravimus. Et res ipsa ita plana est, ut vel obiter inspecta non possit negari. At verô annon Augustino alia fuerit mens, cum propositionibus rationis connexionis tantum veritatem attribueret, de eo meritò dubitari posset. Neqve deesset ex ipso Augustino suspicandi occasio, qvod connexionem haud aliam, qvam ut universalia particularibus, communia propriis connectuntur, ubi tamen ex particularibur rei ipsius veritas, qvâ talis est, unicè promanat, intellexerit. Qvam rem aliis considerandam relinqvo.

XXXIII. Eqvidem haud ita diu est, cum celeberrimus vir, Jacobus Thomasius, Academiæ Lipsiensis Professor, novô prorsus auspicio, qvod post renatas literas insolitum inauditumqve videri possit, Metaphysicæ eam partem, qvæ communiter generalis dicitur & de ente ejusqve affectionibus tractat, è realium disciplinarum numero exemptam, instrumentalibus adscripsit, cujus sententia in Erotematibus Metaphysicis tradita qvasi in compendio hæc est: *Aristoteli Metaphysicam esse scientiam entis, qvatenus ens est. Per ens qvatenus ens eundem intellexisse nihil aliud, qvam ens primum, seu substantiam primam, qvæ est Deus. Ens enim prout abstrahit à Deo & creaturis esse vocabulum ab uno, qvod vulgò analogum vocatur, primo autem analogato, qvale hic est Deus, reduplicationem addi ex mente Aristotelis, qvia ultra primum analogatum abstrahendo*

hendo non procedatur. Cum verò in analogis id, qvod primum est, sit mensura reliqvorum, inde natam esse Aristoteli primam Philosophiam, hoc est, doctrinam de Deo, qvæ ideò etiam & sapientia & Theologia & Philosophia absolutè dicatur. Qvod amplius inde pateat, qvia Aristoteles manifestè alibi tot ponat Philosophiæ Theoreticæ partes, qvot sint substantiæ, substantias autem enumeret tres, unam mobilem æternam, unde Astrologia, qvæ cœlum contemplatur, nascatur, alteram mobilem corruptibilem, unde Physica tertiam immobilem, Deum, unde Metaphysica ortum habeat. Qvæcunqve verò in Metaphysicis Aristoteles tractet de ente & ejus attributis atqve ejusmodi terminis generalissimis, non ad Metaphysicam θεωρίαν propriè pertinere, sed eandem tantum προθεωρίας loco, ad reliqvorum expeditiorem intelligentiam præcedere: esseq; nihil aliud qvam Lexicon qvoddam Philosophicum, ex qvo terminorum variorum notitiam, eorundemqve acceptionem haurire qveamus; adeoqve revera eam Metaphysices partem, qvæ hodie generalis dicitur, esse disciplinam instrumentalem, seu adminiculum qvoddam ad Philosophiam præparatorium. Id cum non intelligerent interpretes Aristotelis Scholastici, ex præcognitis illis feciſſe qvandam Metaphysicam generalem, contemplantem ens, qvâ ens est, qvamqvam nec hi inter se usqveqvaqve consentiant, veram autem Aristotelis Metaphysicam in partem specialem, hoc est, Pneumaticam convertisse. Ita ex Regina famulam, ex famulâ reginam factam esse. Fontem hujus erroris fuisse ignorationem naturæ analogorum, qvæ illi, ut univo-

care spexerint, communiqve conceptu ab iis abstracto objectum peculiaris disciplinæ, qvod in analogis fieri non possit, aut debeat, constituisse. Rem interim feliciter cecidisse, qvod Lexicon illud philosophicum industriâ Scholasticorum, qvamqvam sub specioso nomine Metaphysicæ, adeò egregiè, adeò utiliter fuerit elaboratum, ut absqve illius scientiâ sperari vix possit solida in ullo genere illustrium disciplinarum eruditio. Qvare, si qvis emendet ea, qvæ peccata fuerint, hanc eum rectè inire rationem: ut Metaphysicam, vulgò ita dictam, in tres separet disciplinas; unam instrumentalem, Lexici Philosophici titulo insignem; secundam & tertiam reales, qvarum illa de Deo; altera de intelligentiis sive angelis agat. Rectius enim tractationem de Deo & angelis separari, cum qvod ea conjunxerit Aristoteles, ex principio gentili profluxerit. Genios qvippe & intelligentias existimasse esse ἀσωματα qvædam ex ipsâ Divinâ essentiâ, adeoq; Divinâ præditas naturâ, non ex nihilo procreatas. Christianis verò certum esse, qvod creaturarum numero comprehendantur æq; ac corpora, majorq; sit distantia & diversitas inter DEUM & intelligentias, qvam inter has & res naturales. Habendum præterea hunc Deo honorem esse, ut dignum putemus cui peculiaris dedicetur disciplina philosophica.

XXXIV. Hæc ille, qvæ profectò eximiam lucem iis affundunt, qvæ hactenus à Philosophis Aristotelicis de terminis scientiarum Theoreticarum, non sine magnis difficultatibus & intricatè disputata fuerunt. Qvicqvid autem sit de distractione Theologiæ & Angelologiæ naturalis, qvicqvid item de distermi-

na-

natione Metaphysicæ, [qvoad partem generalem hactenus ita dictam) à Theologiâ naturali, qvippe qvæ & hodie partim à clarissimis Philosophis aliis propugnata est, partim haud invitis forte plurimis, qvi in ponendis disciplinarum finibus ab Aristotele recedunt, aut certè triplicem abstrahendi rationem sufficiens hujus rei fundamentum non esse agnoscunt, doctissimo viro concedetur; qvæ de generali Metaphysices naturâ novissimè prodidit, ut fidem inveniant, ampliori opus habent deductione. Non eqvidem hujus loci est, nec otii nostri, nec virium deniqve nostrarum, in veritatem istarum hypotheseon, qvæ eximiâ certè cum veri similitudine credibiles reddidit, inqvirere: Aristoteli per ens, qvâ ens, primum entis analogatum Deum, intellectum fuisse; eundem Metaphysicæ theorian in consideratione substantiæ immobilis, [cum tamen l. I. M. c. II. Metaphysicam ob latitudinem objecti proprii disciplinam ἀρχιτεκτονικὴν & generalissimam appellet] protheorian in explicatione generalissimorum terminorum & disputatione de principiis, [cum, fatente eruditissimo Thomasio, maxima librorum Metaphysicorum pars disputationem *contineat adversus aliorum opiniones de primis rerum principiis, minima ipsius Philosophi de Deo intelligentiis doctrinam exhibeat*, atqve adeò vestibulum ædes ipsas longissimè excedat;] constituisse; scientiarum Theoreticarum discretionem juxta Aristotelem ex triplicitate potius substantiæ, qvam

abstractionis [cujus Aristoteles in assignando Metaphysices objecto ipse meminit, VI. M.c.I.] mensurandam esse, de qvibus, qvæ Aristoteli mens sederit, inter interpretes ejus Græcos, Arabes, Latinos, veteres, recentiores, qvi, ut in sensa Philosophi penetrarent, omnes acutissimorum ingeniorum nervos intenderunt, immania opinionum divortia conspiciuntur. Hoc solummodo dicimus, nondum apparere, sepositâ nunc Aristotelis auctoritate, causam, cur Metaphysica è numero realium disciplinarum eliminata, in instrumentorum & Lexicorum ordinem debeat redigi? Si enim nonnisi analogati primi datur scientia propriè dicta, cætera autem à scientiæ theoriâ rejiciuntur & transeunt in instrumentalium disciplinarum classem, tum & sola substantia immobilis, qvandoqvidem à numero substantiarum disciplinarum qvoqve numerus dependet, scientificæ contemplationi subjacebit, substantiâ cœlesti & sublunari, qvippe qvæ est ab illa immobili, ab hac dignitate exclusâ & vel ad instrumentales disciplinas vel ad ἐπιθεωρίαν tantum primæ Philosophiæ, relatâ. Nam ut se habet ens comparatione ad Deum & creaturas: ita substantia immobilis ad mobiles; Utrumqve qvippe commune ad unum, seu ut Scholastici loqvuntur, analogum analogiâ attributionis intrinsecæ. Qvod si primum analogatum objectum est disciplinæ, qvod illa directè & per se considerat, cætera autem ejusdem

dem qvidem scientiæ sunt, [est enim Metaphysica Aristoteli *scientia simul particularis de Deo*, dicente Cl. Thomasio, *simul universalis de ente in communi*] sed ad normam tantum atqve mensuram illius primi, indirectè qvasi & secundò considerantur, non liqvet, qvâ consequendi vi id, qvod primò speculatur Metaphysica, realem, qvod secundò, instrumentalem scientiam constituat? Aut si instrumentalem, qvo potiori jure, qvam Logica, aut Grammatica, aut qvælibet alia disciplina organica, in ipso Metaphysices meditullio expendatur? Aut qvomodo deniqve Aristoteli realis & instrumentalis scientiæ ita mistæ fuerint atqve confusæ, ut non in unam tantum ei, qvæ specie tamen differunt, disciplinam coalescerent, sed id, qvod πάρεργον & accessorium habitus fuerat, longiori mole & majori solicitudine, qvam objectum principale fuerit executus?

XXXV. Cæterum eorum, qvæ dicuntur ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν, in confesso est, duplicem dari differentiam. Qvædam ita dicuntur per extrinsecam tantum denominationem, qvæ recentiores vocant, analoga attributionis extrinsecæ, cum forma denominans de uno, nempe primo analogato, prædicatur propriè, de altero, ceu secundo tropicè. Qvorsum pertinent exempla ab Aristotele VI. Met. c. II. adducta. Sic enim sanum dicitur de eo, qvod habet sanitatem, qvalis est homo, & de eo, qvod sanitatem efficit, ut de medicamento, aut conser-

vat,

vat, ut de cibo, aut significat, ut de pulsu & urinâ. Scilicet intrinsecè & formaliter de homine, tanqvam de habente sanitatem, de reliqvis autem extrinsecè & impropriè, qvatenus ad sanitatem hominis referuntur. De qvo genere analogorum regula illa exaudienda est: *analogum stat pro significatu potiori.* Atqve hæc analogata secunda, qvo etiam pertinet, cum Ens in ens per se & per accidens, participale & nominale, reale & rationis dispescitur, eò qvod qvalicunqve tantum similitudine & respectu ad primum analogatum ita dicantur, nec propriè, & sine tropo sint id, qvod est primum analogatum, è directâ scientiæ tractatione haud injuria rejicitur, qvamqvam ea, ut & privationes atqve negationes in eadem scientia indirectè & per accid. considerari nihil impediat, ut nempe in physicis monstra & alii naturæ defectus considerantur. Qvædam verò secundum unam & eandem definitionem & essentiam se communicant suis inferioribus, per attributionem tamen & dependentiam unius ab altero. Qvæ analoga vocant attributionis intrinsecæ; utpote cum ens de substantia & accidente, de Deo & creaturis, atqve de utrisqve propriè & sine ullo tropo prædicatur. Atqve ea univocis tanta affinitate conjunguntur, ut Scotistæ & Nominales, ad notante Thomasio, rati differentiam dependentiæ & independentiæ, cum de cætero in intrinseca & formali ratione adæqvatè partici-

pa-

ciparent, tanti non æstimandam esse, ut peculiarem prædicationis speciem constituere deberent, ad univoca potius qvam ad æqvivoca retulerint. Poteratqve etiam hæc ratio militare contra Philosophum, qvod communia ista ad unum, posterioris generis, longè magis ab æqvivocorum, rigorosè dictorum, qvæ solum nomen, rem verò ipsam neqve qvoad se neqve qvoad attributionis æqvalitatem, communem habent, qvam ab univocorum, in pari rigore appellatorum, qvæ & nomen & rem & æqvam utriusqve de utroqve prædicationem, inferioribus impertiunt, natura recedunt, dum ab univocis in sola attributionis inæqvalitate, ab æqvivocis verò in illa, & simul in λόγῳ τῆς οὐσίας, ut notum est, distant: præterea inæqvabilis ista attributio in reipsa, seu rei natura nihil prorsus mutet, sed alteram tantum altera priorem aut ab altera etiam originatam designet. Qvid autem causæ est, cur ob qvalemcunqve hanc differentiam, qvæ rei essentiam non attingit, qvæ utrobiqve parem naturam, pares definitiones, paria prædicata, pares affectiones, pares conceptus relinqvit, communem aliqvam naturam, licet alterutrum istorum ab altero in emanationis dignitate deficiat, abstrahere, eiqve vindicare peculiarem scientiam haud debeamus? Qvemadmodum ergo, licet in prædicamento qvalitatis de qvalitatis natura potentia naturalis & habitus ita participent, ut habitus à potentia naturali depen-

dependeat: & sicut in materia propositionum, licet propositio, tanqvam ἀνάλογόν τι, essentiam suam propositioni simplici & compositæ inæqvaliter tribuat; [cum enim compositum non sit compositum, nisi per conjunctionem simplicium, utiqve hoc ipso simplex propositio, in ordine naturæ prius habebit esse propositionis, qvam composita] de utroqve tamen, habitu ac potentia naturali, propositione simplici & composita communem conceptum Logica abstrahit, & tum qvalitatem tum propositionem in genere rectè considerat: ita nec inæqvalitas ista in ente respectu Dei & creaturarum deprehensa, communem & scientificam entis considerationem impedire posse videtur.

XXXVI. Jam vero qvæcunqve disciplina pro objecto rem habet, qvam consideret, eam realem esse ex ipso nomine intelligitur. Neqve enim aut Grammatica rem habet, sed rerum signa, id est, vocabula, neqve Rhetorica, sed ornatam signorum dispositionem, neqve Logica, sed ea instrumenta, per qvæ ad rerum ipsarum veritatem penetrare qveamus. At Metaphysica res contemplatur. Ens enim res est, non signum aut instrumentum rei alterius. Neqve hanc rem Metaphysicus ita intuetur, ita considerat, ut in alterius disciplinæ usum paret, sed ut eandem cognoscat, ut, qvicqvid de ea dici potest, qvicqvid attributi aut affectionis ei ineſt, de ea per rationem à priori demonstret. Hæc enim est humani intelle-

tellectus perfectio, hoc connatum ei desiderium, ut, qvicqvid rerum in hac universitate usqvam reperitur, scire, & qvo qvid generalius est hoc, tanqvam à sensibus remotius, avidius, speculari percupiat, cum hoc humani intellectus sit proprium, nec bruta animantia ad universalium scientiam ascendere possint, neqve acqvieſcat, donec earum exactam notitiam consequatur. Duo igitur disciplinæ cuivis, reali & Theoreticæ propria sunt, primo ut objectum, qvod consideret, habeat reale; deinde ut pro fine, in qvo ultimo acqvieſcat, agnoſcat rei illius in affectionibus suis contemplationem. Patet autem, utrumqve Metaphysicæ convenire. De objecto dubitari non potest ex iis, qvæ dicta sunt. De fine vero naturæ instinctus testatur, qvi dum scire desiderat, perinde in acqvisita scientia acqvieſcit, ac cum homini sitis extinguitur, qvando, qvod desideraverat, bibit. Qvicunqve igitur habitus aliqvid scit, is est scientia realis. Neqve enim instrumentales habitus qvicqvam sciunt, sed qvomodo res scientia sint comprehendendæ, rationem & methodum præscribunt, adeoqve communes sunt artes, pertinentes ad omnes scientias. Metaphysica vero non aliqvid tantum sed omnia scit. Qvod & innuit Aristoteles in Elench. Soph. cum scribit: νῦν δ' ἐκ ἐστὶν ὁ διαλεκτικὸς περί γένος τι ὡρισμένον, οὐδὲ δεικτικὸς οὐδενός, οὐδὲ τοιοῦτος, οἷος ὁ καθόλου; juxta doctiſſ. Jac. Schegkium, Com. in Præd. sub init.

XXXVII.

XXXVII. Sed nec, qvod de scientiarum differentiis substantiarum triplicitati inædificatis, profertur, difficultatibus carere deprehendet, qvirem altius in animum intromiserit. Qvâ enim sufficienti ratione substantia mobilis terrena atqve cœlestis, sublunaris atqve æterna separantur? Neqve enim exigua hæc vel loci vel durationis differentia scientiarum illicò discrimen inducere potest, cum præsertim hodie nemine refragante constet, cœlestia corpora haud minus generationi atqve corruptioni, atqve hæc inferiora & sublunaria subjecta esse, neqve cœlum ab aëre nisi loci intervallo sejungi. Qvæ cum ita se habeant, emendatis iis, qvæ Aristoteles ex falsâ de æternitate & incorruptibilitate cœlestium corporum hypothesi peccavit, remanebunt nobis duæ tantum disciplinæ Theoreticæ, Physica & Theologia, qvarum hæc de immobili, illa de mobili substantiâ agat, exulabuntqve ex verarum scientiarum numero non Metaphysica tantum seu Ontologia, sed disciplinæ qvoqve Mathematicæ omnes. Qvicqvid igitur in his traditum hactenus est, id vel necesse erit, ad Lexicon Philosophicum referri, cum eadem esse videatur eorum, qve Mathesis docet, ratio cum illis, qvæ Metaphysica profitetur, aut alio qvocunqve censu in numero instrumentalium disciplinarum æstimabitur. Qvid verò causæ est, qvod accidentium cognitio ex verarum atqve realium scientiarum æstimatione rejicitur?

citur? Nam præterqvam qvod accidentia res sunt, qvarum cognitio humani intellectus perfectionem ſubterfugere non poteſt, affectiones qvoqve habent, perinde ut ſubſtantiæ, qvæ de iis, haud aliter ac de ſubſtantiis, per rationes immediatas poſſunt demonſtrari. Ergo aut accidentium nulla eſt ſcientia, aut, ſi qvæ ipſorum eſt ἐπιστήμη τῷ γένει, ea extra complexum triplicis illius ſubſtantiæ conſiſtet, adeoqve hæc adæqvatum principium non erit fundandi numerum diſciplinarum.

XXXVIII. Lexicon propriè eſt, qvod de verborum ſignificationibus agit, explicatione vel concisâ, vel φιλολογίᾳ uberiori. De Helladii Lexico Photius apud illuſtrem Bœclerum, Diſſ. de Lexic. *nec vocibus tantum conſtabat, ſed aliqvando elegantibus orationis membris, minoribus, majoribus, adornabatur.* De Lexico πολιτικῷ λόγῳ: *utiliſſimum opus, ſi qvod aliud, ad præclarè rem ſuam agendam, & ex qvo facillimè objectiones ſuppetant.* Fuerit igitur hoc Lexicon oportet qvidam qvaſi rerum Politicarum perfectus cõmentarius. De Onomaſtico ſuo Julius Pollux: *oſtendit Synonyma, qvomodo permutari poſſint & qvibus ſingula efferri ſoleant.* Suidas vocat συναγωγὴν τῶν διαφόρως κατὰ τὸ αὐτὸ λεγομένων. De Varini Phavorini Lexico Joach. Camerarius: *in eo plurimæ fabulæ, hiſtoriæ, proverbia, verba & res expoſitæ commemoratæqve atqve etiam demonſtratæ & explicatæ reperiuntur.* Ex qvibus apparet, Lexica duplicis generis eſſe: qvædã in ſolâ vocum ὀνοματολογίᾳ,

qvorsum originatio earundam, significatio varia & Synonymia pertinet, acqvieſcere; qvædam verò ipſarum etiam rerum evolutionem uberiorem, explicationem, demonſtrationem, diſputationem complecti. Qvemadmodum verò illa τῶν λεξικῶν titulum propriè tuentur, qvippe ἐν τῇ λέξει τῶν ὀνομάτων occupata: ita hæc qvo magis ſeſe rebus ipſis earumqve expoſitioni immergunt, eò longius à proprietate veri Lexici abeunt, & ſi accuratè loqvi velimus, indices potius ſunt, &, ut recentiori vocabulo utar, repertoria, qvæ res ex diſciplinarum penetralibus deſumptas, juxta certam ſeriem ordinemqve, vel literis, vel rebus diſpoſitum, faciliori inventioni, qværentium oculis repræſentant. Qvamqvam verò talia Lexica rerum ipſarum inveſtigationi ſerviant, adeoqꝫ inſtrumenta ſint rerum inveniendarum, non tamen inde res ipſas Lexicon ſibi ſcientificè tractandas vindicare, ſed ſupponere alibi tractatas & aliunde tantum tranſſumere, multò minus rerum ipſarum ſcientiam immutare & cum in ſe realis ſit, inſtrumentalem reddere poteſt. Ita qvæ Lexicon Politicum continebat, ad morum vel inſtructionem vel emendationem ſpectantia, Moralis ſibi Philoſophia propriè aſſerebat; qvæ Lexicon τῆς καθαρᾶς ἰδέας ad informandam græci ſermonis σαφήνειαν, aut Lexicon τῆς σεμνῆς ἰδέας, ad ſtyli gravitatem fingendam, Rhetorica; qvas Suidæ Lexicon hiſtorias aut θεολογικώτερα etiam complectitur, Hiſtoria & Theologia ſibi

etiam

etiam propria facit. Si igitur Metaphysica qvoq; generalis talis Lexici, non philologici tantum, τὴν λέξιν & diversam vim vocabulorum enucleantis, sed philosophici qvoqve res ipsas, earumqve proprietates, naturam, & qvicqvid de iis sciri potest, ex causis earundem proponentis, vicem sustinet, necesse est, ut hanc de re ipsâ tractationem aliunde acceperit, adeoq; ex aliâ disciplina, cujus illius rei consideratio propria erat, mutuo sumptam ad expeditam tantum inventionem, formæ λεξικῇ incluserit. Si enim inter λέξιν vocum earumqve significationem, interqve rerum ipsarum tractationem nihil intersit, de substantiâ qvoqve immobili & mobili in Lexicis agi, atqve ita Physicam qvoqve & Theologiam absorberi nihil impediet, qvod inconveniens esse, omnes intelligunt. Hoc eqvidem negari neqvit, Philosophum qvoqve realem, vocum qvandoqve ambiguitates extricare, sicut Aristoteles, lib. V. M. 26. fecit circa vocabulum *totus* & *omnis*, item circa id, qvod *mutilum* vocatur; cum ex nominibus ad rei ipsius intelligentiam sæpe provehamur: sed id nihil aliud arguit, qvam προπαιδευσίαν qvandam, seu aditum ad rei veriorem cognitionem, neqve ideò in instrumentalium se ordinem abdit, qvemadmodum Lexicographus ideò Philosophus non fit, etsi res à se dispositas à Philosopho mutuo sumat.

XXXIX. Qvod si dixeris, res ipsas ter-

minis Metaphysicis generalissimis, denotatas, in qvalibet entis analogatorum scientia considerari, qvatenus modo substantiæ immobili, modo mobili attribuantur: tum difficile dictu est, cur ad faciendum compendium, non una generalis disciplina eorum contemplationem suscipiat? Qvæ enim hæ sunt ambages, unitatem, veritatem, bonitatem, necessitatem & contingentiam, actum & potentiam, principium & principiatum, causam & causatum, subjectum & adjunctum, & innumera ejusmodi in scientia Theologica de Deo, in Naturali de materia monstrare, cum una opera in generali scientia enti aptata ad Deum & materiam possis facile reflectere? Regeres; in generali utiqve disciplina, sed instrumentali expendi. At oppono, qvod in generali disciplina instrumentum est, id in speciali naturam suam variare & res fieri non potest. Sicut Syllogismus, etsi rei Theologicæ applicatus veritatem mihi commonstret, res tamen vera non ideo ipsa redditur. Ita si unum, verum, bonum, instrumentum sunt in generali Lexico, in Physica naturam suam non exuunt & res fiunt. Aut si in inferiori scientia res sunt, ut certè sunt, in superiori instrumenta esse non potuerunt. Aliud certe voces sunt, unum, bonum, necessarium, qvorum significatio Lexico congruit, aliud res per voces significatæ, qvarum naturam & proprietatem considerare, ejus est, qvi res, non qvi voces, aut alia instrumenta speculatur. Causam significare rei ali-

alicujus principium & originem, Grammatica seu Lexicon exponit, qvid autem sit causa, qvanam in re causalitas ejus & ratio formalis consistat, qvotuplex illa sit & qvâ ratione à causâ sine qvâ non differat, qvænam proprietates ei insint, scrutari, ad qvandam certè disciplinam pertinebit, qvæ, qvid hoc rei sit, haud ignoret, qvæ principia suppeditet, ex qvibus intellectus harum rerum notitiam haurire ac menti inprimere possit. Ubicunqve enim est subjectum, de qvo aliqvid demonstrare possis, ubicunqve est res aliqva, cui hanc vel illam formam inesse ex immoto principio colligere possis, ibi scientia est. *Scire enim arbitramur unumqvodqve simpliciter, sed non Sophistico modo, qvi est secundum accidens, qvando causam arbitramur cognoscere, propter qvam res est, qvod illius causa sit, & qvod aliter ea se habere non possit*; ait Aristoteles, I. Post. An. cap. II.

XL. Istæ, qvas hactenus recensuimus aliæqve, si sublatæ è medio difficultates, & in instrumentalium disciplinarum ordine stabilita firmataqve fuerit Metaphysica; tum verò Pontificiis, ex usu principiorum Metaphysicorum generalium in Syllogismis Theologicis concludentibus: Lutheranos pro principio Theologiæ non solam amplius Scripturam, sed rationem etiam agnoscere; facile erit respondere distinctione inter principia realia & instrumentalia, dicereqve: se unicum principium rerum Theologicarum venerari Scri-

pturam ; qvamqvam plura possint esse instrumenta, Logica, Rhetorica, Grammatica, Lexica, qvorum adminiculo principium istud Theologiæ ad conclusiones Theologicas adhibeamus. Interea verò nodum illum Pontificium, qvi ei sententiæ nondum adstipulamur, haud ita dissolvemus, cum magno numero, magniqve nominis viri in Ecclesia nostra vixerint, qvi persvasi, Metaphysicam disciplinam realem esse & principia ejus ad conclusiones Theologicas materialiter concurrere, qvibus consequentia ista Pontificia objici possit, qvi ab exprobratro crimine ideo liberati non erunt, qvia nos Metaphysicam pro instrumento habemus. Qvare & nostram & illorum sententiam ampliori propugnatione tuendam esse censemus.

XLI. Sunt igitur, qvi difficultati removendæ rem alia via aggrediuntur, dicentes: propositiones illas rationis, qvæ in syllogismos Theologicos cooptentur, vel formaliter & totidem verbis, vel materialiter saltem & virtute revelatas esse, adeoqꝫ propositionibus ῥητῶς revelatis prorsus æqvipollere. Perinde enim revelatum & sacrum & Theologicum esse, qvoad διανοίαν & sensu, qvam qvod exsertis verbis in Scripturâ extat. Nihil igitur hic amplius relinqvi dubitationis. Propositionem exempli loco in superiori Syllogismo positam: Qvicunqve alius est à Deo patre, is ab eodem realiter differt; & similes alias complures, scripturarias

rias esse, qvippe Scripturæ conformes atqve ex inductione exemplorum in Scripturâ compresorum facile posse demonstrari. Qvamqvam igitur ex ratione etiam innotescat, in hoc tamen & similibus Syllogismis non eatenus considerari, sed potius, in qvantum earum veritas doceri possit auctoritate & argumentis Scripturarum. Ita qvidem illi. Sed nos, etsi qvemvis suo abundare sensu & frui opinione patiamur, eorum tamen sententiæ non accedimus. Revelatum enim aliqvid dicitur dupliciter, generaliter, pro omni eo, qvod verbo Divino comprehenditur, & strictè, qvatenus naturæ contradistinguitur; estqve id, qvod non innotescit, nisi reveletur. Scholastici hoc ita pronunciant: esse nonnulla revelata efficienter tantum; in qvantum nempe à Deo simul cum aliis revelatis in literas redacta, aut, ut redigerentur, mandata sunt; qvædam verò præterea revelata esse etiam subjectivè, qvoad entitatem suam, qvâ ipsorum totum esse non aliunde cognoscitur aut cognosci potest, nisi ex revelatione. Prioris generis propositiones revelatæ propriè & accuratè loqvendo Theologicæ non sunt, sed solum posterioris. Ratio est, qvia si sola revelatio Theologicas efficeret, infinitæ propositiones naturales, ῥητῶς in Scriptura extantes, utpote: funis triplex non facile rumpitur, omnes aqvæ fluunt in mare, Sol diem, Luna noctem illuminat, atqve similes Theologicæ essent, qvod oppidò absurdum. Qvinimò cum ipsa singu-

larum disciplinarum philosophicarum summa principia, consequenter omnes conclusiones inde derivatæ, ex Scripturæ vel exemplis vel præceptis vel regulis nullo negotio educi possint, adeoque materialiter in Scripturâ comprehendantur; nulla amplius propositio rationis erit, omnes verò futuræ sunt revelatæ & Theologicæ. Quæ quanta sit disciplinarum & scientiarum confusio, sine ulteriori disquisitione facile intelligitur. Patet hoc amplius ex fine revelationis propriè dictæ. Is enim est, liberare intellectum connatâ mysteriorum ignorantia & deducere hominem mediante articulorum fidei notitiâ ad æternam animæ salutem. At quæcunque rationis sunt, ad hos fines impetrandos nullo causandi genere quidquam conferunt, sed duntaxat, ut conditio se habent præsuppositiva, ut barbaro vocabulo utar, quæ in eo antecedenter requiritur, cui revelationes ad fines supra nominatas proponuntur. Quæ igitur revelatio horum in se continet, ea aliunde mutuò sumit, aut iis tanquam præsuppositis, non tanquam propriis, utitur, adeoque illa revelatis nullo modo conferri debent aut æquiparari. Deniqve hoc etiam analogia ostendit cum aliis aliorum habituum principiis. Quæcunque enim corpus juris civilis, quod principium est Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ, ex Ethicâ, ex Politicâ, ex Physicâ aut Metaphysica in se complectitur, quæ certè sunt quamplurima, ea ideò, quod huic corpori inserta & aliunde

quasi

qvasi mutuò tradu&ta sunt, Juridica non fiunt, aut civilia. Qvis enim toleraret eum, qvi propositiones Metaphysicis infinitas, utpote: impossibile est idem simul esse non esse; necessarium est, qvod aliter se habere neqvit; qvicqvid est causa causæ, est etiam causa causati; à posse ad esse non valet consequentia; qvi vult finem, vult etiam media ad finem ducentia; qvi vult antecedens, vult etiam consequens; ex non ente nihil fit; privatio præsupponit habitum; & alias ejusmodi Juridicas vocaret, ideò, qvod in corpore legum civilium aut Recessuum Imperii vel verbotenus invenirentur, vel certè liqvida consequentia exinde possent deduci? Nulla igitur ratio est, cur in simili Theologicas dicere debeamus propositiones, qvotqvot Principium Theologicum, codex verbi Divini, in sinu suo qvalibet ratione ambit. Nisi dicere velis: sanctificatas esse à Spiritu S. adeoqve cæteris in rigore Theologicis rectè accenseri. Qvid enim tibi est, sanctificatum esse? Anne in libro Divinæ revelationis legi? Ita juris naturam induent, qvæcunqve paulò ante à nobis productæ sunt ex corpore civilium legum Metaphysicæ propositiones. Ita sanctificatæ erunt non tantum propositiones rationis, Scriptura comprehensæ, sed voces qvoqve & syllabæ & literæ; nam & hæ ibi conspiciuntur. Ita sanctificatæ erunt res qvælibet immundæ atqve profanæ, vitia qvoqve & scelera qvælibet immania atqve horrenda, & denicq; qvid non? Nam

hæc talia in Scriptura legi, nemo est, qvi ignoret. Cum igitur ob hanc causam Theologicas, [nisi κατά τι, *secundum quid*, qvatenus aliqvid eorum habent, qvod ad verè Theologicas requiritur, nempe τὸ revelatum esse, cum deficiat altera conditio, supernaturalitas qvoad entitatem,) dici non posse, ex his manifestissimum sit, neqve verò, cur in eo dignitatis gradu collocandæ sint, ratio alia reddi qveat, non-Theologicas & naturales potius esse, ubicunqve sint & inveniantur, ultrò consequetur.

XLII. Supereſt igitur, solvendo dubio, §. XXIIX. proposito, eam distinctionem adhibendam esse, qvam §. XXVII. præmisimus, qvæ ad majorem propositionem Syllogismi hunc in modum applicatur: Qvæcunqve propositio conclusionem Theologicam antecedit, ea est principium conclusionis Theologicæ, vel generale & commune, vel speciale & proprium; qvâqve ita limitatâ, conceditur totum argumentum. Neqꝫ enim alia inter nos atqve Romano-Catholicos unqvam controversia, qvam hæc fuit: an præter verbum scriptum aliud qvodcunqve admittendum sit principium controversiarum Theologicarum proprium? Atqve docuere consensu qvodam Lutherani: solam Scripturam S. esse conclusionum verè & exactè Theologicarum, [qvæ nempe secundum totum esse suum supernaturales, neqve aliunde qvam ex revelatione discendæ sunt] οἰκεῖον, genuinum, proprium atqve speciale principium,

ex

ex qvo concluſiones immotâ, irrefragabili fide, cui falſum ſubeſſe prorſus repugnet, ſeqvantur. Qvo tamen non obſtante ſimul publicè docuerunt: ad concluſiones ex principio iſto proprio eliciendas neceſſaria eſſe non tantum inſtrumenta conſecutionum, [qvæ vel Grammatica vel Logica vel Rhetorica, ut organici habitus, fabricant & ſubminiſtrant] ſed etiam alia principia materialia, licet communia & generalia. Neqve enim v.g. Spiritum S. perſonam eſſe, demonſtrari poſſe ex proprio principio, Scripturâ, niſi mediante hoc principio philoſophico & communi: qvicqvid loqvitur, teſtatur, clamat, illuminat, regenerat & actiones ejusmodi hypoſtaticas edit, id eſt perſona. Huic enim minorem ſubjicere revelationem; atqvi Spiritus S. hæc talia præſtat. Ergo. Sed nec alia principia, utpote antiqvitatis conſenſum, Eccleſiæ traditionem, Doctorum virorum auctoritatem, concluſioni Theologicæ adhiberi poſſe unqvam negarunt Lutherani, qvin potius Loci eorum Theologici & Compendia etiam Theologiæ, ex his talibus argumenta deſumpta fuiſſe, [argumentum autem & principium ſunt ἰσοδυναμοῦντα, qvia utrumqve notat id, unde aliud, utpote hic concluſio, procedit, qvæ eſt principii definitio] omnibus propemodum paginis teſtantur, ſed hoc tantum negarunt; concluſionem ex his principiis tali fide conſeqvi, cui falſum ſubeſſe contradictionem importet, ſed qvicqvid exinde fidei, qvicqvid certitudinis

tudinis est, id omne probabile tantum, humanum, errori obnoxium esse, neqve ad eam infallibilis fidei, qvalis ad res Theologicas, tranqvillandæ conscientiæ, reqviritur, eminentiam ullo modo ascendere. Qvæ cum ita sint, absurdum non est, rationis propositiones in Syllogismo Theologico principia conclusionis, licet communia & generalia, vocare. Nam nec in cæteris disciplinis, v. g. Ethica, Politica, Physica, Mathematica, qvando de principiis eorundem qværitur, communia principia excluduntur, qvamqvam de solo principio cuilibet disciplinæ proprio in fronte ejusdem agatur. Cum igitur disputatur: qvodnam sit Philosophiæ moralis principium? non respondetur: impossibile est idem simul esse & non esse, posita causa ponitur effectus, actiones sunt suppositorum, qvicqvid est, per suam formam est, totum est majus suis partibus, contraria non possunt esse simul in eodem subjecto, & infinita talia, qvæ in Syllogismis moralibus ubiqve comparent, & sine qvibus Ethicus conclusiones suas probare non potest: sed: qvicqvid natura & recta ratio dictat, id credendum & seqvendum est. Ejus rei si interroges causam, haud alia reddi potest; qvam ita qværentem proprium, non commune, desiderare scire principium, adeoqve de proprio, non de communi, respondendum esse. Ita ergo cum qværo: qvodnam sit Theologiæ principium? proprium investigo, non commune, adeoqve de proprio,

non

non communi, ordinariè & rectè respondetur, Qva de re in ea disputatione, cui titulus est: *Specimen Analyseos Logicæ, circa eruendos ex S. Literarum testimoniis fidei articulos, exemplo controversarum qvarundã circa principium Theologiæ propositionum ostensæ*, §. VIII. & XIII. amplius dicemus.

XLIII. Illustratur hæc res simili causæ universalis & particularis, qvarum illa est, qvæ influit qvidem in effectum, sed indeterminatè atq; indifferenter, effectum ad tale esse non determinando, ut Deus in generationem hominis; hæ verò, qvæ affectui dat speciem, à qva effectus id est, qvod est, ut ab homine homo. Sicut igitur, cum qværitur: qvisnam sit causa vel parens Petri aut Pauli? qværentis desiderio non satisfit, cum Deum esse causam vel Patrem ejus respondetur, cum non de remotâ & universali, sed de particulari & proximâ scire qvidpiam concupiverit; rectè verò & ad mentem interrogantis respondetur: Sempronium esse Petri parentem: Ita qvoqve sese res habet circa principium cognoscendi, qvod essendi principium & causam in ratione istâ universalitatis & particularitatis imitatur. Hoc duntaxat observandum est, propositionem rationis universalem seu generalem dici, non ratione signorum qvantitatis, [fieri enim potest, ut ex natura & ratione nota propositio sit particularis in Syllogismo Theologico, Theologica verò universalis, ex. gr. Qvicunqve voce mundi continetur, eum Deus per Filium mediatorem, fide

fide apprehensum, salvare constituit. Atqvi Petrus voce mundi continetur. Ergo] sed in ordine ad inferiora sive diversas disciplinas, qvibus ista ita communis est, ut omnes eâ pro libitu uti possint. Qvæ igitur propositio conclusionem determinat ad unam disciplinam, ea ejus principium proprium est, qvæ indeterminatam relinqvit, commune. Jam verò propositio illa rationis: Petrus voce mundi continetur; adeo conclusionem ad certæ disciplinæ proprietatem non restringit, ut aliæ plures scientiæ in usum suum traducere facillimè possint. Cum enim dico: Qvicunqve voce mundi continetur, is est ens. Atqvi Petrus voce mundi continetur. Ergo; conclusio Metaphysica est. Cum vero dico: Qvicunqve voce mundi continetur, is vel in parentium est ordine, vel imperantium. Atqvi Petrus. Ergo; conclusio est Politica. Cum deniqve dico: Qvicunqve voce mundi continetur, is ad objectum pertinet Medicinæ, qvippe qvod omnem humanam personam ambitu suo involvit. Atqvi Petrus. Ergo; conclusio Medica est. Ex qvo proclive est, de cæteris qvoqve judicare.

XLIV. Necesse est, ut aut idem dicere voluerint, aut terminis vehementer fuerint abusi, qvi distinguentes inter principium scientiæ & conclusionis, rationem & antiqvitatis consensum scientiæ principium esse negarunt, concesserunt autem esse principium conclusionis Theologicæ. Qvod si enim hoc ita intellexe-

runt:

runt: rationis argumenta & antiqvitatis ecclesiasticæ auctoritatem, qvalemcunqve qvidem, nec erroris periculo exemptam, in conclusionibus Theologicis posse fundare fidem; vel propositionem rationis in Theologico Syllogismo apparentem ad conclusionem qvidem aliqvid, ad instar principii & causæ communis atqve generalis, adjicere: scientiam verò Theologicam, ut talem, id est, indolem & certitudinem habitus Theologici generare solam propositionem revelatam, rectè eqvidem se res habet & distinctio tolerari utcunqve potest. Qvippe alias scientiam & conclusionem opponi, revera absurdissimum est. Qvid enim scientia seu habitus scientificus aliud est, qvam conclusiones, ex principio habitus deductæ? Cujus certè intellectui insunt conclusiones physicæ, ex principio physico per legitimos Syllogismos & conseqventias extractæ, is habitu gaudet scientiæ physicæ. Et qvid scientia Theologica aliud est, qvam scientia conclusionum Theologicarum, ex principio verbi Divini manantium? ut adeò, qvicqvid generat scientiam, generet conclusiones, & qvicqvid conclusiones facit, id & facere scientiam, adeò apertum sit, ut qvi hæc non videt, in ipsâ certe meridie caliget. Scire est utiqve rem per causam cognoscere. At qvi ex principio conclusionem deducit, is rem per causam suam cognoscit; scientiam igitur rei habet & qvidem per ἀπόδειξιν generatam.

XLV.

XLV. Hæc hactenus à nobis expositа sententia non destituitur suffragio clarissimorum Theologorum, è qvibus primo loco nominandus est, qvi eandem contra Nic. Vedelium integro & elegantissimo opere, *Tractatu de usu principiorum rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis*, magnâ certè diligentiâ, nec minori ἀκριβείᾳ Anno M.DC.XLIV. defendit & exposuit, D. Jo. Musæus, meus qvondam, qvod grato animo agnosco, in Academiâ Salanâ Præceptor honoratissimus. Qvem in eâdem Academiâ, cum Logicas observationes auditoribus privatim prælegeret, A. M.DC.XXIX. antecessit, è primariis Ecclesiæ nostræ postea Theologis, D. J. C. Dannhauerus, in Id. Bon. Disp. & Mal. Soph. Sect. II. §. XCIV. ubi opinionem hanc seqventibus verborum ornamentis illustrat: *Studiosè advertendum est, qvod lib. II. prior, Aristoteles monet, fieri posse, ut aliqvis aliqvid sciat in genere, qvod tamen ignoret in specie. E.g. Est, qvi ex Physicis audivit de naturâ magnetis verba fieri, deq; ejus mirabili virtute ferri attractivâ, nunqvam autem in individuo vidit magnetem. Sed fac, ex improviso venire eum ad Agyrtam, qvi hoc miraculo naturæ ad se venditores alliciat, acuat itidem rusticorũ cultros, hujus lapidis virtute attrahant illi ferrũ; videt hoc Physicus auditor atqve illicò in memoriam sibi revocat, qvid à Præceptore audiverit, nimirum: omnem lapidem attractivum ferri esse magnetem. Illicò ei succurrit minor: Ecce hic lapis est attractivus ferri. Ergo concludit: hic lapis est magnes. Ita fit, ut*

nunc

nunc scias in particulari quog. Ita principia Philosophica sunt generalia, quorum sæpe usum nescias, cum non semper occurrant exempla. Quod si tamen deinde alio habitu imbutus, ad superiorem facultatem admissus, tibi occurrat aliquod exemplum antea ignotum, illicò, quod in genere aliquando didicisti, applicare licebit sine ullo vitio. [Sic generale est: omne æternum est Deus; Scriptura ergo, tanquam specialiori principio, dicente: Filius Dei est æternus, ultrò intellectus apprehendit, eum esse Deum] *Eodem modo, etsi nesciat Juris studiosus, cui bono ipsi sit Metaphysica aut Philosophia, admissus deinde ad facultatem sentit commodum, ut cum de causis ei sermocinandum est, de circumstantiis atque substantiis actuum, (quæ à Metaphysico nomine accidentis & essentiæ exprimuntur) de formâ itidem actuum, &c. ei illicò occurrat id, quod olim in Philosophiâ audivit. Et, (quæ Ciceronis alicubi comparatio est) sicut, qui in sole ambulant, etsi non propterea ambulant, ut nigrorem contrahant, nihilo tamen minus colorantur: Sic etsi Philosophiam solius jucunditatis ergo discas, tamen cum ad facultatem penetraveris, ejus usus se tibi offert ultrò.* Secutus autem est Theologus eruditione & vitæ sanctitate nulli maximorum secundus, Præceptor & in impetranda gradus Licentia Promotor, optimè de me meritus D. J. N. Mislerus qvi A. MDCLXV. in Synopsi Theologica, in qva omnium Christianæ religionis capitum Thesis orthodoxa nervosè traditur & explicatur. Disp. II. Th. IX. §. V. hæc scribit: *Consequentiarum evidentiam labefactare non potest, sive inferantur illæ ex præmis-*

sis, quarum utraque Scripturæ est, sive altera sit ex Scripturis, altera ex ratione, sufficiunt tamen ad probandum articulum fidei. Ex. gr. Omnis homo in peccato conceptus & natus, est filius iræ. Omnis Adæ filius est talis. Ergo. Utrag; desumpta est ex Scripturâ. Vicissim: Omnes filii hæredes sunt suorum parentum. Omnes fideles, sive qui spiritu Dei aguntur, sunt filii. Ergo sunt hæredes Patris cœlestis. Major est rationis, minor revelationis, scilicet Scripturæ. Improbant Walenburchici, in Exam. princ. probationes, ex principio rationis, sive medio naturali deductas, quia in illis ratio unionis prædicati cum subjecto, etiam à medio, ex ratione petito, dependeat. Sed notandum, quod propositio illa rationis, vel communis & indifferens sit, ad plures diversarum disciplinarum conclusiones, vel unius solum conclusionis proprium sit medium seu principium. Posteriori modo constat, ad probandam conclusionem fidei inservire non posse. De priore secus se res habet. Cum enim tale rationis principium commune sit & indifferens ad conclusiones diversarum disciplinarum, determinatur illud in conclusione à materiâ, quæ est revelationis in Scripturâ; sicq; transit in naturam determinati, vel induit naturam ejus cui applicatur, adeò, ut dum ante applicationem fuerit absolutum, in applicatione fiat respectivum. Solet autem respectus quandoque naturam mutare indifferentis, prout ex Philosophicis constat.

XLVI. Ostensum hactenus est, eximium esse primæ Philosophiæ in Theologia usum & qualis ille usus sit, clarissimè, nisi fallor, expositum est. Quemadmodum vero ubique res etiam

etiam optimæ ac nobilissimæ in profanos turpesqve sæpe degenerant abusus: ita & cum Metaphysicâ, imò Philosophiâ in universum, in ordine ad applicationem ejusdem, comparatum esse, non potest dubitari. Non eqvidem qvidqvam rei prima Philosophia habet, qvod ex se & per se obsit Theologiæ aut mysteriorum Divinorum puritatem contaminet. Absit à nobis, ut cum delicatulis qvibusdam ad omne id nauseabundi stomachum commoveamus, qvod non vel totidem syllabis vel certè idem sonantibus Sacratissimarum nobis Literarum tenor exhibuerit, qvasi vel simplicitas vel castitas Christianæ religionis profanetur mundanæ, ut loqvi amant, Philosophiæ amore. Neq; enim ideò nobis Divina sapientia & bonitas, inæstimabile munus, rationem indidit, eamqve inexplebili sciendarum rerum variarum desiderio instruxit, ut bestiarum instar proculcare Divinum beneficium & profanum proclamare, qvod sanctissimæ manus Dei donum est, mortalium teterrimi & ingratissimi debeamus. Cur verò Theologicam meditationem inqvinabit earum rerum scientia aut conjunctio, qvæ à Deo non minus ac ea, qvæ revelata sunt, originem ducunt, qvæqve intellectum nostrum, qvi mysteriorum revelatorum notitia ornandus est, ab ea caligine, qvæ nobis cum brutis intercedit, liberat, inqve eum perfectionis deportat statum, qvi naturali desiderio & instinctui, à Deo ipso ei implantato, conveniens est? Magna cer-

tè nobilitas est, ea scrutari, ea scire, qvæ in naturalium corporum, cœli, terræqve, & astrorum & elementorum & arborum & lapidum & animalium & hominis ipsius, consideratione nobis repræsentat disciplina, qvæ naturalis seu Physica dicitur. At qvo hæc propria sunt sensibus, eò minus ab illa conditione, qvæ nobis cum bestiis communis est, recedunt. Qvo verò altius intellectus in universalium & abstrusarum rerum animadversionem fertur, qvo supra corporeæ molis materiam sublimius ascendit, qvo μεταφυσικώτερος est, ut ita loqvar, hoc, qvæ homine, ut homo est, digniora facit, hoc se magis corporis qvasi vinculis exsolvit & in animæ suæ proprietatem convertitur, hoc deniqve Deo rebusqve Divinis propriori affinitate accedit. Qvomodo verò hac tam digna homine, tam propinqva Deo, tam in se absoluta & perfecta mentis nostræ scientia, fœdare rerum sacrarum simplicitatem qveamus, nisi repugnare sibimet æternum numen, qvodqve rectæ naturæ impetu nos colere voluit, id revelata voluntate nos abjicere, contemnere, saltem perfectionem ejus defugere & qvæ in se conjunctissima sunt, dissociare, velit, qvæ detestanda hypocrysis absit à tam sancto Numine! ego nullo modo videre possum aut apprehendere.

XLVII. Qvicqvid igitur abusus præstantissimæ disciplinæ affricatur, id ei extrinsecum est, neqve scientiæ ipsi ullo modo debet imputari. Vel enim id, qvod in Metaphysica traditur, falsum

falsum est & à veritate, qvam profiteri debebat alienum ; qvod in Theologiam transsumptum qvid aliud qvam errorem parere potest? cum ex errore error nascatur, imò fœcundus sit error, qvippe, qvi infinitos ex se gignit errores: Vel qvamvis id, qvod in prima Philosophia docetur, verum sit, non tamen eodem veritatis candore rebus Theologicis applicatur ; at verò mirum aut insolens non est, monstra surgere, ubi, qvæ non congruunt, etsi in se haud fuerint deformia, conjunguntur;

Humano capiti cervicem pictor eqvinam
Jungere si velit & varias inducere plumas,
Undiqve collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Vel deniqve terminorum aut qvæsita novitate aut obsoleta barbarie laborant, qvi in disputationes Theologicas traducti vel solem ipsum obscurant & nitorem incorruptæ castæqve virginis immani atqve intoleranda deformitate commaculant.

XLVIII. Eqvidem in confesso est, Philologum Hebræum & Philosophum Primum non posse hodie defugere eos in proponenda scientia loqvendi modos & voces, qvæ graves sunt latinis auribus, nec in seculo, qvod consensu nitidum & elegans fuit, usurpati. Placet nobis sententia *Melchioris Cani*, Episcopi Canariensis, qvi vir sine dubio eruditus cum doctrina, qvod præter morem seculi sui erat, styli elegantiam conjunxit. Is in Proœm. Loc. *De*

rebus obscuris atqve ad intelligendum difficilibus dilucidè dicere, nec sententiis solum argutè, sed verbis etiam ornatè, adeò est operosum & arduum, ut iniqvus futurus sit, qvi voluerit efflagitare. Malim enim si alterum optandum sit, indisertam scientiam, qvam inscitiam loqvacem. Concedenda igitur sunt nobis in scholasticâ disputatione vocabula barbara, qvod alias sæpe deprecati sumus, ac jure obtinere debemus, qvoniam Theologicas res ornatè dicere velle puerile est. Certè Theologo, si afferat eloqventiam, non est aspernanda, si non habeat, non admodum flagitanda. Tantum complectatur verbis, qvod vult, & dicat plenè, qvod intelligit.

XLIX. Sunt certè hodiè, qvod dolendum est, multi, qvi in eo sibi mirificè blandiuntur, nonnulli etiam, qvasi rem aliqvam egregiam & ad posteros memorandam facturi, multos dies, immò annos desudant, algentqve, ut Metaphysicam & ex hac Theologiam, novis, inauditis, portentosis terminis adaugeant, qvi qvo durius in auribus sonant, qvo insueto magis fragore menti molesti sunt, qvo à latina elegantia & svavitate longius recedunt, eo melius se de re literaria meritos esse, vanissimi hominum intra se persvadentur. Qvo fit, ut Holkotianum & Bricotianum seculum, adeoqve lurida veterum Scholasticorum Theologia, qvod è cordatis viris hodie plurimi conqveruntur, per anticam à Luthero eliminata per posticam magno conatu videatur reduci. Qvidam, ô rem iniqvam! ea versantur in opinione, si qvis hodie Theologorum orationis venustatem sectectur,

tur, si non in omnibus lineis formalitates & virtualitates & qvidditates & causalitates crepet, si barbariem aliqvando cum latinitate, ubi fieri potest, commutet, indicium id esse: hominem ejusmodi non esse Philosophum, non esse accuratum, non esse eruditum. Qvi verò res omnium clarissimas terminis græcis latinisqve, usitatis fictisqve, [licere enim ajunt Philosopho ὀνοματοποιεῖν] inveteratis novisqve, auditis inauditisqve, inprimis verò adeò tetris & obscuris, ut lector ad primum eorum intuitum in profundam admirationem & qvendam stuporem rapiatur, ut inusitatum atqve incredibile viri acumen, tam bellè composità, tam horridè sonante voce, plaustra rerum & vix cogitanda momenta designans, in cœlum usqve laudibus attollat, artificiosissimis tenebris involvere & Oedipo, in qvibus ingenium conjectando & divinando exerceat, amplissimam materiam submINistrare, deniqve scholasticorum subtilitates omnibus paginis adducere, eorumqve nomina infinito numera coacervare novit; is verò vir est, is omnium ore jactatur, is profundæ eruditionis copiâ neminem habet parem, talem vix aliqvot secula ferunt virum. O mores seculi nostri molestos! Qvasi verò Divina & cœterarum scientiarum omnium præstantissima, Metaphysica, ornatum dicendi genus repudiet! Qvasi vero scientia, in qva fastigium humani intellectus & summæ perfectionis consistit, horridam verborum asperita-

tem, qvod indignum cogitatu, nedum dictu est, data opera affectet. Qvasi vero sola Latina lingva, ille gentium omnium Mercurius, enunciandis rebus Metaphysicis, qvod exoticæ sordidæqve lingvæ Gallica, Hispanica, Italica, Anglica, in qvibus abstrusissima qvæqve disciplinarum hodie conscribi palam est, feliciter præstant, inepta esset! Eqvidem consvetudine, qvæ legis vim obtinet, factum est, ut plures forte in Metaphysicam, qvam in cæteras disciplinas, si comparationem instituere velimus, illatinarum vocum termini irrepserint, qvi diuturno usu incultam duritiem qvodammodo exuerunt, civitate qvasi latinâ qvodam doctorum consensu donati: sed ideo nova barbaries non studio sectanda est, aut defugienda opera, ubi pro incultis vocabulis tersa & latina usurpare possis. Immortalem vero rectè sentientium judicio, citra dubium nominis mererentur gloriam, qvi ad latinum nitorem nobilissimam hanc Philosophiæ partem, institutâ reformatione, revocarent, qvod, inter cæteras illustrandæ Philosophiæ destinatas curas animo agitasse virum, omnibus ad tantam rem præsidiis à Divina providentia liberalissimè instructum eruditorum nostro seculo qvendam Phœnicem, JO. FREINSHEIMIUM, audio, qvamqvam illius facti successus, ut sunt temporis nostri mores, optandus potius foret, qvam sperandus. Interea, qvos benignior natura, aut proficiendi occasio à verâ latinitate & vetustâ

tustâ loqvendi munditie exclusit, iis certè laudabile erit, si, qvousq; licuerit, in hac eruditionis parte progrediantur, si gratiam latini sermonis, à qvâ ipsi exulant, saltem ament, inqve aliis commendent, si in eo ponant ingenuam operam, ne barbaries qvæsita potius qvam rejecta videatur. Neqve enim omnia possumus omnes: & veræ solidæqve eruditionis initium est, qvo pervenire ingenii impetu non possumus, saltem anniti, ut eò perveniamus.

L. Hac de re ita loqvuntur Ecclesiæ nostræ Doctores. D. Jo. Wandalinus, de Theol. in gen. §. XV. *Sufficere arbitramur, si Theologus probè, emendatè & commodè loqvatur atq; scribat. Affectatum enim illum latinitatis nitorem & fastuosam elegantiam, si ambitiosâ operâ perqviratur, Divinæ hujus sapientiæ majestate indignam judicamus.* Sebastianum Castellionem perstringit, qvi nova & inaudita Ecclesiæ nomina pro notis & receptis obtrudere non dubitarit. Augustinus, qvi post Lactantium nitidissimè loqvitur, integrum librum IV. de Doctr. Chr. eloqventiæ Theologi exponendæ insumit. Capiti VIII. hic præfigitur index: *Doctori perspicuè loqvendum esse.* Caput IX. hunc habet titulum: *abstrusiora vel proponi non debere, vel conandum esse, ut explicando plana fiant.* Capiti X. hæc datur nota: *perspicuitatis potiorem rationem, qvam elegantiæ meritò haberi.* Capite XI. inter alia eleganter hunc in modum loqvitur: *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Qvid*

enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, quam patere, quod clausum est? Sed quum inter se habent aliquam similitudinem vescentes atq; discentes, propter fastidia plurimorum etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt. Nec mihi displicent verba D. Georg. Calixti, in Apparat. quæ ideò subjiciemus : *Hoc saltem admoneri operæ pretium videtur, elegantiam & puritatem sermonis sanctissimæ disciplinarum, verbiq; Dei omnipotentis, rectè ancillari & ad explicandum dogmata & mysteria religionis jure meritoque adhiberi; minimè verò decere, ut, quæ reverenter tractari debent, sordibus & barbariei dictionis contaminentur. Non autem sordida vel barbara haberi oportet, quæ necessitas rerum rectè & distinctè exponendarum exigit, etiamsi apud Tullium vel alios dicendi magistros non inveniantur. Usi absque dubio etiam ipsi fuissent, si easdem res cognoscere & tractare iis contigisset. Nunc cum ea fuerit hominum disertissimorum infelicitas, ut in argumento prorsus alio omnem suam elegantiam & facundiam occupaverint, nihil mirum, apud eos, qui res longè diversas tractarunt & nostras penitus ignorarunt, singula verba nostra inveniri non posse. Quæcunque verò ad res illustrandas aut explicandas faciunt, hoc ipso, quod sine eis commodè vel distinctè res exponi nequeunt, civitate donantur.*

LI. Sed & alias abusus primæ Philosophiæ species querulas Theologis, de morum in Ecclesia emendatione sollicitè cogitantibus, voces expresit, qva fieri cernimus, ut Metaphysicæ

ſieæ ſubtilitates ſpinoſis potius & inutilibus qvæſtionibus, qvam vel neceſſariis fidei articulis, vel promovendæ vitæ Chriſtianæ ſanctitati aptentur. Socratem, qvi Apollinis oraculo mortalium ſapientiſſimus proclamatus eſt, nullum majus operæ precium, nec rem memoria digniorem feciſſe, judicavit antiqvitas, qvam qvod Philoſophiam, à rebus occultis, involutis & intricatis avocatam, ad communem vitæ uſum & morum honeſtatem traduxit, relegatis iis, qvæ vel à naturâ ipsâ qvodam qvaſi ſilentio occultata, vel ſi maximè cognita eſſent, nihil tamen ad benè vivendum conferre exiſtimaret. Qvanto magis igitur Chriſtianos decebit, id operam omni ſtudio dare, inqve id omni animi contentione anniti, ne intellectum vanis qvæſtionum curioſitatibus & verborum rixis atqve jurgiis, veræ pietatis & virtutis exercitia turbantibus potius qvam promoventibus, impleamus, ſed ut ex laboribus noſtris ſcholaſticis aliqvid ſemper emolumenti atqve utilitatis in Eccleſiam, in remp. in vitam privatam, in eos inprimis redundet, qvi rerum Divinarum cognitioni operam ſedulo impendunt & cum Chriſti atqve Eccleſiæ ejus hoſtibus, de religionis controverſiis certamen aliqvando ſunt certaturi?

LII. Fatemur tamen, etiam hic ita cautè loqvendum eſſe, ne vel in exceſſu vel in defectu peccetur. Qvidam omnes qvæſtiones Metaphyſico-Theologicas, cujuscunqve generis ſint,

sint, eo qvod à fidei in Scripturis sine ullis Philosophicorum verborum involucris propositæ simplicitate recedere videntur, vel nudæ & inanis acuminum & subtilitatum contemplationis, vel certè spinosissimarum, qvibus irreparabile tempus magno cum veræ eruditionis damno teratur, tricarum nomine infamant atqve traducunt. Aliis volupe est, in rarioribus qvæstionibus, qvantumlibet ineptæ sint atqve futiles, totam vitam occupari & bonas chartas admodum inutiliter perdere, qvibus nihil placet, nihil ad palatum est, nisi spisfis Metaphysicorum nugis & qvisqviliis undiqve, veluti lepusculus aliqvis lardi segmentis, probè fartum cumulatumqve fuerit. Qvorum scripta Theologica, si intuearis, non hoc agere videntur, ut meliores, sed ut doctiores, neqve doctos in re qvapiam publicè utili, sed in tricis, nauci habendis reddant; &, qvod deplorandum est, ad tantos scilicet thesauros innocuam juventutem, aspera difficillimaqve via deducunt, ut rei teruncio non emendæ exitiosam notitiam ingenti & Herculeo labore redimant. Qvæ enim qvotidiana sunt, qvæ in vulgarium Theologorum compendiis inveniuntur, qvæ teruntur manibus universorum, ea haud digna sunt, ut magnorum istorum Theologorum, qvi Doctoribus tantum non tyronibus scribunt, industriam exerceant. Singularia igitur & aliis indicta atqve intacta amant, in his vim ingenii igneam ostentant, & ne ab omnibus intelligantur,

tur, [neqve enim eorum sacraria cuilibet è trivio intrare fas est] plenos ænigmatum, qvæ ne Hermes qvidem posset ἑρμηνεύειν, libros conscribillant; atqve ita, ut alicubi Lipsius loqvitur, *detorqvent rectissima ingenia & in acuminum flexuosos Labyrinthos abducunt à vero Philosophiæ fine.*

LIII. Qvis vero, ut de his posterioribus primum dicamus, perversam hanc Philosophandi methodum non molesto animo ferat? Qvis ad hoc seculi nostri caceöthes non ingemiscat? Ii, qvi Theologorum principes salutari cupiunt, qvi in acie stant adversus Christiani nominis hostes, in qvos omnium cæterorum ora oculiqvæ convertuntur, suam malunt qvam, cujus ministri esse debebant, Dei qværere gloriam. Qvi in Lutheri, tanqvam antecessoris sui, veræ Theologiæ à fecibus Scholasticorum instauratoris felicissimi, nomine gloriantur, ii violentia qvadam & impetu sectari iterum gestiunt tenebricosi, qvod magna bonorum omnium gratulatione & applausu abolitum fuit, regni flosculos; qvid hoc aliud est, qvam repuerascere velle & ad pristinam balbutiem vel vaniloqventiam potius reverti? Rogo te, si irato qvopiam fato, in isto Philosophandi & Theologisandi genere, qvod omnem non modo succum & sangvinem, sed etiam colorem & speciem pristinam amisit, perrecturi sumus, utrum immerito de Ecclesia nostra dicetur, qvod de sui temporis statu enunciavit Gregorius Nazianzenus, cognomine Theologus,

logus, *vir* juxta Rufinum, *per omnia incomparabilis, verbo & operibus clarus?* in Orat. funebri, Athanasio habita, ubi ita loqvitur: *Fuit qvondam tempus, cum res nostræ florerent & præclare se haberent, cum nimium superflua hæc & verborum lepore atqve arte fucata tractandæ Theologiæ ratio, ad Divinas caulas ne aditum qvidem habebat. Verum idem erat, calculis ludere, inversionis celeritate aspectum fallentibus, aut omnigenis & lascivis corporis flexibus, spectatores ludificari, qvod novi qvidpiam & curiosi de Deo vel dicere vel audire; simplex contra ingenuaqve oratio atq; doctrina pietatis existimabatur. At posteaqvam Sexti & Pyrrhones & contradicendi libidine concitata lingva, velut gravis qvidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras irrepsit infeliciter, qvodqve Actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus, qvam ad novi aliqvid dicendum vel audiendum: ô qvis Hieremias confusionem nostram caliginemq; deplorabit, qvi solus lamentationes calamitatibus exæqvare novit! Hanc rabiem auspicatus est ille à furore nomen habens, Arius, qvi etiam petulantis & effrenatæ lingvæ pœnas dedit.* Hactenus ille non minus verè qvam egregiè.

LIV. Priores vero illos, qvod concernit, actiones finibus distingui, meminisse debemus Qvi enim minutias etiam Metaphysicorum persequitur, & ut subtilitates qvasvis in hoc studio velut in numerato habeat, nec acerrimo cuiqvam Metaphysicorum, si qva in arenam cum ipso descendendum est, cedere cogatur, omnes ingenii nervos & diligentiæ numeros

meros excutit, eum in finem, ut aliqvando publico docendi Metaphysicam officio admotus, aliis hanc disciplinam fideliter tradere & solenniter profiteri possit, is, qva ratione culpandus potius, qvam laudandus sit, non apparet. Qvod si vel Pontificiorum vel Calvinianorum qvisqvam, qvi Metaphysicarum disceptationum, ut faber mallei ferræqve suæ tractandæ, peritus est, cum Lutherano Metaphysices Professore in serium colloqvium veniat, huncqve artis suæ non usqveqvaqve gnarum, sed ubiqve vacillantem, ubiqve cespitantem deprehendat; qvam iste maculam ordini suo asperget inglorius disputator? In medium illico prodibit cavillator clamabitqve Maccovius aliqvis: *Lutheranos, in Metaphysica rudes, ignorare, qvid sit objectivè, qvid realiter agere?* Lib. II. Metaph. c. IV. Qvamqvam vero primæ Philosophiæ Professori ad minutias juventutem & difficultates docendo manuducere haud conveniat, cum tamen ipse sine exacta etiam abditissimarum controversiuncularum notitia, cætera, qvæ auditores suos docturus est, exqvisitè intelligere neqveat, ultro patet, eundem scientiæ illarum qvoqve rerum, qvæ usum suum non ita directè in alias facultates transfundunt, expertem esse non posse. In Mechanicis non ea tantum opera artis magister fabricare norit, necesse est, qvæ qvotidiano usui sunt, sed & qvandoqve diu antiqvata, utpote sutor in Germania cothurnum; non qvod inutilibus

qvem-

qvemqvam adsuefieri conducat, sed qvod in his evidentius, qvam in cœteris, utpote facilioribus, opificis acumen & artificiosa manus eluceſcat.

LV. Id qvod & ad controversiarum Theologicarum Doctores extendendum esse, facile ostenditur. Neqve enim id duntaxat illis incumbit, ut futuros Ecclesiæ ministros in iis, qvæ ad obeundum officium, ad sanam doctrinam auditorib. suis qvondam propinandam, ad depellendum infestum ovili hæreticorum agmen, simpliciter necessaria sunt, abs qvibus ne verorum qvidem animæ curatorum nomen vicesqve sustinere qveunt: sed ut hæreticos varii generis, qvi doctrinam nostram, qvi scholas, qvi Ecclesias oppugnant, appositè & ne qvid illi in eruditione nostra jure desiderare possint, refellere, & opponere iis ea arma telaqꝫ possint, qvæ in nos illi jaculabantur. At qvomodo hoc sine absolutissima qvarumvis subtilitatum Metaphysicarum peritia fieri qveat, ni turpiter te dedere & ignorantiam tuam, cum æterno Ecclesiæ nostræ dedecore, velis profiteri, nè cogitari qvidem potest. Norunt enim illi simplicissimas de cœtero controversias obscurissimis terminorum Metaphysicorum integumentis ita vestire, ut ni apprimè horum omnium intelligens sis, compellaris etiam invitus in casses eorum incidere & prostituere Ecclesiæ tuæ dignitatem. Non eqvidem opus est, ut qvilibet vel Ecclesiæ minister, vel Academiæ Doctor ad tantum hujus scientiæ fastigium

gium grassetur; qvinimò stolidè faceret, qvi, qvæ ad scopum ipsius, [neqve enim omnes ad refutationem Adversariorum publicam vocamur] propius faciunt, postponeret Metaphysicarum tricarum operosæ speculationi; sed cum dona atqve charismata Spiritus S. in Ecclesia varia esse oporteat, necessarium est, ne & illi nobis desint, qvi in hoc doctrinæ genere adversarios vel superent vel æqvent: id est, qvi idonei sint, ut eadem ἀκριβεία, qva illi nos adoriuntur, illorum argutias retundant, neqve occasionem Ecclesiæ hostibus præbeant, intra sinum suum ridendi, ac si vinculis nos indissolubilibus irretiissent, & his stratagematibus simpliciores ad vanitatem religionis suæ seducendi.

LVI. Reliqvis verò suus cuilibet, qvem sibi pro scopo præfixit, finis mensuram suppeditabit, vel sublimiorem in hac scientiâ gradum attingendi, vel intra mediocritatem subsistendi. Qvocunqve tamen qvis loco graduve fuerit, confidenter tamen asserendum est: implicat Theologum esse, & non esse Metaphysicum.

LVII. Hæc hactenus in compendio præfari libuit. Non enim propositum nobis est, qvæ alii integris tractatibus & commentariis tradidere, prolixè perseqvi. Hoc nunc agimus, ut exemplis potius & specimínibus S. Lingvæ & primæ Philosophiæ usum, qvam argumentis ex harum artium indole petitis

demonstremus. In qvibus tamen lectorem multas ob causas non alium, qvam qvem sive sors nobis sive lectio qvotidiana objecerit, ordinem expectare jubemus.

EXERCITATIO II.

De

INTERPRETATIONE LOCI HEBRÆI,

I. Sam. II. vers. 25.

I.

IN textu originali sic legitur: אם-יחטא איש לאיש ופללו אלהים ואם ליהוה יחטא איש מי יתפלל-לו ולא ישמעו לקול אביהם כי-חפץ יהוה להמיתם׃

Qvæ à Vulgato hunc in modum vertuntur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, qvis orabit pro eo? & non audierunt vocem Patris sui, qvia voluit Dominus occidere eos.* Ab Imman. Tremellio & Fr. Junio: *Si peccaverit ullus in alterum, judicabit eum magistratus: Sed si in Jehovam ullus peccat, qvis oret illum? non tamen auscultarunt voci patris sui, qvia volebat Jehova morte afficere eos.* A. Megal. Luthero: Wann jemand wider einen Menschen sündiget / so kan es der Richter schlichten. Wann aber jemand wider den HErrn sündiget / wer kan für ihn bitten? Aber sie gehorchten ihres Vatters Stim-

me

me nicht dann der HErr hatte willens sie zu tödten. Ab Andreâ Osiandro: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, (tum judicant Dii) si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.*

II. איש לאיש *Vir viro*, juxta proprietatem Hebraicam est: aliqvis alicui, sine differentia sexus aut ætatis, qvod adeo freqvens est, ut operam ludat, qvi operosè loca conqvirit. Vid. Exod. XXI, 12. 16. 18. 20. 26. 35. Similisqve & qvoad significationem eadem phrasis est: איש את רעהו *Vir proximo suo*, Exod. XXI, 18. 35 Qvia verò hic איש ליהוה *Vir Jehovæ* evidenter opponitur, ex se patet, latitudinem vocis hic restringi & cum de cœtero objectum, in qvod delinqvitur, intra sphæram creaturæ humanæ non fistatur, ad solos hic homines, in eadem societate degentes, determinari. Id qvod in interpretatione his vocabulis commodè exprimi potest: homo homini, qvisqvam hominum alteri, & similibus.

III. Neqve præsenti loco obstat, qvod Psalm. LI, 6. soli se DEO peccasse profitetur David. Neqve enim sive in Uriam sive Bathsebam ipsam eadem se opera deliqvisse negat, sed alius, præter veri Dei, qvi pœnam tanti peccati à se posset reqvirere, legem transgressum esse inficiatur, q. d. Tuam, Deus, solius legem, non humanas constitutiones violavi, à Te solo igitur ad supplicium justè abripior.

Vid. Θεολογικώτατον nostrum *Feurborn.* Tract. de Pecc. in Spir. S. p. 308. seq. Qvamqvam aliis alia placet locorum conciliatio & enumeratis variis interpretationibus tandem ei subscribat celeberrimus Hagiographorum hodie Interpres, D. Mart. Geierus, Comm. in h. l. qvæ inter objectum peccati primarium & secundarium, intermedium & ultimum distinguit, ita παραφράζων: *Qvamvis offenderim homines, illi omnes tamen nullius qvasi momenti sunt ad Te, immò omnes ii condonant mihi, hoc verò solum excruciat, qvod Te, tanqvam benefactorem meum largissimum, immò legislatorem supremum, judicemqve omniscium, justum ac potentem præcipuè offendi, ita ut offensa proximo facta, (namUriam interfecerat, Bathsebam seduxerat, Joabum implicaverat, populum scandalizaverat, hostes blasphemare fecerat] jam non consideretur vel attendatur à me Rege, superiorem in terris agnoscente neminem, sed tanqvam crimen, ultimò in ipsum solum Deum unicè vergens.* Qvo sensu & Cassiodorus: *Si qvis erraverit de populo, & DEO peccat & Regi, qvando autem Rex delinqvit, soli Deo reus est.* Et Ambrosius: *Rex erat, nullus ipse legibus tenebatur, qvia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neqve enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius;* qvem allegat Hugo Grotius, Lib. I. de Jur. B. & P. c. III. §. XX. n. 2. ubi plura in hanc rem videantur.

IV. Qvamvis ergo omnis ἁμαρτία, eo qvod juxta

juxta 1. Joh. III. 4. ἀνομία sit, legi DEI, adeoqve Deo ipsi ultimò adversetur, cum natura Dei sanctissima norma unica sit, ad qvam regulari honestatem omnem, omnesqve actiones nostras decet, nihilominus datur aliqva distinctio peccati, ex parte objecti, circa qvod magis minusqve mediatè aut directè spectatum versatur, & denominationem tum capit ab eo, qvod directius & immediatius, [liceat ita loqvi] attingit. Contingit hoc, tum si phrasin Sacris auctoribus usurpatam, tum si analogiam ad delicta civilia respiciamus. Sic *in proprium corpus peccat* scortator, juxta 1. Cor. IV. 18. illud immediatè & directe injuria adficiendo, qvod tamen peccatum mediatè & consequenter in Spiritum S. cujus templum corpus est, tendit, v. 19. *In fratrem* dicitur *peccare frater*, Matth. XVIII. 15. 21. directa intentione damnum ei inferendo. Conf. Luc. XVII. 3. 4. Et sicut virtutes illæ brevi nobis sententia ab Apostolo commendatæ, Tit. II. 12. σωφροσύνη, δικαιωσύνη & εὐσέβεια, circa seipsum, circa proximum & circa Deum occupantur: ita vitia iis opposita circa eadem objecta versari intelliguntur. Qvid? qvod & in creaturas rationis sensusqve expertes peccari, non obscurè innuat Apostolus, Rom. VIII. 21. seq. qvando vanitati subjectam esse, & qvidem non volentem, qvando servituti hominum impiorum, congemiscere & parturire creaturam eleganti similitudine enunciat. Non qvod

juris & injuriæ sit capax subjectum irrationale, sed qvod circa illud id exerceatur, qvod injuria formaliter foret, si ratione res illa polleret. Porrò & delicta civilia ultimò qvidem omnia in contemptum magistratus politici, cujus constitutionibus opponuntur, tendunt, ut tamen hoc non obstante eorum qvædam, respectu ad materiam atqve objectum legis civilis habito, directè atqve immediatè contra Principem ipsum, ceu crimen læsæ majestatis, qvædam contra magistratus inferiores aut ejusdem communitatis cives, veluti convitia, cædes, rapinæ & id genus designari dicantur. Qvibus ita declaratis amplius patet, qva ratione & homo in hominem & homo in Deum in textu nostro innuatur peccare. Nempe qvotiescunqve violatur lex, cujus materiam jus atqve obligatio hominum inter sese objectivè constituunt, homo dicitur peccare in hominem; in DEUM verò peccatur tum, qvando, qvæ circa res divinas, peculiariter sic dictas, & cultum DEO ab homine debitum præcepta sunt, contrariâ actione labefactantur aut evertuntur. Qvæ cum non adverteret Claræv. Abbas, *Bernhard. τὸ: in hominem peccare*, de transgressionibus legum civilium, divinis mandatis contrariarum, sine urgente causâ & contra *συνάφειαν* textus exposuit, sicut patet ex Tr. de Præc. & Dispens. p. 1609.

V. Voces: פללו אלהים redduntur à Luthero: so kans der Richter schlichten. Et prioris qvidem

qvidem generalitas aptissimo certè vocabulo exprimitur: Schlichten. Nam τὸ : פלל, alias *judicare*, *adjudicare*, *abjudicare*, adeoqve qvocunqve modo exercere judicium significat. Conf. Ezech. XVI. 52. Ps. CVI. 30. Ezech. XXVIII. 23. [qvo tamen postremo loco *B. Luther.* vocabulum נפלל, ut irregulare, à radice נפל, deduxisse videtur.] Schlichten verò germanorum, nisi fallor, omne judicium notat, qvod vel in transactionem voluntariam, vel in partis alterius condemnationem, alterius absolutionem definit. Respexit autem in versione suâ Lutherus judicium ad absolutionem, licet nocentis, terminatum, ceu arguunt circumstantiæ. Ut adeò hic ejus sit sensus: Qvod si homo in hominem peccaverit, fieri potest, ut peccantem Judex absolvat, vel leviori certè affectum pœna parti innocenti conciliet: at cum Deo peccatur, nemo est, qvi auctoritatem suam aut arbitrium inter partes interponat, cum Deus & pars læsa & judex esse deprehendatur. Juvari potest hæc interpretatio sententia leviter mutata, qva statuitur, vocem: יתפלל, posteriori membro, non per: *deprecari* aut *supplicare*, [qvo sensu alias perpetuò occurrit] sed ad morem verborum Hithpaelicorum, significationem nudæ vocis super sese reflectentium, per *judicem* aut *arbitrum seipsũ constituere*, reddendã esse. Videatur in Lexic. Min. *D. Buxtorfius*. Qvâ ratione hunc in modum verti poterit: Si peccaverit homo homini,

ni, tunc arbitrum se interponere potest judex: at cum DEO qvis peccaverit, qvis judex constituetur ipsi? Deniqve vocem: אלהים, *Elohim*, judicibus qvandoqve competere, extra dubitationis aleam positum est; ut & hinc Hebræi prima impositione, τὸ: אלהים, *judicii* nomen esse contendant, sicut τὸ: יהוה, nomen *gratiæ*. Confer. Exod. XXI, 6. [juxta vulgarem sententiam] XXII, 8. Ps. LXXXII, 1.

VI. In antiqvissimis exemplaribus Bibl. Latin. vox אלהים, per *Sacerdotem* redditur & verbum פלל, per *deprecari*, h. m. *Si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos, si autem peccaverit Sacerdos,* (איש est in Hebræo,) *qvis orabit pro eo?* Qvæ res duplici errori dedit ansam. Nam & Donatistæ ministrorum Ecclesiæ suæ hinc colligebant ἀναμαρτησίαν, & *Augustinus*, tantus de cætero Ecclesiæ Doctor, cum Hebraicarum literarum ignarus viam non reperiret commodius Petiliano respondendi, *Sacerdotem*, qvi tamen in Hebræo non exprimitur, de Summo Pontifice, Christo, interpretatus est. Qvem sensum neqve voces in textu apparentes reqvirunt, neqve reliqvæ, ut qvilibet videt, circumstantiæ. Brianus qvidem Walthonus in apparatu ad Bibl. Polygl. Angl. vult, ex modestia locutum esse Augustinum, cum dixit: *Ebraicè loqventem frustra pulsare aures suas*: sed ex commentario, si rectè inspiciatur, constat, verè locutum. Neqve enim Hebraicæ, sed Punicæ lingvæ qvalitercunqve peritus fuit.

Qvo

Quo de vid. *Auguſt.* II. contr. Lit. Petil. 105. p. 159.

VII. Exegeta SS. Literarum feliciſſimus, *D. Sebaſt. Schmidius*, præſentis loci ſenſum, ſi cui B. Luth. expoſitio videatur paulo obſcurior, hac verſione repræſentat: *Si qvando peccat vir viro, tamen punit eum Deus: Si ergo Jehovæ peccaverit vir, qvis intercedet pro eo:* Qvæ interpretatio 1. ſimplicitatem vocum nullo modo lædit. Sumit enim qvaslibet voces vel in ſignificatione propria atqve nativa, vel ea certe, qvam freqventer in ſacris obtinere, omnes confitentur. Vox אלהים Deo propriè tribuitur & qvando competit judicibus, non arbitror, unqvam conſtrui cum verbo ſingulari. Qvi verò illam hoc loco in plurali legunt: ופללו, *Uphillelu*, cum veterum codicum fide prorſus deſtituantur, haud alia videntur ratione moti lectionem mutaſſe, qvam ut vocem ſenſui, qvem ſemel in textum intulerunt, accommodarent. Præterea proprietati pertinaciter inhærendum eſſe, nemo dubitare poteſt. פלילים verò, etſi in genere judicium notet, ei tamen neqvaqvam repugnat, pro conditione ſubjectæ materiæ judicium inſinuare punitivum, ſicut clariſſimè conſtat ex Pſalm. CVI. 30. collat. cum Ex. XXV. 7. 8. Tandem cum Hithpaelicum illud; התפלל, nunqvam alias: *judicem ſe metipſum conſtituere*, ſignet, neſcio, an non ſine causâ hoc ſolummodo loco à ſignificatione uſitata diſcedatur. II. Senſum exhi-

bet una cum connexione aptissimum. Sistit enim argumentum à minori ad majus, q. d. Eli, non patitur DEUS, ut homo hominem damno aut injuria afficiat, sed pœna peccantem & judicium divinum, sive per ordinarium in terris judicem, sive per judicia è cœlis occulta, à tergo insequitur: qvanto minus vestram impietatem sustinebit inultam, qvi suamet Deo sacrificia suffuramini; ludibrioqve omnium supremum in cœlis Numen exponitis? Non poterit tantum sacrilegium ulla deprecatione expiari.

VIII. Verba: מי יתפלל-לו, omnes interpretantur: *qvis orabit, qvis intercedet aut deprecabitur pro eo*? Interrogatio, ut ex se palam est, vehementi negationi æqvipollet, q. d. nemo intercedere aut poterit aut debebit pro eo. Qvod si verum est, dubium nascitur: an igitur pro eo, qvi immediatè in Deum peccat, orari aut intercedi non possit? cum Apostolus jubeat *orare pro omnibus*. 1. Tim. II. 1. D. Joh. Qvistorpius, Theologus pientissimus, in Annotat. Bibl. ad h. l. difficultatem hanc ita expedit: *Non simpliciter Eli negat, ad Deum pro enormibus peccatis preces fundendas esse. Erat enim Eli Sacerdos & in mandatis habebat, etiam pro gravioribus delictis sacrificare & orare, Lev. IX. 7. c. XVI. 16. 17. Sed asserit, qvando immediate in Deum homo peccat, qvod tum homo nullus intercedere possit, ut mediator & conciliator, qvi virtutibus suis propriis Deum placare valeat. Psalm. XLIX. 8. Qvi autem hominem offendit,*

offendit, per hominem intervenientem illi, qvem læsit, reconcillari potest. Eadem fine dubio sententia est Andr. Osiandri, annotantis: *Nisi Dominus sponte remittat peccatum & reconcilietur peccatori gratis propter Messiam, nullus certè mortalium Deum placare poterit.* Sed, qvod pace tantorum virorum dico, incommodum hæc interpretatio gignit sensum. Qvæ enim exaggeratio erit: Si qvis in hominem peccaverit, deprecans offensionem reconciliari potest: si verò in Deum tum nemo propriis virtutibus aut meritis placare Deum, sed tamen per Christum gratis eidem reconciliare poterit? Qvin potius simplicissimus sensus, qvem loci connexio ultro suppeditat, hic est: Si homo in hominem peccat, punit eum Deus; si igitur in Deum qvis peccaverit, qvis ita intercedet pro eo, ut impunis abeat, ut Deus eum non puniat? Nempe loqvitur ubiqve de regula ordinaria: peccatum insequvuntur pœnæ peccatorum. Qvemadmodum igitur fieri potest, ut qvis in hominem alium delinqvat, & tamen, si Deo atqve homini læso deprecetur, pœnitentiaqve qvasi eluat peccatum, haud puniatur: ita &, si qvis in Deum peccaverit, pœna mediante pœnitentia & aliorum intercessione aboleri, homoqve lædens DEO læso citra interveniens supplicium aliqvando conciliari potest. Cum vero id ordinariè non fiat, si inprimis is, qvi læsit, in impœnitentia perseveret, igitur manet regulæ vigor, rectèqve dicit Eli: Si qvis in homi-

hominem peccat, nec pœnituerit, justitia Dei reqviritur, ut eundem, etsi alii interceſſerint, puniat, qvamqvam extra ordinem nonnunqvam ad aliorum preces ex mera tamen libertate peccatum condonet: qvanto minus aliorum precibus flectetur, si qvis in Deum ipsum peccaverit, ut culpam pœnamqve impœnitenti remittat?

IX. Nunc cum de sensu ex dictis sufficienter constet, & expositiones, si qvæ videantur verbis & orationis structura diversæ, se invicem illustrent potius, qvam inter se discrepent, de reipsâ breviter dicendum est. Continet autem præsens versiculus partem objurgationis, qva Eli in filios suos degeneres, Chophni & Pineham, invectus, à sceleribus, qvibus Paternam familiam comaculabant, retrahere adnitebatur. Et qvamvis non uno nitatur argumento, negari tamen neqvit, qvod præsenti continetur versu, efficaciſſimum esse. Si enim DEUS pœna tam severa animadvertit in Sacrilegos, saltem metu pœnæ à tanto scelere abstinendum esse, sua sponte intelligitur. Porrò si tam perverso qvis sit animô, ut pœnam qvalemcunqve non reformidet, gravitate eqvidem pœnæ deterreatur, necesse est. Qvæ enim pœna incumbit iis, qvi delinqvunt in homines, h. e. sui similes, à lapsibus qvotidianis, à peccatis non alienos? gladio, igni, rotæ, cruci à judice adjudicantur, cujus si effugiunt manus, Divinæ Nemeseos

seos à tergo illos insequentis vindictam nequaquam evadunt. Cur igitur impunè abeat, severioriqve longè pœnæ non implicetur, qvi in ipsummet Deum, velut data opera & ex proposito se ei oppositurus, delinqvit? Cæterum ad coërcendam peccandi audaciam cuilibet meritò satis auctoramenti potest esse summi Numinis voluntas, qvæ qvantopere sacrilegia detestetur, supplicium facinori tam exqvisitum statuendo, maximopere declarat. Ex qvo sequitur, virtute sacrilegio contraria nihil naturæ divinæ convenientius, nihil pulchrius, aut sanctius esse, ut vel bonitate rei & virtutis amore illecti, abstinere à vitio, hoc fœdiori, qvo illa elegantior est, debeamus. Deniqve, cum tam bonus sit Deus, ut non possit, qvæ amat ipse, nisi remuneratione complecti, qvis tam demens sit, ut malit brevi tempore delectari vitio, æterna & nec finem nec modum habitura supplicia mox attracturo, qvam sese dedere virtuti, cujus præmia nec numerari olim possint, nec finiri.

X. Huic orationi fidem jam amplius conciliant tot SS. literarum exempla, qvæ cum ætatem Eli longè præcesserint, vix fieri potest, qvin filiis suis, Theologiæ tam eximius Doctor, subinde inculcaverit. Sic Cain, qvi sacrificia Deo nec modo offerebat legitimo, nec animo immaculato, Ecclesia exulare jubetur, Gen. IV, 14. Israelitarum per idololatriam à Deo sese avertentium tria millia uno die in deserto

deserto cadunt. Exod. XXXII, 29. Nadab & Abihu, summi Sacerdotis filii peregrinum ignem offerentes, consumuntur. Lev. X. 2. Vir qvidam Ægypto-Hebræus, Dei blasphemator, lapidibus obruitur. Lev. XXIV, 14. Murmurantium contra se principes, è populo præcipuos, clade ingenti delet Deus. Num. XI, 33. Psal. LXXVIII. 33. Sabbathi profanatorem saxis necari jubet. Num. XV, 36. Achano in re devotâ sacrilegium committente, primò totus Israelitarum exercitus ab Aitanis cæsus in fugam conjicitur, dein re comperta ipse cum complicibus crematur. Jos. VII, 25. Tota verò Israelitarum Resp. qvoties à DEO peccatis aversa, fœdus Dei deseruit, toties hostium manibus objecta fuit, sicut de his ex singulis ferè Libri Judic. capp. abunde edocemur.

XI. Qvamvis verò talia ad filios suos prolocutum esse Eli, perqvam vero simile videatur, non tamen id fecit sive eâ severitate, qvæ ad superandam malitiam, tam diuturna consvetudine inveteratam necessaria erat, sive eo tempore, qvo corrigi nondum adulta in malum capita potuerunt, sive deniqve toties, qvoties graviter objurgandi scelestos justissimæ devotæ plebis qverelæ occasionem ei obtulerunt: Sicut hæc aliaqve id genus indigitat Deus prima sui ad Samuelem revelatione. 1. Sam. III, 13. *Noverat*, inqvit, *qvod blasphemi essent & sacrilegi, nec tamen corripuit eos.* Est verò

rò hoc vitium, nimiæ in liberos indulgentiæ, Parentibus adeo familiare, ut & sanctissimos viros exercuisse legamus. Abrahamum. Gen. XVII, 17. Isaacum. Gen. XXVII, 1. Samuelem. 1. Sam. VIII, 1. Davidem. II. Sam. XVIII, 33. aliosqve hoc nomine notant Sacræ Literæ & exempla passim sunt obvia. Nempe in nostris etiam sordes nobis elegantiæ sunt, scelera infirmitatem, errores consvetudinem interpretamur. Nec ullibi magis cœci sunt Parentum oculi aut defessæ manus, qvam ubi liberorum cernere vitia aut corripere deberent perversitatem. Igitur hæc veluti corollaria ex præsenti loco teneamus: Sanctorum liberi à Parentum virtutibus non rarò degenerant. Nimia Parentum indulgentia & Parentibus & liberis irreparabile damnum infert. A Sacrilegio, ut scelere, Deo, hominibusqve invisо, arcendæ sunt manus.

XII. Nunc progrediendum est; & sequntur in dicto nostro seqventia verba: ולא ישמעו לקול אביהם כי־חפץ יהוה להמיתם: qvæ sua luce ita radiant, ut frustra sit, ullo verbo tricari. שמע, est *audire* cum effectu obedientiæ. המית verò mortem notat vel violentam, Exod. XXI, 29. Prov. XIX, 18. qvalis etiam filios Eli consecuta est. I. Sam. IV, 11. vel extraordinariam qvamlibet ex divino judicio ob peccata irrogatam, inclusâ morte secunda, ni pœnitentia interveniat. Gen. II, 17. Adscribitur verò Deo actus occi-

sionis

sionis sive irrogatio mortis, ut justo judici, Ps. LXXVI, 10. VII, 12. 13. 14. Rom. II, 8. 9. I. Petr. IV, 17. Qui ideò *paratus sit infernum*, Matth. XXV, 41. in eumque *detrusisse angelos lapsos* dicitur: II. Petr. II, 4. Atque influit in malum pœnale Deus vel physicè atque immediatè, ceu cum dæmones in inferno, nullo mediante alio supposito, tanquam causâ principali, torquet: vel remotius & moraliter, pœnæ illationem alii extra se præcipiendo, ceu tortori, ut quando per Samuelem Amalekitarum Regem occidit. Quod argumentum an & in quantum Deus pœnarum causa salutari possit, peculiari disquisitioni reservamus.

XIII. Particula כי *Quia*, connexionem paulo videtur reddere obscuriorem. Quis enim sensus est: *non obtemperaverunt voci Patris ipsorum, quia Dominus eos voluit occidere?* Quare non una medela præsenti difficultati à Doctoribus Ecclesiæ adhibita est, sicut ordine dicemus.

XIV. Nonnulli vocem sensumque causalem, quem vox ordinariè & frequentissimè sustinet, ceu in hoc unico cap. V, 2. 3. 8. 9. 16. 17. 24. 30. retinent, & τὸ: חפץ, *voluit*, de voluntate Dei consequente accipiunt, hoc fere sensu: Non obtemperarunt illi monitis parentum. Quippe ob tot atque tanta scelera & toties repulsam gratiæ ad pœnitentiam eos revocantis benignitatem, firmiter Deo decretum fuit, sine ulteriori gratiæ oblatione ad

mortem

mortem eorum exitiumqve promeritum properare. Qvare ne in irritum recideret divinum decretum, fieri non potuit, ut ad gratiam Dei & obseqvium parentum illi redirent. Qvæ interpretatio analogiam fidei non labefactat, suppositio, gratiam DEI revocantem, nec promissam singulis esse, nec hominem in peccatis habitualiter veluti mortuum sine illâ aut singulariori ejus modo converti posse; sicut docent *D. Hülsem.* Brev. Ext. XIV. 7. 8. Diatr. de Auxil. Gr. p. 149. Dial. Apol. p. 424. Et *D. Dannh.* Præc. vener. Hodos. ph. IX. p. 638. s. Qvem enim Deus gratiâ suâ deserit, is ultrò in vitia ruit, sicut, qvi extra solem ambulat, citra alterius corporis frigefacientis concursum, frigidus redditur. Cum igitur homo naturâ suâ ad omnem pravitatem propendeat, qvo sensu & Paulus *servum peccati* eundem appellat, Rom. VI. 17. adeoqve natura qvasi ejus in eo consistat, ut peccet, nisi à superiori principio immutetur, aut retrahatur, fieri neqvit, ut peccare desinat, cum Divina gratia ab eodem recedit & cupiditatibus propriis eundem relinqvit. Qvamqvam verò nemo facile dixerit, nullam prorsus gratiæ lucem filiis Eli alluxisse, qvippe qvos admonitio paterna, licet paulò languidior, subinde è securitatis somno excitavit, qviqve in templo Domini qvotidie versantes non potuerunt non occasionem habere, justitiam Dei, peccatis infensam, in memoriam sibi revocandi, cogitan-

gitandum tamen nobis est, malitiæ eos adeò fuisse immersos, ut callum qvasi obduxerint, sensumqve omnem amiserint. Qvi somnum, qvem exigua lassitudo induxit, capiunt, qvalibet voce, circa aures ipsorum sonante, expergefiunt; qvi verò vel temulenti, vinoqve undiqvaqve perfusi, vel medicamento torporem generante delibuti, dormiunt, iis, nullâ, qvantumlibet stentoreâ voce, nec concussionibus levioribus, sed validis tantum somnus excutitur. Ita qvi semel tantum iterumqve in peccata labitur, nec proposito adeò tenaci, adeò præfractâ peccandi petulantiâ, eum absurdum aut insolens non est, ordinariâ Divini verbi prædicatione & clamante in eo voce Dei, in viam revocari; at qvibus qvotidiana peccata in consvetudinem abierunt, qvi atrocissimorum qvorumvis criminum qvendam qvasi per creberrimas actiones sibi habitum compararunt, ii ordinariis mediis haud facile retrahuntur, sed flagitiis ita indormiunt, ut singulari atqve extraordinariâ opus sit revocandi eos gratiâ, si converti vel velint vel debeant ad frugem. Hæc qvum denegata fuerit filiis Eli, qvippe qvam Deus nemini promisit, qvamqve illi scelerum suorum freqventiâ & magnitudine non meruerant, sponte seqvitur, non potuisse non in inobedientiâ pervicaciter pergere & ad exitium ipsis destinatum, id est, mortem properare. Hoc sensu præsentem locum circumscribit D. Andr. Osiander: *qvia Deus eos, apud qvos*

jam nulla erat spes resipiscentiæ, violentæ morti propter scelera objicere decreverat, ideò non dedit eis gratiam Spiritus S. ut resipiscerent & mortem effugerent. Ut enim Dominus in pœnitentibus declarat misericordiam, sic in induratis peccatoribus justum exercet judicium.

XV. Qvibus hæc sententia, qvæ videtur, insigniter juvari ἐμφάσει vocabuli, חפץ, *voluit*, prophetiam paulò post seqventem, inqve ea peremptorium de morte filiorum Eli decretum, v. 34. respicientis, haud arridet; illi dicunt, vocem, כי, esse illativum, hoc sensu: Non obsecuti sunt Parenti, atqve ideò decretum fecit DEUS de iis occidendis. Qvod decretum eam ob causam in verbis seqventibus à Divino Scriptore in literas redactum esse cernitur. Huic opinioni I. suffragantur è Calvinianis nonnulli, è qvibus nominari meretur peritissimus Sanctæ Lingvæ & idiotismorum ejus, *Buxtorfius*, in Lexic. Minor. pag. 358. II. Certum est, particulam כי, Hebræis freqventer significare *ideo*, *idcircò*, *igitur*, ceu loco allegato Genes. XXII. 17. Jerem. IV. 18. producit *Buxtorfius*, & addi possunt Luc. VII. 47. Jerem. XXIX. 16. I. Sam. II. 21. Inprimis rem extra dubitationem omnem ponit auctoritas Canonica, Psalm. CXVI. 10. collat. cum II. Cor. IV. 13. III. In præsenti expositione Calviniani nihil

desiderare possunt, nisi qvod sine gravi ratione ex ordinario causandi significatu vox כי detrudatur, qvod tamen rectè fieri paulò post ostensuri sumus. IV. Analogiæ fidei prorsus est conformis. *Mors enim est stipendium peccati.* Rom. VI. 23.

XVI. Sunt ex maximi nominis Theologis, qvibus expeditior videtur via qvamcunqve difficultatem declinandi, si dicant τὸ כי, positum hic esse pro: כי אם, *etsi, qvamqvam*, hoc sensu: non obtemperarunt voci Parentis, qvamqvam Dominus eos voluerit occidere. Allegant autem loca plurima, in qvibus eadem significatione vox illa occurrere dicitur, Gen. VIII. 21. XLVIIII. 14. Exod. XXXIV. 9. Jos. XVII. 18. II. Sam. XXIV. 10. Ps. XXV. 11. XLI. 5. LXXI. 15. Habac. III. 17. Actor. I. 17. 1. Tim. I. 13. De qvibus tamen non est idem omnibus judicium, non eadem sententia.

XVII. Qvamqvam igitur inter communiores sententias præferam mediam, diffiteri tamen non possum, vehementer mihi placere venerandi Doctoris mei, *Sebast. Schmidii*, ad h. l. expositionem, qvæ sensum simplicissimum in hac versione sistit: Nec morem gesserunt voci Patris ipsorum, qvod Dominus illos vellet occidere. Cujus rei has adduco rationes. I. Qvod particula כי & hoc significatum æqvè freqventer ac priora sustineat, ut vel ex seqq. locis adverti potest. Gen. I. 4. 10. 12. 18. 21. 25. III. 6. 7. IV. 23. VI. 1. 5. XIV. 14. Exod. II. 2.

III.

III. 4. 11. 12. 19. Jos. XXII. 31. Jud. VI. 22. 1. Sam. III. 8. 13. IV. 6. 7. V. 7. VII. 7. Qvibus, ut & aliis locis infinitis, plerumqve post verba sensuum, qvale & in præsenti loco cernitur, comparet. II. Sensum reddit prorsus perspicuum atqve nulli, ne minimo qvidem, offendiculo obnoxium. Qvid enim clarius est; noluisse filios Patris sui vocem ac concionem, qvæ hæc erat, qvod, ni à malitiâ suâ desisterent, eos vellet occidere Deus, justus Judex, audire eiqve obtemperare? III. Nihil in textu repugnat, omnia potius consonant. Præcesserat vox Parentis dehortatoria, fieri non posse, si in sacrilegio pertinaciter persisterent, qvin Deus nullo amplius sacrificio, nulla prece tandem se passurus sit exorari, qvo minus ad pœnam tantis sceleribus dignam progrediatur, cum & ea graviter vindicet peccata, qvæ in homines, nedum in infinitum Numen committuntur. Seqvitur nunc, qvam parum effecerit Parentis concio apud eos, qvi vitiis jamdiu penitus immersi & in tantum fuerunt indurati, ut nec temporales pœnas nec æternas curaverint atqve formidarint. IV. Perqvam verisimilis eorum est opinio, qvi existimant, vaticinium illud, qvod historiæ nostræ à v. 27. ad finem cap. adnectitur, ad Prophetam ἀνώνυμον factum, relatumqve Eli fuisse, antequam hanc ad filios suos correptionem instituisset. Cujus rei causa est, qvod indulgentia Eli & officii Paterni neglectus ei à Deo I. Sam.

III.13. per Samuelem graviter objicitur; q. d. nunqvam de corripiendis filiis, nisi ubi per ipsum Prophetam monui & extrema qvævis comminatus sum, cogitavit, qvinimò & tum, ubi malitia eorum jam occalluerat, negligenter officio suo est perfunctus. Qvæ si ita se habent, per mortem versu nostro non tam mors æterna, qvam temporalis, eaqve violenta, qvam homines improbi æternâ longe vehementius timere solent, intelligitur, eritqve sensus loci paululum explicatior iste: Si qvis adversus hominem peccaverit, gravi pœna Deus in eum animadvertit; qvantò magis, si adversus Deum? qvis tum pœnam deprecari poterit? At vero peccata vestra, Filii, contra Deum in publicum nota sunt, pœnam vero extraordinariam Deus vobis est jamjam per Prophetam comminatus. Vereor, ut illam vobis condonet, nisi de via vestra maturrimè atqve serio recesseritis. At vero illis hæc talia instar fabularum fuerunt, qvi pravitati immortui, nec credere, vitæ exitum sibi imminere violentum, nec à consvetis sceleribus vel tantillum cedere potuerunt.

XVIII. Vide verò etiam, qvam inconcinnè vox חפץ, *voluit*, ad sensus illos priores, qvam aptè vero ad hunc postremum qvadret? Qvid enim est; illi noluerunt obtemperare voci parentis sui; qvare Deus voluit illos occidere? Ubi unqvam Scriptura hunc habet morem loqvendi? Cur non potius decretum occidendi, si aliqvod hic est, subordinat inobedientiæ legis Divinæ

vinæ, qvam adeo scelerate violaverant, qvam vocis paternæ, qvippe qvam tantæ desidiæ, tanti languoris toties accusat supremum Numen? Neqve vero qvidqvam magis congruit, qvam illos non obtemperasse monitis paternis, qvæ iratum ipsis Deum & pœnas, ni resipiscerent, gravissimas ob oculos posuerat. Fluunt certè hic omnia, qvæ qvamcunq; reliqvarum sententiarum eligas, durum atqve distortum sensum procreare, qvilibet hebraismi haud ignarus facile animadvertet.

XIX. Supereſt ſententia plerorumqve è Reformatis Doctorum, qvi verba singula, eo qvo jacent, sensu sese interpretari, videri volunt, tum ampliando vocis מות significatum ad mortem usq; secundam, tum particulam ב in usitata causandi significatione accipiendo. Qvæ tametsi in his cum qvorundam è nostris opinione conveniat, sensum tamen loci longè diversum formatab eo, qvem §. 13. proposuimus. Ille breviter ita habet: Qvamvis Eli filios suos efficacissimis argumentis à peccandi consvetudine niteretur avertere, illi tamen non potuerunt obtemperare Parenti, qvoniam æterno in consilio illos gratia suaDeus præterierat & ad mortem consequenter destinarat. Nimirum redditur causa, cur neq; conversi fuerint, neqve converti potuerint Filii Eli, etsi Parentis officio suo aliqva parte non defuerit, eaq; simplici Dei decreto transscribitur, qvi pro absoluto suo beneplacito una cum aliis hos qvoq;, in peccato originali conceptos natosq;, addixerit morti æternæ; ex qvo fieri non potuerit, ut

ut ad fidem, vitamq; fide dignam, qvæ solorum electorum est, illi potuerint pervenire. Qvare ex hoc qvoqve S. Scripturæ testimonio adduci se contestantur, ut electionem simul ac reprobationem ab æterno citra ullum ad fidem aut infidelitatem respectum antecedaneum factam esse, in Ecclesiis suis doceant & propugnent, contra verò statuant, ex decretis illis absolutè factis simpliciter dependere, qvi credere possint, necne, qvi à vitâ aliqvando malâ ad probitatem essent aut non essent convertendi? Qvod dogma qvia in se & naturâ suâ consideratum pietati omni & conscientiæ tranqvillitati infestum est, absit ut in tam illustri loco vel qvalecunq; patrocinium inveniat.

XX. Nam I. si vel maximè vocabulum חפץ sive æternum de filiis Eli decretum, sive inchoatam ejus executionem, & particula כי causam diceret præsè dictam, nullo modo tamen sequeretur, absolutè eorum mortem & sine intuitu futuri peccati, decretum antecedente, decrevisse Deum, ut facto decreto sive præteritionis sive reprobationis, non potuerint nisi ea agere, qvæ finem decreti, [qvi Supralapsariis est, ut damnarentur, Infralapsariis, ne salvarentur] promovebant & omittere, qvæ impediebant. Id qvod §. XIII. & XIV. pro ratione propositi nostri breviter est ostensum. II. In §. qvoqve XIV. XV. & XVI. argumentis & rationibus ex ipsis textus & circumstantiarum visceribus depromptis docuimus, qvam non necessarium sit, particulam כי in causandi officio

ficio relinqvi, qvo citra incommodum nostrum fungi de cœtero posset. Qvibus stantibus immotis, omnis argumentorum ex h. l. apparatus in irritum cadit, velut ipsimet Reformati agnoscent. III. Non posse salvâ justitiâ suâ Deum citra intuitum peccati, decretum prægredientem, hominem להמית, *morti adjudicare*, pariter patuit ex supra dictis §. XI. & amplius suo loco ostendetur. Dico: decretum antegredientem. Nam aut stolidus sit oportet, qvi de pœnâ primò certi cujuspiam subjecti decernit, dum ignorat, an demerito suo executioni decreti locum relicturum sit, aut crudelis, qvi pœnam primò decernit, deinde, ut eâ rectè potiatur, culpam vel directâ eam actione efficiendo, vel indirectè ei cooperando, ponendo id sc. eum in statum, in qvo non nisi peccare possit, immittit. IV. Stante hac Calvinianorum expositione, non apparet, qvâ ratione DEUS objicere negligentiam paterni officii summo Sacerdoti potuerit. Si enim ideò Deus velle neqvit reproborum salutem, qvia illâ nunqvam eveniente imprudenter vellet Deus; neqve velle potest, ut alii eorum velint salutem & cohortationibus suis Dei nomine procurent, qvi ex irrevocabili Dei decreto nunqvam salvi futuri sunt. Perinde enim est, sive Sejus se velle librum dicat, sive per Titium se velle significet. V. Neqve defuisset Filiis Eli justa adversus Parentem exceptio. Nempe non posse se eâ de viâ declinare, in qvam immuta-

tabili decreto essent rejecti. Hoc verò inde ipsis patere, qvod si ad vitam à Deo electi fuissent, nunqvam sustinuisset Deus, tantis se sceleribus, gratiam omnem & Spiritum S. vastantibus immergi. VI. Porrò qvæ foret promissio divina domui Elifacta, I. Sam. II, 30. qvod esset habitura sacerdotium perpetuum, si in viâ Domini perseveranter ambularet, posito, Deum ipsum, finis causa antecedente reprobando filios Eli, modum omnem bene agendi præcidisse? Neqve dici potest, originaliter peccantes justè potuisse præteriri: nam promissio originaliter peccantibus facta est & eam largiebatur gratiam, qvâ convenienter federi divino sese gerere possent, nisi suâ sponte obicem DEO ponere malitiosum & parvi facere fœdera ejus maluissent. VII. Non potest deniqve cum hypothesi Calvinianâ conciliari sanctitas Divina, qvæ nec mali qvicqvam agit, nec ad malum causaliter concurrere potest. Causaretur autem malum, si id saltem nulla præcedente causâ meritoriâ faceret, ex qvo nexu immutabili malum seqveretur. Qvod & concipere de Deo optimo maximo etiam gentiles homine, Dei creatura, indignum judicarunt. Contra verò homo ab omni culpa absolvitur, qvippe qvi necessario nec amplius libere agit, cum posita causa, præteritione & reprobatione, [qvæ Reformatis cordatioribus qvoad intuitum causæ alicujus merentis non differunt] non possit seqvi effectus, lapsus nimirum in peccata, in iisdemqve ad finem usqve vitæ perseverantia.

XXI.

XXI. Sunt eqvidem, qvi Supralapsarios, ita dictos, ab Infralapsariis distinguentes, longè mitiorem his sententiam, & in Ecclesia Christiana tolerabilem adscribunt. Nimis certè cum aperto veritatis damno faciles. Supralapsarios enim, qvi Deum mera voluntate hominem in peccata præcipitasse, & ex absoluto decreto ex hac miseriâ qvosdam liberasse asserunt, qvales pleriqve ante Synodum Dordracenam, inqve ipsa Synodo Fr. Gomarus, fuerunt, I. ab Infralapsariis adeò non rejiciuntur, ut potius eorum scripta, veluti Zwinglii, Calvini, Bezæ, Piscatoris, Kekermanni, Festi, Zanchii, Danæi, Polani, Zepperi, Textorii, Sturmii, Smouthi, aliorumqve & legantur & commendentur. Neqꝫ II. ad hunc usqve diem *illi cœlo digni Heroes*, aut saltem duriores, qvibus usi passim fuere, qvasqꝫ magno numero collegerunt in Actis Remonstrantes, phrases nunqvam vel rejecerunt vel reprobarunt cœteri. III. Qvamqvam hi mollioribus adsvefacti verbis mitius antecessoribus suis sentire videntur, revera tamen vel idem vel similia docent. Distinguendum enim est inter verba eorum & sensum, per liqvidissimas consequentias expressum. Statuunt Wittaker. Thwysse, Szydlovius, alii, posse Deum creaturam innocentem ad æternos detrudere cruciatus. Et qvamqvam omnes elabi conentur vulgari distinctione, inter reprobationem positivam & negativam, seu inter reprobationem, & præteritionem, tamen salvis aliis hypothesibus suis decretum nullum, adeoqve nec præteritionis condi-

conditionatum facere, id est, suspendere Deum æternum à re temporali, decretum ejus ab incredulitate finali possunt. Qvi autem in decernendo ex absoluto agit dominio, qvidni ex eadem ἀνυπευθύνῳ potestate sine mediis decretum istud exeqvi & effectui dare possit? IV. Non desunt ex ipso Reformatorum cœtu, qvi inter supralapsarios & sublapsarios differentiam non esse, nisi in modo loqvendi, candidè agnoverunt. Id qvod demonstrant Remonstrantes in Declar. I. Art. Actor. Synod. & inprimis venerandi Theologi Witteberg. in dem Gründl. Bew. Part. II. c. I. q. IV. & V.

XXII. Atqve hæc hactenus circa præsentem locum exercendo ingenio & vindicandæ veritati dicta sunto.

EXERCITATIO. III.

De

QUÆSTIONE,

AN ACTIO SECUNDUM LEGEM HOMINIS EX SPIRITU S. RENATI MEDIUM SALUTARI CONSEQUENDÆ SALUTIS POSSIT?

I.

QUod Apostolorum ætate eveniisse cernimus, ut cum sacri Collegii Princeps, destinatus

stinatus missusqve gentibus Doctor, Paulus, epistola ad orbis caput, Romam exarata, fidei soli salutem hominis, ad DEUM tendentis, tribuendo, operibus vim justificandi pariter atqve salvandi ademisset, salutarem doctrinam alii, mundo & delitiis dediti, in venenum qvoddam fidei, charitate & omnibus bonis operationibus destitutæ converterent, alii verò, Apostolorum æmuli, causati mundi impietatem, qvi isthac ratione ab optimis qvibusvis operibus abstraheretur, conjunctis cum fide legis Divinæ actionibus salutem adscriberent: id non inseqventibus tantum temporibus, sed nostrâ qvoqve ætate, renovatis veluti studiis, accidisse, non cernimus tantum, sed & vehementer dolemus. Qvid enim superioribus magnæ reformationis temporibus Antinomi, qvodam Johanne Agricola Islebio auctore, qvi tamen postea errorem confessus & in alterum præcipitium lapsus, non minimus cudendi libri INTERIMISTICI faber extitit, pœnitentiam ex Decalogo non esse docendam profesi, aliud agerunt, qvam ut nuda operibus fides in Ecclesiæ theatrum, exclusis è Christianismi circo operibus, tanqvam saluti noxiis, protruderetur? Qvid cœtus, Romanam adorans bestiam, opera in promovenda salute hominis fidei sociando, qvàm ut legem, qvam solus Salvator explevit, fidei, qvam solam ad salutem reqvirit Salvator, exæqvaret? Dolendum est, in veræ Ecclesiæ meditullio, Patrum nostro-

nostrorum memoriâ, qvodam Georgio Majore duce atqve incentore, exortum fuisse qvoddam hominum genus, qvod dum Pontificiorum errorem sese detestari toto animo professum fuit, formulis tamen errorem illum reducentibus incautiores prona consequentia seduxit. Cui malo licet felicissimis auspiciis obviam itum maturè fuerit, dubito tamen, annon illud vel de novo qvodammodo resuscitaverint, vel certè qvam proximè ad illud accesserint, qvi, dum hodie sententiam Romanensem nobiscum rejiciunt & ceu gravissimum errorem impugnant, lingva tamen Romanensi uti neqvaqvam verentur. Existimo autem, neminem dubitare posse, cum nulla proclivior errandi in sententiis via sit, qvam error in locutionibus, rem neqvaqvam inutilem agere, qvi occasionibus errandi præstruunt & solido examine in formam sanorum verborum inqvirunt, ne sentire duntaxat cum Ecclesia, matre nostra, sed & loqvi inveniamur. Eum etiam finem propositum sibi habet præsens disputatio, qvæ inter varias loqvendi formulas, qvæ in articulo de Justificatione & Bonis Operibus subinde occurrunt, hanc solam, in qva & brevitati locus & enucleandis terminis philosophicis ansa esset, discutiendam elegit: *An actio secundum legem hominis ex Spiritu S. renati medium salutari consequendæ salutis possit?*

II. In præsenti qvæstione de terminis primo

primo nonnihil monendum est, ut qvid qværatur, iis etiam, qvi vocibus paulo magis familiaribus aures adsuefecerunt, recte innotescat.

III. Actio hominis ex Spiritu S. renati secundum legem divinam instituta, [ea enim solummodo hic intelligitur] notissimis vocabulis Bonum Opus alias adpellatur. Habet enim sese bonum hominis opus ad actionem modo descriptam prorsus, ut ad definitionem sese habet definitum. Generis locum sustinet actio & cætera differentiæ specificæ vicem subeunt. Nam cum actio hominis dicitur, exprimitur Subjectum-Qvod, in cujus mente atqve voluntate, [hæc subjectum qvo dicuntur] est atqve residet bonitas, saltem interior, actionum hominis renati moralium & qvæ Theologus Moralis virtutibus Christianis imbuenda sibi vendicat. Cum vero reqviritur actio hominis, qvi ex Spiritu S. renatus sit & secundum legem divinam ambulet, partim principia innuuntur bonorum operum, nempe gratia Spiritus S. & vires ab ea menti hominis atqve voluntati ad eliciendos actus vere Christianos concessæ supernaturales; partim forma, qvæ sita est in rectitudine legibus divinis conformi, [qva ratione excogitata præter aut contra verbum DEI ab ingenio humano opera, ἐθελοθρησκεία dicta Apostolo, Col. II, 23. removentur] & in fide qvæ hominis renati, in qvantum talis, anima est. Recte *Augustinus*, Enarr. Psal. LXVII. p. 716.

Ea sola bona opera dicenda sunt, qvæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa, qvoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum. Ut bona opera sequantur, præcedat fides, nec ulla sunt bona opera, qvæ sequuntur, nisi præcedente fide.

IV. Maluimus autem in qvæstione termino actionis legi convenientis, qvam boni operis uti, qvia tametsi, ut qvilibet videt, ista qvoad significationem coincidant, nonnulli tamen argumentis moti levibus sive in his sive in aliis loqvendi formis alterum refugiunt, alterum admittunt, & qvod mirum videri qveat, synonymum unum repudiando pro altero gravi contentione pugnant. *D. Georg. Calixtus*, celebris qvondam Academiæ Juliæ Theologus, In der Antw. §. XXIIX. *Qvoniam terminus, Bona Opera, æqvivocatione, de qua forte alibi monebo*, [monet autem alio loco, usitatum esse, ut pro operibus electitiis accipiatur] *laborat, ideo eo nunqvam sum usus, sed dixi & dico: studium pietatis, declinare à malo & facere bonum, necessarium est ad salutem.*

V. Præterea dum de medio consequendæ salutis loqvimur, perinde est, inchoatam an consummatam, h. e. fidei an gloriæ intelligi salutem. Qvamqvam enim multa antecedant gloriam, qvæ non antecedunt fidem, ea tamen neqve mediorum nomine censeri debere, neqꝫ si deberent, causalia media esse, postea ostendetur. Indubitatum autem est, easdem esse justificationis atqꝫ salutis causas. VI.

VI. Vox Medii, [qvæ hoc ipso, qvod unius disciplinæ terminis sese non contineat, Metaphysicæ considerationis est] in amplitudine sua ab eo, qvod est causa & ab eo, qvod non est causa, abstrahit, h. e. apta est designare medium, qvod simul causa est, & medium, qvod non est causa, sed qvidlibet aliud, inter causam & effectum, sine tamen influxu in hunc, intercedens. Sic cum sol subjectam sibi terram mediantibus radiis calefacit, radii causale medium producendi caloris esse, ex sese intelliguntur, qvamqvam de particulari causandi ratione, an per calorem ipsis radiis, ceu atomis igneis, insitum, an per virtutem elicendi ex terra calorem isthoc fiat, inter naturalis Philosophiæ Doctores non conveniat. Cum vero mercator per mediam novem milliarium viam Durlaco Argentoratum proficiscitur, via medium est non-causale, nisi forte viam pro motu in via accipias; nec enim vel profectionem efficit, vel ad terminum itineris acqvirendum, ulla causandi ratione concurrit. Differentiam præter cætera mos etiam & loqvendi consvetudo nobis insinuat. Ubi enim causale medium deprehenditur, effectus ei partim in casu recto, partim in obliqvo, sed cum verbis actionem, [qvæ causalitas est causæ efficientis] denotantibus recte adscribitur, qvod in non-causali vel non fieri posse, vel certe non commodè, facile cernitur. Rectè dico: Sol efficit calorem mediantibus radiis; minus rectè:

Petrus proficiscitur Durlaco Argentoratum mediante via. Mediare n. actionem includit, qvæ viæ non competit, competit autem radiis. Iterum rectè dico: radii efficiunt calorem; vel: radii sunt medium efficiendi aut producendi calorem; minus autem rectè: via acqvirit terminum itineris Argentoratum, aut: est medium acqvirendi terminum itineris, ob easdem prorsus rationes.

VII. Id etiam causæ est, cur morale medium, secus ac fit in Physico, nunqvam nisi causale esse possit. Morale voco, qvod ad acqvirendum aut obtinendum qvendam finem, qvem animo destinaveras, ita comparatum est, ut eundem non actione qvadam physica producat, sed tamen vel directa vel indirecta agentis intentione ad propositum finem conseqvendum per actum moralem tendat & cui propterea impetratus finis rectè attribuatur. Quam in rem pono primum aliqvot exempla. Medium morale adseqvendi summum hominis civilis finem, qvi juxta Peripateticos in actione secundum virtutem consistit, est ipsa virtus, qvæ summum bonum non virtute physica producit, sed ex intentione agentis ad moraliter illud producendum dirigitur atqve hoc ipso causale medium esse censetur. Educationis puerilis finis est, ne per morum luxuriem societatis civilis vinculum paulatim dissolvatur, qvem Parentes atque Præceptores media τῆ τῶν παίδων ἀγωγῆ, tanqvam actu morali, suapte

ſuapte natura ad id ordinato, etiam cum abeſt vis phyſica obtinent, qvæ propterea inter cauſas remp. conſervantes non immerito numeratur. Jam porro actum moralem cenſeri non eum duntaxat, qvi cum actio phyſica & realis in ſe ſit, effectum tamen non vi phyſica & immediate producit, ſicut calorem vis uſtiva ignis in actum deducta, ſed mediante vi alia effectui reali actione producendo non impari, ſicut domus combuſtionem adplicatio ignis per virtutem urentem: ſed & qvamlibet omiſſionem ejus, qvod omitti non debebat, apud Primæ Philoſophiæ peritos in confeſſo eſt. Nam non vigilando & manum non admovendo, ubi ingruente tempeſtate vigilare & manum admovere debebat, gubernator, non minus cauſa naufragii moralis redditur, ac ſi fortiſſima qvavis actione ipſe navim ſubmerſiſſet. Id enim indirecte intendere dicimur, qvod ut eveniat, aliqvid ſtudio omittimus, aut ne eveniret, opera non ſatis diligenti cavimus.

VIII. Iisdem, arbitror, rationibus ducti fuere, qvi in nuperis hoc de negotio conflictibus negârunt, dari poſſe conditiones, qvas vocant, ſine qvibus non, in actionibus moralibus, qvæ non ſint cauſæ. Nam ejusmodi conditiones aut actiones eſſe morales, aut omiſſiones actionibus æqvipollentes, ſua ſponte intelligitur. Jam verò actio conſenſu qvodam Philoſophorum character eſt, ſeu, ut φιλοσοφικῶς lo-

qvar, causalitas causæ efficientis, qua posita efficientem causam abesse tam impossibile est, qvam fieri non potest, ut præsente anima informante absit animal. Sicut autem per actionem physicam, qvæ realis dicitur, causa constituitur physica, ita per moralem, qvæ intentionalis in oppositione vocatur, moralis. Qvamqvam, si dicendum, qvod res est, neqve sufficienti ratione nituntur, qvi ita disputant, neqve medium morale, & conditio sine qvâ non moralis, seu in actione morali consistens, rectè æquiparantur. Nam actio moralis, præcisè considerata, neqve medium exprimit, neq; causam, sed causam tum demum, qvando ad effectum, medium verò, qvando ad finem, [in oppositione enim ad finem causam medium dici, ultrò patet] assequendum ex agentis intentione dirigitur. Neqve verò sequitur: actio est causalitas causæ efficientis; Ergo positâ conditione sine qvâ non morali ponitur perinde causa vel medium morale, ac positâ animâ rationali ponitur homo; qvia non omnis actio, sed ea tantum, qvæ effectum ut producendum respicit, causæ efficientis causalitas est, neqve impedit, circa causam efficientem, sive necessariò sive contingenter, alias qvoqve versari atqve conspici actiones, quæ tamen in effectum non influant. Cujus rei documentum est actio causæ sine qvâ non, e. gr. remotio valvarum ad illuminandum hypocaustum, qvæ actio certè est, nec tamen ullum in calefactionem

nem influxum physicum præstat, physicæ tamen causæ non connectitur tantum, sed ἐξ ἀνάγκης connectitur. Qvemadmodum igitur hæc ipsa causa sine qvâ non causæ qvidem nomen sustinet, vera tamen causa non est: ita ex actione qvidem constat & tamen in effectum causalitatem non exercet. Ex qvibus certè manifestissimum est, infirmam necti consequentiam, si qvis disputet, ideò conditiones sine qvibus non morales causas esse earum rerum, qvarum sunt conditiones, qvia actiones sint morales; nisi ex eodem prorsus fundamento causas & conditiones sine qvibus non physicas verarum causarum numero vindicare velis, ideò, qvia actiones sunt physicæ, ut remotio puris in vulnere & approximatio ollæ ad ignem. Nempe ut causæ sine qvâ non physicæ, additamentum alienans, veritatem detrahit, speciemque ei tantum causæ relinqvit; ita idem circa conditionem sine qvâ non moralem fieri nihil prorsus obstat. Sed verò medium morale & conditio moralis, absolutè posita plus dicunt qvàm actionem moralem, atq; ordinationem ad finem includunt ex intentione agentis. Igitur medium morale, qvod conditionem aliqvando per me appelles licet, est ipsamet formalis ratio causæ moralis, qvæ & aliqvando causæ ipsius nomen induit, sicut de communi Philosophorum sententia crebrò iteratæ actiones causæ dicuntur habituum effectrices, non obstante, qvod medium tantum sint & causalitas

eorum agentium, qvæ istiusmodi sibi habitus acqvirunt.

IX. Qvæ res ut evidentior fiat, sic procedo. In causa efficiente omni spectandum est id, qvod in esse causæ eandem ponit & causalitas dicitur. Id in efficiente physico actio est realis, immediate [immediatione causæ principalis physicæ, nam instrumentalis causæ physicæ non obest] effectum attigens; in efficiente morali est actio intentionalis, h. e. omnis actus inter agens morale & effectum interjacens, qvi intentionaliter ad effectum producendum dirigitur, ut tamen isthac immediatione eundem non attingat. Ex. gr. Architectus causa efficiens physica est domus, per realem actionem immediate eandem producens, utut intervenientibus instrumentis: ille idem moralis causa est lucri ex labore captati, qvod lucrum immediata actione non produxit, sed mediante ædificatione, quam intentionaliter ad consequendum lucrum direxit. Ædificatio igitur præcise, ut actio considerata, causalitas est causæ physicæ: eadem considerata, ut ad aliud qvid producendum directa, character est causæ moralis. His positis, [qvæ in compendio ea sunt, qvæ uberrime ab eximiis hac in eruditione viris, *Petr. Musæo* & *Fridem. Rechmanno* traduntur] dico, nullam nominari posse conditionem moralem, qvin per intentionem agentis sive directam sive indirectam ad consequendum aliqvem finem dirigatur,

gatur. Conſeqvitur ergo, omnem conditionem moralem alicujus cauſæ moralis eſſe cauſalitatem. Ubi tamen & id obſervari operæ precium eſt, unam eandemqve rem diverſimode conſideratam & comparatione variorum agentium conditionem cauſalem & non cauſalem eſſe poſſe, cauſalem, relatam ad agens morale, non cauſalem, ad phyſicum. Sic remotio valvarum ſub mera ratione abſentiæ impedimenti concepta conditio eſt ſine qva non, h. e. medium non cauſale ſolis hypocauſtum illuminantis: eadem remotio, ut actio concepta ejus qvi hypocauſtum illuminare intendit, conditio ejus eſt cauſalis.

X. Eqvidem negari non poteſt, qvarundam lingvarum eum eſſe genium, ut qvæ propriè actionem non includunt, verbis tamen activis enuncient, h. e. qvæ cauſalia non ſunt, qvaſi cauſalia eſſent, eloqvantur. Sic *dicitur* Simeio, vel ut vulgata habet, *præcipitur*, à Deo, ut maledicat Davidi, qvæ verba tamen neqve vim qvandam phyſicam efficiendi maledictum, neqve perſvaſionem aut inſtinctum moralem ad malum inferunt, qvod Deus neqve velle ob bonitatem ſibi eſſentialem, neqve efficere ob perfectionem poteſt. At vero aliud longe eſt, ex lingvarum idiotiſmo verbis activis meram exprimere permiſſionem, (qvamqvam alio reſpectu actio Dei non una conjuncta fuerit) aliud, verbis ea in poteſtate uti, qvæ ipſis naturalis eſt, qvamqve ſubjecta materia ad inſi-

tam ipsis proprietatem magis stringat, alligerqve. Veluti cum exprimo finem, mediante actione qvapiam obtinendum, aut terminis utor, qvibus perpetua Philosophorum consvetudo causalem significationem impresit.

XI. Jam qvæ de conditione morali dicta sunt, majori longè jure in medium morale conveniunt, qvippe cujus esse in eo consistit, ut eo per agentis voluntatem mediante effectus obtineatur. Qvare ad differentiam medii naturalis, qvale est διαφανές respectu visus, medium acqvirendi, aut conseqvendi, qvæ ipsa vocabula intentionem in se qvandam agentis includunt, dici potest: ein Mittel etwas zu erlangen/ qvo cum addito medium naturale nunqvam involvit.

XII. Res adeo certa est, ut negare non possint ii, qvi diversum à nobis hic videntur sentire. Theologi Academ. Rintelens. in Epist. Apolog. p. 126. 146. *In universum*, inqviunt, *sive efficiendus finis sit sive obtinendus, (duplicem enim his terminis faciunt Philosophi) certas causas, certaqve principia, aut si mavis media,* [hæc igitur illis cum causis idem sunt) *requirit, per quæ efficiatur vel obtineatur & absqve qvibus sit, nec effici obtineri qveat.* Id qvod deinde exemplo beatitudinis civilis & operationis animæ rationalis secundum virtutem illustrant & cum salva fidei analogia opera bona causæ salutis dici neqveant, solam fidem in hunc censum vocant: *familiare est nostris,* inqviunt,

inqviunt, *cumprimis medii appellatione complecti, qvod principium ac causa salutis est ex parte nostri, & qvo immediate ac proxime salvamur. Sic sola qvidem fides salutis nostræ medium est, sed necessum tamen fuerit, ut à qvibus ipsa fides originem & Spiritum qvasi ac vitam trahit, in parilem necessitatis ac rigoris gradum cum illa concludantur.* Qvo sine dubio etiam tendit à Scholasticis inventa & à nostris freqventer usurpata distinctio inter necesitatem præcepti & medii, qvamqvam qvæ medii est, non possit non etiam præcepti esse necesitas. Si enim medium in hac materia qvidlibet aliud præter causam designare posset, frustra præceptum illi contradistingueretur & hoc ipso, qvod omnis causalitas salutis operibus denegatur, medii qvoqve vox ad ea neqvaqvam diffunditur.

XIII. Atqve hæc hactenus ad terminorum notitiam necessario præfari oportuit, cum & id professionem nostram reqvirere & sine solida harum rerum cognitione qvæstionem propositam decidi non posse qvilibet videat. Qvibus verò suppositis, utrum affirmari an negari qvæstio debeat, nulla difficultate cernitur.

XIV. Nam cum juxta catholicam Ecclesiæ Lutheranæ doctrinam salutis ex parte hominis nulla alia causa dari qveat præterqvam fides, fieri neqvit, ut actio secundum legem medium salutis conseqvendæ, qvod cum causa idem est, constituatur. At verum esse prius in confesso est. Ergo nec de posteriori dubitari debet.

XV. Inſpiciamus cardinalia orthodoxæ doctrinæ fundamenta. Rom. III, 28. *Arbitramur, hominem juſtificari*, (audis primum ſalutis inchoatæ introitum) *fide ſine operibus legis*. Sine qvo autem januam ſalutis ingredimur, id non eſſe medium conſeqvendæ primæ ſalutis, ex ipſis terminis intelligitur. Rom. XI, 20. *Exciderunt gratia Judæi ob incredulitatem, ſtant vero gentiles converſi per fidem.* (habes ſalutis inchoatæ continuationem (ſine qvo autem in ſalute perſeveramus, id non eſt medium continuatæ ſalutis. Et qvi per fidem perſeverat, per opera non poſſe perſeverare, ex oppoſitione colligitur, Rom. IV, 14. ſeqq. Deniqve Tit. III, 5. *Salvos nos facit DEUS*, (conſummatam ſalutem deſcribit) *non ex operibus injuſtitiæ factis*. Sine qvo vero ſalutem conſummatam conſeqvimur, id medium ſalutis conſummatæ eſſe neqvit. Sed cum res ſit in propatulo, nec hujus loci, diſqvirere de iis, qvæ aliunde ſupponenda ſunt, plura non addemus.

XVI. Accedimus ad adverſariorum ſententias, inter qvos primo loco ponimus Pontificios, qvi actionibus legalibus vim adipiſcendi ſalutem ita adſcribunt, ut per modum non medii tantum ſed medii meritorii concurrere ſtatuant. Quamqvam vero in ordine ad ſalutem conſummatam meritum ponant de condigno & in ordine ad ſalutem inchoatam meritum tantummode, ut vocant, de congruo, medium tamen utrobiqve eſſe volunt, qvod

ipſi

ipsi termini declarant. Sed vero contra hos præsens disputatio non est instituta, qvæ breviores sibi fixit terminos, qvam ut in tam amplum possit mare diffundi.

XVII. Calvinianorum sententiam ita recenset *Wendelinus*, II. Christ. Theol. IV, 62. n. 4. ut dicat, concedere bonorum operum ad salutem necessitatem, non qvidem ratione meriti & efficientiæ, ut Pontificii, sed tamen ratione præsentiæ & existentiæ, nempe tanqvam conditionem, è divinæ voluntatis hypothesi, saltem in adultis, necessario antecedentem. Vidit autem *Gisb. Voetius* & defendit amplius, Disp. Inaug. opera bona *viam, conditionem, causam sine qva non, media salutis assequendæ* dici non posse, nisi fateantur simul, *recte & proprie dici posse causam aliqvo modo efficientem salutis*. Contradixerunt eqvidem vehementer socii, in primis publicis scriptis *Jac. Batelier* & *Sam. Maresius*, contra Voëtium & *Andr. Rivetus* contra Grotium, qvi Voëtio suffragabatur: at ille & suorum se verbis, qvos magno numero adduxit & terminorum perpetua apud Philosophos acceptione tutatus, camarinam movit discordantium opinionum, qvas Reformata hac in qvæstione tenet Ecclesia; qvibusdam negantibus, opera causam dici debere aut medium salutis, aliis asserentibus, esse medium, viam, causam sine qva non. *Addunt alii*, inqvit, *causam inferiorem, causam aliqvo modo, causam secundariam, causam instrumentalem, causam adjuvantem, princi-*

principium per se influens in salutem: Immo & non nulli concedunt, posse dici merita improprie dicta. Quamqvam verò ex terminis conditionis & medii moralis causalitatem recte inferat Voëtius, nos tamen iis, qvi hodie contra suimet cœtus sententiam opera causas esse salutis præfracte negant, hanc opinionem, ceu expressam, non adscribemus, sed qvod tamen sententia verbis ad veritatem magis accedentibus temperata veritatem non minus qvam priores illi lædant, dicere neqvaqvam veremur.

XVIII. Qvi superioribus annis rejectam in colloqvio Altenburgensi formulam: Bona opera sunt necessaria ad salutem, vel totidem verbis vel æqvipollentibus: desistere à malo & studere pietati necessarium est ad adipiscendam salutem, ob dissolutos desperatosqve seculi nostri mores, in Ecclesiam reducendam esse docuerunt, ab ea qvoqve, de qva disqvirimus, phrasi non fuerunt alieni. Qvod dum adductis eorundem verbis mox sum demonstraturus, miror, virum undiqvaqve clarissimum hoc negasse, in dem Bedencken von dieser Redens Art / si tamen judicium ejus est, cujus præfert nomen. Dahero nicht die Frag ist / ait, ob jemand durch gute Wercke könne die Seligkeit erlangen? Oder ob sie der gestalt zur Seligkeit nötig / wie das Verdienst Christi und der Glaub dazu nötig ist / nemlich entweder als ein principal Ursach / als ein medium, oder als ein instrumentalis causa? Dann dieses alles wird von Hrn. D. Hornejo selbst als falsch und unrecht verworffen.

XIX.

XIX. *D. Conr. Hornejus* vero, Iter. Aff. §. LIV. *Quod est medium*, inqvit, *ex natura tantum necessarium, sine qvo peccatoribus à DEO nihil donari, vel qvod gratis datum est, usui illis esse potest, illud est necessarium ad omnia dona, qvæ DEUS donat, accipienda. At talis est pœnitentia, cum qvis desistit à malo & facit bonum.* Plures sunt loci, qvam ut exscribi debeant, ubi & media vocat & media moralia, §. LXXIV. C. CIII. CXXII. *D. Georg. Calixtus*, principio Theologiæ Moralis: *Finis ultimus hujus Theologiæ est salus & beatitudo æterna. Intermedii verò conservatio fidei & sanctimonia vitæ, qvæ legibus & voluntati DEI conformetur. Sive potius accurate loqvendo, finis hujus partis adæqvatus est conservatio fidei salvificæ & status gratiæ, in qvantum à studio pietatis & sanctimonia vitæ pendent.* Paulo post hæc seqvuntur: *Neqve nunc medium ipsum, à qvo consecutio finis secundum hanc considerationem pendet, ignorari poterit. Id videlicet est sanctitas vitæ, posita in actionibus legi & voluntati divinæ conformibus. Actiones itaqve hominis Christiani, qvales diximus, media sunt ad rem nostram facientia, qvæ propterea potissimas tractationis partes sibi vendicabunt.* Seqvitur Præceptorem vir doctissimus. *Jo. Conr.* Dürr/ qvi in Enchir. Theol. Moral. initio: *Moralis Theologiæ finis*, inqvit, *est vel internus, qvi est vitæ sanctimonia, vel externus & ultimus, qvi est salus æterna.* Deinde: *Media sunt ipsæ virtutes Christianæ.* Part. III. sect. 1. §. 1. *Ut & Theologus moralis & ipse homo virtutib⁹ Christianis imbuendus finem sibi propositum conse-*

conſeqvantur, certa debent habere præſcripta media, qvibus in illum ordinentur & dirigantur. Qvoniam autem & finis ipſe eſt ſupernaturalis & ſubjectum ſive homo Chriſtianus non ut in ſtatu naturæ ſed gratiæ conſtitutus conſideratur, neceſſe eſt, media ipſa fini & ſtatui iſti ſupernaturali eſſe proportionata, adeoqve non ex naturalibus viribus, ſed ſupernaturali gratia dependere.

XX. Eqvorum verbis ſeqventia colligas licet. I. Bona opera & actiones hominis Chriſtiani legi DEI conformes media ſalutis & vitæ æternæ appellant. II. Media non vitæ tantum gloriæ, ſed vitæ in univerſum, h. e. omnium donorum, qvæ à Dei liberali in nos manu diſpenſantur. III. Medium morale, ad finem Theologiæ, fidei conſervationem & ſalutem impetrandam ex natura ſua faciens; ſicut nempe actiones ſecundùm virtutem medium morale ſunt conſeqvendi ſummum bonum, juxta Ariſtotelem. IV. Medium à qvô ſtatus gratiæ dependet. At dependere propriè non niſi effectus eſt à ſua cauſa: & ſtatus gratiæ dependet à bonis operibus, tanqvam finis à medio, igitur tanqvam effectus à cauſa. V. Medium, qvô homo ad ſummum finem, nempe animarum ſalutem conſeqvendam ordinetur & dirigatur. Qvale medium id eſſe neqvit, qvod nullam ad finem ſuum obtinendum cauſalitatem exercet, veluti ex medio virilis ætatis reſpectu ſenectutis & veſperæ in ordine ad noctem apparet. Deniqve VI. Medium ſtatui ſalutis proportionatum, qvalis nempe proportio

eſt

est inter causatum & causam, juxta canonem: Qvalis causa, talis effectus: &: effectus non est nobilior sua causa.

XXI. De qvibus vero omnibus, qvid judicari oporteat, ex iis constat, qvæ de medio morali in superiori discursu proposuimus. Nunc supplementi causa de iis, quæ excipi possent, intra justam brevitatem dispiciemus.

XXII. Nempe negant consequi: Virtutes Christianæ sunt medium assequendi salutem. Ergo sunt medium causale, qvale solum ad salutem concurrere neget qvodam consensu Ecclesia Lutherana. Nec enim ullam esse à genere ad speciem collectionem. Ex hactenus dictis autem facile respondetur. Nam I. collectio non instituitur à genere ad speciem, sed à specie ad adjunctum ejus inseparabile, veluti cum qvis colligit; Petrum esse risibilem, quia sit animal rationale, non obstante, qvod ab animali, ut sic, inidonea sit ad risibilitatem consecutio. II. Distinguendum est inter vocem medii absolutè positam & absolutè intellectam. Videlicet ubi nostri ex medio ad causam argumentantur, absolutè ponunt nonnunqvam medium, nunqvam absolutè intelligunt, sed iis conditionibus determinatum, qvibus illud allegati auctores circumscribunt. At illud causale esse, adducta eorum verba sole meridiano clarius produnt.

XXIII. Deinde, de causa tantum meritoria aut certe efficiente, non de medio qvolibet

bet contra Pontificios controversiam nobis esse ajunt. At respondetur. I. De medio causali in genere sermonem nostris semper fuisse, notius est, qvam ut productis Symbolicorum librorum testimoniis debeat probari. Corpus Doctrinæ Julium magnâ cum ἐμφάσει p. 15. Es soll mit Bescheidenheit aus der Schrifft dieser Grund geleget werden/ wie Christus allein verdienet hat GOttes Gnade und die Seeligkeit: also sey allein der Glaube ohne Zuthun der Wercke/ das einige Mittel/ dadurch wir solchen Verdienst Christi/ so uns im Wort und Sacramenten fürgetragen wird/ ergreiffen/ zu uns nehmen/ und des theilhafftig werden. Und hiebey muß auch angezeigt werden/ daß ein rechtschaffener Glaube nicht sey ohne gute Wercke/ sondern er ist thätig durch die Liebe/ und bringet viel Früchte in guten Wercken: aber das Amt und die Eigenschafft hat der Glaub/ und nicht die Werck/ daß er allein das Mittel und Werckzeug ist/ dadurch wir GOttes Gnade und Seeligkeit durch Christum verdienet/ zu uns nehmen und an uns bringen/ ohne Zuthun der Wercke; wie dieser Lehre gewaltiger Grund in Apologia deduciret wird/ dahero die Pastores Grund und Testimonia nehmen sollen. II. Medium morale in actu positum, juxta ea, qvæ supra à nobis disputata sunt, causalitas est causæ efficientis moralis. Sive verò illa sit in genere morum principalis, sive instrumentalis, causæ tamen efficientis est, cum non possint non de genere dici, qvæ de specie dicuntur, eoqvé ipso

ipso, dum de medio morali qvæstio est, de causa efficiente qvæstio est, ut qvilibet videt. III. Qvamqvam medii seu causæ instrumentalis nomen virtutes renatorum per Lutheranum: *Sola Fide*, obtinere prorsus non possint, [qvam in dignitatem eas olim extulit *Beza* atqve *Zanchius*) nihilominus ubi media moralia dicuntur salutis, media seu causas principales intelligi necesse est, eò qvod media fini suo, id est, saluti proportionata, qva ratione illa describunt, qvi isthoc termino utuntur, causæ sint principales, cum instrumentales infra proportionem illam subsideant, nec nisi à superiori elevatæ, ut notum est, operentur.

XXIV. Porro regerunt, agnoscendam utiqve esse qvandam inter medium morale Theologicum & Philosophicum differentiam; hoc causalitatem qvampiam inferre, eò qvod actus morales causæ sint habituum suorum, juxta receptam Doctorum opinionem, at illud non item, ob claram S. Scripturæ literam, qvæ aliud aperte doceat, dici tamen nihilominus medium salutis posse, non ut causaliter & positivè eandem producat, sed in qvantum efficiat, ne ejus absentia amittatur. Ita novissimè loqvendi modum excusat D. Fr. Ulr. Calixtus, in Respons. ad D. Calov. Thes. Anti-Syncret. Th. I. p. 3. *Dixerat*, ait, *Calixtus, ut homo in statu gratiæ permaneat, præstare seriùm veræ pietatis & sanctimoniæ studium, si non alia ratione, certè tanqvam causam, qvæ removeat causam, alias destructuram, qvod nos serva-*

tum cupimus; (tanqvam causam, qvæ removeat prohibens continuationem gratiæ DEI, qvod prohibens est impuritas vitæ, de qvâ mox ibi loqvitur) Si qvis tamen his ita perceptis nihilominus offendatur voce medii, qvam Calixtus de studio sanctitatis vitæ, in qvantum hæc ad fidem & statum gratiæ non amittendum, seu conservandum, necessaria est, usurpavit, is audiat explicationem pii viri, Respons. Mogunt. oppositi, parte I. §. LXV. Neq; enim hæc observatio, (mandatorum Divinorum moralium, ut proximè ibi præcedit) ad impetrandam salutem concurrit positivè, ut vera causa vel MEDIUM; nisi fortè medium appellare libeat, qvicqvid inter initium salutis & finem reapse possessum intercedit, vel eum qvocunque modo præcedit, qvæ fuerit vocabuli, ut hic adhibetur, impropria & æqvivoca acceptio. Causam itaq; atqve medium appellari posse Bona Opera, non verum & positivum, sed negativum & per accidens, qvo non tam efficiatur & impetretur, qvam conservetur & custodiatur salus. Conservari enim & non amitti hic unum idemqve esse. Sicut uberius disputat in Demonstr. Liqvidiss. ad Art. IV. Aug. Conf. Punct. XII. p. 213. seqq. ex qvibus hæc excerpimus: *Per causam fidem & statum gratiæ conservantem non intellectam nostri voluerunt causam per se, sed saltem causam per accidens*, qvæ scilicet prohibeat, *ne jus ad hæreditatem vitæ æternæ aliqvando adeundam amittant, siterum peccent. Ast videor mihi videre D. Calovium, hic rursus objecturum & dicturum, non tantum affirmare Calixtum, qvod præstet pietatis &*

sancti-

sanctimoniæ studium, ut fides & salus non amittatur & intercidat, sed addere eundem, quod idem quoque studium efficiat, ut ista conserventur & custodiantur. Non amittere autem & retinere, conservare ac custodire, adeo notabili inter se differre discrimine, ut prius tum concordiæ Formula, tum Corpus Doctr. Julium admittat, posterius non item. Verum non tantum priori sed etiam posteriori loquendi modo sive phrasi, ante motam hanc controversiam, multos sinceros Doctores in explicatione S. Scripturæ usos esse, agnoscit ipsa Formula, Art. IV. p. 707. Illi vero ipsi, qui formam sanorum verborum sese tum demum retinere persvasi fuerunt, si per sanctimoniæ studium fidem & salutem non quidem conservari & retineri, sed non amitti concederent, officium retinendi & conservandi fidem & salutem bonis operibus justificationem sequentibus, aliter adimere non possunt, nisi sub ratione causæ per se, quod Calixtus quoq; facit minimè verò sub ratione removentis prohibens, quæ non est vera causa, sed saltem per accidens. Etenim, si affirmaverint, docere Formulam Concordiæ, quod pietatis studium neq; ut causa per se, neq; ut removens prohibens, fidem & salutem retineat & conservet, admittendum quoq; erit, etiam alios Ecclesiarum nostrarum Doctores nunquam non pro orthodoxis habitos, Formulæ hac in parte contradixisse. Ut nihil nunc dicam de iis, qui anteqvam Liber Concordiæ prodiret, floruerunt, recentiores saltem, qui post publicatum & passim receptum scripserunt, audiamus. Qvem in finem D. Dav. Chytræus, D. Leonhardus Hutterus,

D. Fridericus Balduinus, D. Dav. Rungius & D. Salom. Glasius adducuntur.

XXV. Ad qvæ ut ordine respondeamus, dicimus. I. Si de τῷ τί ἦν εἶναι seu qvidditate medii moralis est causari, sicut esse suo loco probavimus, tunc per Theologiam æqve ex immutabili suo significatu non dejicietur, ac homo, qvi in Philosophia per essentiam suam rationalis est, per Theologiam rationis expers ullo modo effici neqvit. II. Per Dd. *Hornejum & Calixtum* vel idem prorsus sunt vel sese immediate consequuntur, non-amitti & conservari vel acqviri. Si igitur actiones fidelium legales sunt media non-amittendi seu ne amittatur salus, media qvoq; erunt conservandi vel ut conservetur salus. At vero media conservantia, ne concipi qvidem sine causalitate possunt, qvippe qvæ cum causis conservantibus prorsus coincidunt & reciprocantur. III. Qvinimo ne media qvidem non-amittendi salutem sine grandi ἀκυρολογίᾳ vocari posse, non dubito asserere. Qvæ enim cunq; media moraliter efficiunt, ne mergatur navis, illa eadem, ut sarta atqve tecta consistat, operantur. Qva in re diversa hujus vocis à termino necessitatis, (de qvo tamen non minores sunt lites) est ratio. Qvippe possunt aliqva in gubernatore navis reqviri seu necessaria dici, qvibus absentibus pereat navis, qvæ media tamen non mergendæ navis nonnisi καταχρηστικῶς appelles. Sic cor hepar,

hepar, caput, aut si qvæ aliæ sunt in homine partes principales, necessaria sunt, ut existat gubernator, ne eo sublato naufragium fiat, neminem tamen sic audias loqventem: mediante corde aut hepate gubernatoris non mergitur navis, aut: Hepar est medium non amittendi navim. Et ratio in promptu est, qvia medium respectum dicit ad eum, qvi per medium agit & ordinem ad id, qvod agitur, qvæ verò in allatis exemplis exulant.

XXVI. Sed verò pressius nobis consideranda sunt, qvæ Theologum Parentis sui Hyperaspisten pro defendenda, qvam nos impugnamus, loqvendi forma, adduxisse vidimus. Primò itaqve distinguit inter causam seu medium verum atqve positivè in salutem influens, atque tale pietatis studium non esse profitetur, & inter causam, mediumque, removens prohibens, quo nempe salus negativè impetratur, id est, non destruitur, qvale medium salutis serium sanctitatis studium esse, neminem ait inficiari posse. Sed verò ad hoc duplici modo respondetur. I. Qvicunqve sanctitatis studium medium absolutè & citra appositum vocat salutis conseqvendæ, is per ordinariam loqvendi rationem medium intelligit atqve insinuat causale, id est, causam veram, non verò meram conditionem sine qva non. Ideò enim termini additi: *removens prohibens*, &: *sine qvâ non*, causæ vocabulo adpo-

nuntur, ut veritatem causalem destruant; unde & termini alienantes vocantur; qvare non additi, communi loqvendi & intelligendi consuetudine, causæ notionem in propriâ accuratâqve significatione relinqvunt. Qvod & de voce: *Medii*, sentiendum esse, ultrò patescit. Non eqvidem nunc disputo de reipsa, seu, utrum Calixtus bonis operibus veram in ordine ad salutem causalitatem adscripserit, sed de loqvendi modo, qvid ille ex se & per se signet, qvem ille conceptum legentis animo ingenerare, non per accidens, sed ex vi propria atqve nativa, aptus sit? In formam sanorum verborum, non in sententiam inquiro. Theologo enim æqvè curæ est, ut rectè loqvatur, ac ut rectè sentiat. Qvia ex locutionibus erroneis, seu errorem per se enunciantibus, non possunt non nasci etiam erroneæ sententiæ. At verò, ei, qvi in frontispicio Theologiæ moralis isthæc legit: *Finis ultimus hujus Theologiæ est salus & beatitudo æterna. Neque nunc medium ipsum à qvo consecutio finis secundum hanc considerationem pendet, ignorari poterit. Id videlicet est sanctitas vitæ, posita in actionibus legi & voluntati Divinæ conformibus*: prona in mentem illabitur hæc consequentia: Medium absolutè positum, absolutè intelligitur. Medium autem morale, absolutè intellectum causa est. Qvemadmodum cum dico: causa salutis nostræ est fides, causam veram propriè

priêqve dictam intelligo, qvia causæ vocabulum absolutè pono. Neqve rectè dico: causa caloris in ollâ est approximatio ad ignem, nisi addas: causa, sine qvâ non calefit olla; qvia alias causa vera & apparens in enunciandi nominandiqve ratione non differrent. Eqvidem non possum negare, fieri aliqvando, ut, qvæ absolutè ponuntur, non statim absolutè intelligantur, cum nulla regula sit sine exceptione, & nonnunqvam vocabulis, nullo additionis indicio munitis, in impropriâ significatione liberrimè utamur, qvia tamen ordinariè & communiter absolutè posita absolutè exaudimus, nisi ex manifestis circumstantiis de alia verborum mente apertè constet: ideò nec hic aliter fieri posse eò confidentius pronunciamus, qvia de alio & improprio termini controversi sensu non tantum ex ullo præsentis textus indicio haud constat, sed insuper etiam magno graviqve argumento proprio sensui inhærere compellamur. Nam II. Qvi sanctitatis studium tale medium morale vocat, qvale in disciplina morali, fini suo assеqvendo, reqviritur, & ex qvo finis dependet, is certè hoc ipso, qvantum in se est, innuit, causale se medium, non aliud intelligere. Neqve enim, nisi hoc faceret, vel officio Doctoris Moralis vel discentis desiderio satisfaceret, qvod in Disciplina practica, ubi de fine, imprimis tam pretioso, tam perfecto, audit, non satis habet, removere obstacu-

la, qvo minus is obtineri posſit, impeditura, ſed in media qvoqve cauſalia inqvirit, & qvo pacto, qvibus inſtrumentis efficere finem, eoqve potiri qveat, ſollicitus eſt. Qvod Ethices exemplo clariſſimè docetur, qvæ, ubi de mediis ſummum bonum procurantibus tractat, neqve ea primo loco, neqve ſolum laudat, qvæ impedimenta removent, utpote, qvomodo affectus ita ſint compeſcendi atqve moderandi, nec virtutem ad ſummum bonum grasſaturam ſufflaminent, ſed in iis commendandis præcipuè occupata eſt, qvæ beatitudinem civilem verè proprièqve producunt. Cum itaqve â Calixto, iisqve qvi viri ductum ſecuti ſunt, in tradendâ Morali Theologiâ, poſt nominatum ejusdem finem atqve ſubjectum, non alia fuerint ſuggeſta media, niſi virtutes Chriſtianæ; qvis hominum, naturali ſenſu pollentium, niſi ea potuit intelligere media, qvæ ad finem obtinendum cauſaliter facerent, qvorumqve præſidio atqve auxilio beatitudinem Theologicam non tantum non amittere, ſed impetrare etiam poſſemus? Cum probabile non ſit eum, qvi integrum Theologiæ Moralis Syſtema juſto perfectoqve ordine comprehenſurus eſt, omiſſis & ſilentio involutis præcipuis, infimi tantum ordinis media, finem non tam efficientia, qvam ne non efficeretur, impedientia, & prodituram & magno ſtudio tractaturum eſſe.

XXVII. Video eqvidem, duo hic excipi posſe, qvæ ideò nobis, priusqvam ad cætera progrediamur, diluenda erunt. I. Ideo non potuiſſe in doctri-

doctrina Theologiæ Moralis mentionem fieri alius medii, præterqvam removentis prohibens qvia hic habitus practicus, ab aliis in rigore ita dictis hac ipsa in re discrepet, qvod cæteri per media practica, id est, virtutes, ut causas, ad fines sibi præstitutos properent, hic autem non item; cum ejus medium qvo beatitudinem æternam prosequitur, non sit actio virtutis, sed apprehensio fidei. Igitur non sub alia ratione, qvam qvalem fidei ἀναλογία admittit, virtutibus hic mediorum mensuram tribuendam fuisse, aut attribui potuisse. Atqve hanc differentiam, II. luculenter significatam fuisse à Calixto, qvando ab actionibus virtutum, ut mediis salutem adipiscendi, eatenus tantum suspenderit, *in qvantum hic finis à studio pietatis & sanctitatis pendeat.* Non autem pendere aliter, nisi ut à causa removente prohibens. Ergo *secundum hanc considerationem*, neqve ullo alio modo virtutes pro medio beatitudinis Theologicæ venditatas fuisse.

XXVIII. His verò non meritò obvertitur. I. Qvamqvam utiqve ingentem inter habitus practicos naturalem & revelatum differentiam esse non illubenter agnoscamus, hæc tamen ipsa satis gravis causa fuerat, de discrimine hoc, ea, qvæ necessaria ad disciplinæ pædiam fuerant, in fronte ejus prænonendi. Qvod cum factum à Calixto haud fuerit, qvis in eadem observata methodo, qvam tenere moralis Philosophiæ Scriptores consveverunt, in iisdemqve observatis verbis non eosdem caperet imprimeretqve menti sensus?

Ut cum audit, Theologiam moralem perinde ut Ethicam habitum practicum esse, cum audit finem habere, in praxi consistentem, cum deniqve audit, media huic fini assequendo destinata actiones esse, non talia exaudiat, nisi expressis verbis de differentia qvapiam submoneatur, media, qvæ cæteris habitibus practicis omnibus conveniunt, hoc est, causalia? II. Nondum causâ ulla adducitur, qvare tacito pede verum atqve causale medium, impetrandi finem Theologiæ Moralis ultimum, qvi in æterna Beatitudine consistit, præteritum, & ubi de mediis actum fuit, removentia tantum prohibens in scenam producta fuerint? Nam suppositio, virtutes morales Theologiæ Doctoribus non esse vera summi Boni Theologici media causalia, neqve dari ullum aliud ejus medium causale, in actione consistens; perfectionem certè Systematicam Theologia moralis non est adepta, qvamdiu causale medium neqve nominatum, neqve secundum qvidditatem suam consideratum fuerit. Qvis enim ille est habitus, qvi, dum absolutam homini rerum omnium beatitudinem promittit, modum tamen mediumqve per qvod ad eandem pervenire qveas, non exponit? contentus impedimenta indicasse, qvæ evitanda tibi sunt, si fine præstituto gaudere velis? Cum igitur necesse sit ad disciplinæ vel essentiam vel integritatem, primo, ubi de mediis agitur, loco, proprium atqve causale medium ante cætera adaperire, qvis nominatâ tali loco virtutum actione vel medium

cau-

causale non intelligat, vel non causale intelligere audeat? III. Sed qvicqvid de his fuerit, fides qvoqve, qvæ magno Lutheranæ Ecclesiæ consensu salutem sola attingit, secundum D. Calixtum sub ratione virtutis aut actionis beatitudinem promovet, non qvidem ex se & nativâ virtute operantis, sed in qvantum ad hanc dignitatem à Deo ex gratiosâ dispositione elevatur. Verba ejus ex Epitome Theologiæ in Repetito Consensu Theologorum Wittebergensium, Punct. XLVII. excerpta hæc sunt: *Instrumentalis autem causa à nostrâ parte, apprehendens oblatam à Deo per verbum justitiam, est fides. Ideò illa dicitur nostra justitia, qvia nihil est in nobis, qvod ullo modo ad justitiam faciat, præter solam fidem: sed qvoniam ad hunc effectum elevatur â causâ principali, nempe misericordiâ Divinâ, qvæ fidem imputat pro justitiâ, hoc est, ita ordinavit, ut fides nobis sit, qvasi perfectè promereretur justitiam vel ipsa esset justitia.* Qvæ qvidem D. Fr. Ulr. Calixtus in Demonstr. Liqvidiss. p. 194. ita conatur interpretari, ut non alia Parenti mens sederit, qvam *fidem, meritum Christi activum & passivum apprehendentem, ex ordinatione Dei nobis afferre justitiam coram Deo, adeoqve ex justitiâ Christi, hujusqve valore fidem hic justificare*: sed facile regeritur, partim viri φιλοσοφικωτάτε animum non potuisse subire tam impropriũ atq; καταχρηστικὸν elevationis sensum; qvomodo enim meritum Christi in se perfectissimum & propriâ virtute justificans elevaretur à Deo ad effectum, qvem per se

se obtinere non posset, assequendum? Partim ab aliis, qui hanc loquendi formulam à D. Calixto mutuati fuerunt, ejus sensus ita exponitur, ut fides sit vel causa minus principalis vel instrumentum morale, quod, (à merito Christi cogitatione abstractum, ut oppositio evidenter innuit) non sit tantæ dignitatis, ut salutem promereatur, elevetur autem in eandem, ob meritum à se apprehensum. Ita enim D. Petr. Musæus, Lib. I. Metaph. primæ edit. c. XII. §. 8. & 9. *Causa moralis minus principalis est, quæ confert ad effectum actione,* (vides igitur, fidem, dum justificat & salvat, agere) *ignobiliore, quam requiritur, ut effectus ipsi rectè imputetur. Quomodo, qui credit, confert ad sui justificationem, non quidem propriis viribus, sed virtute gratiæ, quâ credit, nisi enim crederet, non justificaretur. Ad hujusmodi autem effectum elevatur fides à merito Christi,* (vides ergo, fidem, in quantum est causa salutis moralis minus principalis, merito Christi opponi) *& promissione DEI, quum per se sit actus ignobilior, quam ad absolvendum hominem & in statum gratiæ reponendum requiritur. Cæterum non modo is, qui agit, sed & actio ipsa causa efficiens nominatur. Nam & satisfactio sive meritum Christi & fides causa justificationis appellari consuevit. Imò appellatio causæ instrumentalis fidei magis convenit, quam homini, qui credit. An quia causa instrumentalis ferè principium quo est, sicut fides est principium,*

pium, qvo justificatur homo? At hujusmodi principium non est ipse homo, qvi credit. Qvamobrem nec nos ante causam instrumentalem, sed moralem minus principalem appellavimus, moralem, qvatenus directè intendit sive expetit sui justificationem & ad eam nonnihil confert; minus autem principalem, qvatenus ad eam solum confert fide, actu scilicet ignobiliori, qvam reqviritur, ut ipsi obtingat & imputetur justificatio. In editione recentiori, c. XV. §. 12. p. 168. ita loqvitur: *Addunt qvidam instrumenta moralia, sicut Theologi fidem in Christum & à verâ fide profectas preces dicunt esse instrumenta impetrandi à DEO remissionem peccatorum & vitam æternam, aliaq; bona. Qvomodo qvidem instrumentum morale nihil aliud, qvam causa impulsiva minus principalis est.* Cum igitur dubium non sit, D. Calixtum istrumentum intellixisse morale, [qvod idem Musæus ἀκριβέστερον causam moralem minus principalem dici mavult] dum fidem elevari à Deo supra propriam virtutem ad justificandi actum asseruit; fidem, in qvantum justificat, actionem moralem, licet elevatam, esse, credidisse ultrò intelligitur. Cui opinioni jam olim in Harmoniâ Pauli & Jacobi, §. LXXII. p. 403. in hunc modum contradixit D. Hülsemannus: *Negamus elevari à Deo actum fidei ad consecutionem majoris præmii, qvam intrinsecâ suâ bonitate morali merebatur. Negamus enim venire fidem in censum moralis bonitatis, & asserimus, agere*

agere tantum per modum instrumenti recipientis, abstractâ consideratione bonitatis moralis. Omnis enim bonitas moralis continetur sub ambitu boni operis, omne verò bonum opus opponitur fidei, etiam post regenerationem. Erit igitur fides per Hülsemannum, manus mendici, patiens in se poni eleemosynam, per Calixtum verò cantilena vel gesticulatio mendici, qvâ prætereuntis favorem ita sollicitat atqve ad se trahit, ut, licet in se tanti non sit, ab audiente tamen ex merâ gratiâ in eo reputetur dignitatis gradu, ut beneficio hominem haud vulgari mactet. Qvæ cum vera sint, dabitur nihilominus aliqvod opus, aliqva actio, qvæ non tantum ut causa removens prohibens, sed etiam ut medium causale verum, causa nempe moralis minus principalis juxta D. Musæum, vel juxta D. Calixtum, instrumentum morale, qvod & ipsum inter veræ causæ species est, ad finem hominis ultimum, beatitudinem nempe spiritualem concurrit, adeoqve falsum erit, Theologiam moralem, medio causali, qvod actio sit, qvodqve in ejus vestibulo perinde, ut fit in Philosophiâ morali, commodè tractari qveat, destitui. IV. Deniqve hæ ipsæ causæ sunt, cur, qvando Calixtus à studio pietatis salutem suspendit in tantum duntaxat, *in quantum illa ab eodem pendere potest, & secundum hanc solummodo considerationem* medium appellavit salutis, nemo vel hæc ita intelligere, vel exclusivè accipere vel deniqve cum superioribus

bus potuerit conciliare: inprimis cum in verbis paulò post sequentibus, ubi apertius mentem suam prodidit, non omninò negaverit, aliâ qvoqve ratione virtutes Theologicas, qvam sub notione duntaxat causæ sine qvâ non, ad salutem concurrere. *Ut homo*, inqvit, *in statu gratiæ permaneat, præstat serium pietatis studium, si non aliâ ratione*, [vides hic ad aliam qvoqve rationem haud obscurè digitum intendi] *certè tanquam causa, qvæ removeat causam, alias destructuram, qvod nos servatum cupimus.* Ut nunc taceam, dependentiæ vocabulum ordinariè de ordinatione causali accipi, atqꝫ hoc inter eruditos in confesso esse.

XXIX. Deinde verò distinguit inter medium, ut est vera causa, qvo sensu negat secundum D. Calixtum studium pietatis medium adipiscendi salutem salutari posse; & inter medium impropriè atqve æqvivocè acceptum, qvatenus medium appellatur, qvicqvid inter initium salutis & finem reapse possessum intercedit vel eum qvocunqve modo præcedit. Atqve hoc posteriori sensu observationem mandatorum Divinorum neminem ait negaturum salutis medium vocari posse. Qvamqvam verò omnino sententia ipsa hac ratione expositа rejici non possit, qvippe fidei analogiæ conformis, nec etiam in loquendi modo, isthunc in modum circumscripto, ceu ex iis patebit, quæ paulò post ad qvendam Bernhardi locum uberius dicturi sumus, qvicqvam

qvam jure desideretur, meritò tamen obvertitur, I. Nondum tamen per hoc justificatum esse modum loqvendi illimitatum, qvando absolutè & citra oppositum bonorum operum studium medium salutis vel impetrandi salutem vocatur. Qvippe qvi suâ naturâ errorem gignere in audientis animo aptus est, cum sicut medium cum appositio causam neget, ita citra additamentum eandem ordinariè involvat. Documento est exemplum causæ & causæ sine qvâ non, hominis & hominis picti, virginis & virginis defloratæ. II. Multò minus istæ, qvas de medio morali in superioribus movimus, difficultates illâ distinctione expediuntur. Nam id, qvod inter initium beatitudinis & finem reapse possessum, citra influxum in finem causalem, interjacet, non potest medium morale vocari, à qvo beatitudo dependet, qvodqve agentis intentione ad assequendum istum finem dirigitur. Medium enim hac circumlocutione plus dicere, qvam id, qvod qvocunqve modo finem præcedit, ex ipsis terminis facile intelligitur. III. Omnium vero minimè systematicæ tractationi Theologiæ Moralis satisfit, cum in enumerandis supremi ejus finis mediis ea vel tantummodo vel primo loco recensentur, qvæ impropriè atqve æqvivocè talia sunt. Cum præsertim isthoc appellandi modo, qvo medium dicitur, qvicqvid inter initium & finem intercedit, plura alia veniant, qvam virtutes Christianæ, utpo-

utpote peccata hominis originale atq; actualia, ipsa hominis vita naturalis, ejusdem actiones civiles bonæ atqve malæ, & si qvæ sunt ejusmodi, qvibus tamen mediorum salutis æstimationem nomenq; nemo jure artribuit. Sed de totâ hac re ex supra dictis amplius judicari poterit.

XXX. Tertiò distinguit inter causam seu medium salutis per se & per accidens, atq; hoc non illo sensu sanctitatis studium medium impetrandæ salutis vocari profitetur. Qvæ res pro diversitate causæ per accidens duplici modo intelligi potest. Cum enim illa talis dicatur vel ex parte causæ, qvæ nempe virtute non propriâ, sed alienâ in effectum influit, veluti cum architectus canit, aut musicus ædificat; vel ex parte effectus, cui aliqvid, qvod cum effectu, qvem per se producit, cohæret: Bonorum qvoqve operum studium vel ita per accidens causari salutem dicetur, ut non qvidem ex se & virtute propria eandem producant, sed ob fidem, sibi indivulso nexu conjunctam; vel ita, ut effectui bonorum operum cohæreat effectus salutis, non tamen à bonis operibus, sed à fide productæ. Quod, ut rectius intelligamus, sciendum est ex Armando de Bello viso, Tr. II. Term. c. CCXLVI. tripliciter aliqvid ex parte effectus causam per accidens dici: *uno modo, qvia habet ordinem necessarium ad effectum per se. Sicut remotio impedimenti habet ordinem necessarium ad effectum; unde remotio prohibentis dicitur causa per accidens,*

sive illud prohibens sit contrarium, sicut cholera prohibet frigiditatem, unde dicitur infrigidare per accidens, non qvia causat frigiditatem, sed qvia tollit impedimentum frigiditatis, qvod est ei contrarium, scilicet choleram; sive etiam non sit contrarium, sicut columna impedit motum lapidis, unde movens columnam dicitur movere lapidem suppositum per accidens, sicut removens prohibens. Secundo modo habet aliqvid ad effectum ordinem per accidens non necessarium, neq; ut in pluribus, sed ut in paucioribus, sicut inventio thesauri ad fossionem in terrâ. Et hoc modo fortuna & casus, de qvibus Philosophus determinat in secundo Physicorum, dicuntur causæ per accidens. Tertio modo, quia nullum ordinem habet, nisi fortè secundum æstimationem. Sicut si aliqvis dicat, se esse causam terræmotus, qvia eo intrante domum, accidit terræmotus.

Ex qvibus liqvet, D. Calixto primo modo bona opera causas esse per accidens salutis consequendæ, in qvantum removent obstaculum, qvod fidei impedimento esset, ne operari salutem posset, peccata nempe contra conscientiam commissa. Cumq; ad hunc bonorum operum effectum, remotionem scilicet peccatorum, ultrò consequatur operatio fidei salutem efficientis, fit, ut propter accidentalem illum qvidem necessarium tamen nexum, salutis consecutio ipsis qvoqve operibus vulgò adscribatur.

XXXI. Ut constet, qvid de hac re nobis videatur, notamus, I. scribi qvidem à nonnemine: *non repetam tædiosè, qvæ ab aliis pro verâ causalitate causæ per accidens disputata sunt & in hunc*

diem

diem usq; inconcussa manent. Quare si opera conservarent fidem & statum gratiæ, tanquam causa per accidens, conservationis fidei & status gratiæ propriissimè sic dicta causa eadem forent opera. Sed, si, qvæ de hac Metaphysicorum controversia accuratissimi passim viri disputârunt, recto oculo sine affectuum passione intueamur, hæc ita crudè dicta dubio non carent. Causam certè per accidens ex parte causæ, eo qvod, licet non ut talis, revera tamen in effectum influat, verarum causarum numero accensent nonnulli, interq; recentiores doctissimus D. Musæus: eam verò, qvæ ex parte effectus est, qvippe qvæ nullam causalitatem exerceat, non item. Alii omni causæ per accidens veritatem causalem rotundè abjudicant: *causa per accidens verè ac propriè tam non est causa, quam virgo defloata non est virgo*, ait D. Dannhauerus, Horolog. p. 24. Quod tamen de causâ per accidens intelligendum est, in qvantum talis est, in quâ determinatio alienans: *per accidens*, qvoad causam per accidens ex parte causæ prædicandi modum, qvoad causam autem per accidens ex parte effectus causalitatem diminuit. Qvicqvid verò sit de hoc certamine, causam certè per accidens ex parte effectus, tertii ab Armando significati generis, veram causam non esse, vel obiter ejus descriptionem legenti obscurum esse neqvit; ut adeò rectè scripserit Dan. Sthalius, in Instit. Metaphys. c. XII. p. 250. *Causa per accidens* [id qvod dicitur causa per accidens, non in qvantum ita dicitur] *interdum est*

causa propriè dicta, interdum impropriè & æquivocè vel saltem analogicè. Ut enim aliquid propriè sit causa, requiritur, ut influat esse *in effectum. Quæcunq; igitur causa per accidens influit in effectum, illa est causa propriè dicta. Dicitur autem causa per accidens ratione intentionis, quia effectũ non intendit vel ratione concursus aliarum causarum, de quo supra ex Soario. Quæcunq; autem in effectum non influit, ea non est propriè causa.* Quod si verum est, simpliciter concludere non licet: Bona opera sunt causa salutis per accidens: ergò verè proprièque dicta ejus causa sunt. II. Cum verò Bona Opera dicantur causa salutis per accidens, quatenus impedimentum removent, quod aliàs, ne effectus sequeretur, prohibiturum fuisset, repetendum est, id duplici modo fieri posse, vel ut is, qui prohibens removet, eo ipso animo eaque intentione removeat, ut is effectus consequatur, vel ut agat sine intentione illâ, effectu casu remotionem insequente. Quo posteriore modo, si opera salutem per accidens efficere dicerentur, causa ejusdem salutis verè proprieq; dicta nullo modo forent. Sed cum priori modo ita dicantur, (ideo enim & ad hunc finem operari jubemur, ut operibus, tanquam mediis ad præstitutum ultimum finem ordinatis atq; directis, salutem acquiramus) difficilior res est, neq; hoc per accidens causandi genus ab omni causalitate liberari posse videtur. Quod ut intelligamus, ex acutissimo Philosopho Salano, Dan. Sthalio, Instit. Metaph. c. 12. §. 3. p. 152. sciendum

est

est: *divisionem causæ in causam physicam & moralem reduci ad divisionem causæ in causam per se & causam per accidens, sic causa per se & per accidens consideretur ratione influxus, ita, ut illa dicatur per se, qvæ re vera influit in effectum, per accidens verò ea, cum cujus effectu per se coheret aliud, cujus causa dicitur, ita, ut in illud non influat. Hac enim ratione omnis causa physica est per se & omnis causa moralis est per accidens. Alias, ut notat Antonius Ruvius. nihil impedit, qvo minus id, qvod in genere causæ physicæ est causa per accidens, in genere moralis sit causa per se, sicut fuga gubernatoris sive incuria ejusdem in genere naturæ est causa per accidens submersionis navis, sed in genere moralis est causa per se. Pari ratione puto, esse posse causam per se physicam, ut tamē sit moraliter per accidens. qvalis est, qvi lignum findens percutitur vel percutit astantem à tergo. Revera enim in illum effectum influit, qvia tamen non intervenit ejus voluntas, aut incuria vel aliud, qvod factum aggravet, moraliter pro causa per accidens est habendus.* Ex qvibus patet, eam causam physicè per accidens, seu in genere naturæ, qvæ removens prohibet, esse moraliter seu in genere morum causam veram, si qvidem ea intentione impedimentum removerit, ut effectus ex remotione ista conseqveretur. Qva ratione, qvi ea intentione bene agit, ut per bonas actiones removeatur malitia, qvo minus fides salutem operari possit, impeditura, & ultimò remotionem illam æternæ salutis impetratio seqvatur, causa qvidem per accidens, adeoq; non vera

causa est impetratæ salutis, in qvantum physicè & naturaliter agit; est tamen manetqꝫ causa acqvisitæ salutis vera atqꝫ per se, in qvantum moraliter agit, id est, actionem suam per intentionem sive directam sive indirectam ad eum finem ordinat atqꝫ disponit. Qvibus ita stantibus, ultro patet, per id, qvod bonorum operum studium causa vel medium per accidens dicitur salutis æternæ, nondum remotum, sed stabilitum potius esse id, qvod in qvæstione fuerat, nempe, non esse medium causale.

XXXII. Video eqvidem tria regeri posse. I. Bona opera, in qvantum per accidens causantur salutem, non esse veras salutis causas, à nobismetipsis concedi. At verò à D. Calixto non aliam ipsis causandi rationem adscribi. Ergo per eundem non esse ullo modo veras causas. II. Suppositâ intentione fieri qvidem eadem causas morales, sed pariter per accidens, adeoqve non veras, sed impropriè tales. III. Si etiam causæ morales per se salutis dicantur, non tamen esse causas veras, cum moralis causa Philosophorum consensu æqvivocè tantum sit talis, & sola causa physica dignitatem veræ causæ propriècqꝫ dictæ sustineat. Ad qvæ ordine respondendum est.

XXXIII. Ad primum respondetur, negando, qvod non alia à D. Calixto, qvam per accidens causandi ratio operibus attribuatur. Sunt enim in causa per accidens, seu complexo illo, qvod causæ per accidens nomen habet, duo,

duo, actio physica & intentio moralis. Qvamqvam autem ille actioni bonorum operum non nisi accidentaliter tribuat salutis consecutionem, tribuit tamen intentioni per se, qvia homo Christianus, salutem adepturus, eâ certè intentione secundum ipsum studio debet bonorum operum incumbere, ut per hanc actionem immediatè qvidem impedimentum fidei removeat, mediatè tamen eo etiam potiatur, qvod fides attingit, nempe salute. Qvemadmodum igitur juxta Dan. Sthalium, in Disc. ad Tab. XI. p. 69. ille, *qvi removet orto sole valvas fenestrarum, causa per se est remotionis valvarum, causa per accidens autem illuminationis & qvidem physica ratione influxus. Cum remotione enim valvarum ita cohæret illuminatio, ut in illam illuminationem non influat, qvi removet valvas. Igitur causa per accidens est ex parte effectus, ratione influxus. Moraliter autem & ratione intentionis est causa PER SE; intendit enim illuminationem, qui valvas removet & propter illuminationem removet eas*: ita, qvi, cum possit, benè operatur, operationis qvidem causa per se est physica & causa per accidens physica salutis, operationem inseqventis ratione influxus. Cum operatione enim bona ita cohæret salutis consecutio, ut in illam salutem non influat, qvi benè operatur. Igitur causa per accidens est ex parte effectus, ratione influxus. Moraliter autem & ratione intentionis est causa PER SE. Intendit enim consecutionem salutis, qvi benè operatur & propter sa-

lutem bonis operibus ſtudet. Qui phraſin: Deus eſt cauſa per accidens peccati, tanquam veram defendunt, illi ideò ex hac difficultate felicius ſeſe extricant, qvia ſupponunt: *Sermonem eſſe de cauſâ per accidens ex parte effectus, & qvidem ratione influxus & ratione intentionis, ita ut cauſa hic per accidens nihil aliud ſit, quam id, cum cujus effectu per ſe intento aliud quidpiam conjungitur, in qvod id nec influit, nec intendit. Quia igitur cum effectu Dei nempe voluntate humanâ conjungitur peccatum, in qvod Deus non influit, qvod etiam non intendit, patere, Deum eſſe cauſam per accidens peccati*; ut loqvitur doctiſſimus Hundeshagen, Palæſtr. Metaph. c. XI. §. IV. p. 239. non item, qvi bonorum operum ſtudium cauſam ſalutis per accidens ſalutant, qvia hic ſimul profitentur, eum, qvi benè operatur, intentionem habere debere, per opera, tanqvam morale medium, ſalutem obtinendi.

XXXIV. Ad ſecundum reſpondetur, I. Danieli Sthalio removentem prohibens moraliter & ratione intentionis eſſe cauſam per ſe, non per accidens; per accidens autem tum demum fore, qvando effectui per ſe intento cohæret effectus, qvem vel non intendit & tamen in eundem influxit, ut cùm fendendis lignis operam dans à tergo ſtantem percutit; vel neqve intendit agens, neqve in illum influxit. Veluti ſi pater filium Lipſiam mittit, eo tempore, qvo cuncta viarum exiſtimantur eſſe tutiſſima, fit tamen, ut filium, qvem miſit pater, in itinere invadant prædones & ipſum ſpolient.

lient. Cui Philosopho jungimus Philosophum non minus eruditum è Reformatis partibus, Rob. Baronium, qui in Metaph. Gener. Sect. VIII. §. 15. p. 99. *Tales*, inquit, *causæ morales sunt consulentes, præcipientes & non impedientes, cum debeant impedire. Hinc patet: id, qvod in genere naturæ, ut ajunt, est causa per accidens, in genere moris posse esse causam per se. Sic qvi suadet homini, ut alterum interficiat, in genere naturæ est causa per accidens illius interfectionis, at in genere moris est causa PER SE.* Quod utrumqve verò de pietatis studio in ordine ad salutem procurandam dici non posse, ultrò patet. II. Eum verò qvi impedimenta hoc fine atq; animo removet, ut finem, qvem sibi præstituit, acquirat, causam moralem per se veram esse, invictis argumentis doceri potest. Qui in causæ moralis naturam curatiori studio inquisiverunt, eandem sequentem in modum dedere descriptam. Dan. Sthalius in Disc. ad Tab. VI. p. 54. *Causa moralis est, quæ in effectum non influit realiter, ita tamen se gerit, ut intuitu effectus, culpa aut meritum in ipsa resideat, & cui ideò rectè imputatur effectus.* Cum verò hæc definitio non ipsam causæ moralis essentiam ad intra exprimat, sed à posteriori tantum & ex effectu describat, D. Pet. Musæus, in Metaphysica laudatissima c. XIII. hanc substituit: *est, quæ in effectum non influit, ex directa tamen illius intentione aliquid confert, aut saltem indirectè illum intendit.* Est igitur ei intentio causalitas causæ moralis, qvâ moralis est.

Intentio verò cum sit duplex, directa ei dicitur comparatione effectus, qvem qvis ipso voluntatis actu efficaciter expetit, qvod fit vel positivè suadendo, jubendo, consulendo, vel negativè, non impediendo, cum possit & debeat impedire; indirecta vero, cum qvis actu voluntatis non expetit, sciens tamen aliquid confert, atqꝫ adeò perinde se gerit, ac si eum expeteret. Quod variis atqve penè infinitis modis fieri, ad oculum ostendit. Novissimè in Palæstrâ Disput. Metaph. c. VI. Th. VI. Cl. Hundeshagen: *Causalitas causæ moralis consistit in intentione, tum directâ, tum indirecta. Dicitur ex directa intentione aliqvid conferre ad effectum, qvi effectum actu voluntatis expetit & idcirco aut agit aliqvid, sine qvo is non fieret, aut illum non impedit, cum possit ac debeat. Indirecta autem effectus intentio est, qvando qvis actu voluntatis explicitè & formaliter non qvidem expetit effectum, sciens tamen aliqvid confert, adeoqve perinde se gerit, ac si eum expeteret.* Ex qvibus omnibus proclive est, his modis argumentari: Qvicunque in salutem suam non influit realiter, ex directâ tamen intentione ad eandem aliqvid confert, aut saltem indirectè illam intendit, is est causa moralis salutis suæ. Atqvi homo in quantum benè operatur, operando equidem in salutem suam non influit realiter, ex directa tamen intentione, quâ opera sua ad assequendum finem, nempe salutem suam, dato studio & ex proposito ordinat, ad eandem aliqvid confert,

aut

aut certe indirectè illam intendit, dum operando intendit consequi id, quod mediatè novit ad operationem istam consecuturum esse: Ergo homo, in quantum benè operatur, est causa moralis salutis suæ. Porrò: ubicunq; datur actio cum intentione conjuncta, ibi datur causalitas causæ moralis, & consequenter ipsa causa moralis. Atqui ubi datur actio hominis renati ad consequendam salutem ordinata, ibi datur causalitas causæ moralis. Ergo consequenter ipsa causa moralis. Iterum: Quicunq; salutem actu voluntatis ita expetit, ut idcirco agat aliquid, sine quo effectus salutis non fieret, is est causa moralis salutis. Atqui homo, in quantum benè operatur, actu voluntatis, quo operationem suam ad salutem dirigit, salutem ita expetit, ut idcirco agat aliquid, seu benè operetur, sine qua bona operatione effectus salutis non fieret. Ergo homo, in quantum benè operatur, est causa moralis salutis suæ. Quæ certè argumenta ex ipsa intima causarum moralium indole deprompta, aut arguunt, bonorum operum studium ad assequendam salutem directum, causam moralem, (ut nempe actio ipsa, quæ alias causalitas causæ efficientis est, causæ nomen induit) esse salutis: aut certè de causæ moralis naturâ longè aliter docendum est, quam ab istis, qui omnem ejus vim penetrâsse hactenus crediti sunt & partim loquendi modum, de quo disputamus, approbarunt,

runt, factum esse cernimus. Deniqve hunc etiam in modum colligo: Si remotio valvarum, cum intentione illuminandi musæi considerata, ratione intentionis & propter intentionem causa moralis est illuminati musæi, velut asserere celeberrimum Stahlium supra indicavimus, tum & bona opera, cum intentione assequendi salutem spectata, ratione hujus intentionis & propter hanc intentionem erunt causa moralis impetratæ salutis. Atqvi verum est prius. Ergo & posterius. Vide & Stahl. Disputat. de Causa Effic. §. X. & XXXVIII.

XXXV. Ad tertium deniqve respondetur: I. haud serió rem acturos esse qvi ita excepturi sint. Neq; enim hodie qvisqvam est, qvi bonorum operum studium ausit pro causa salutis morali venditare, nisi forte consequenter id statuere convincatur, qvantumvis nonnulli causam moralem ex æstimatione verarum causarum eliminent. II. Æqvivocum ambiguè dicitur. Aut enim opponitur univoco pressius dicto, estqve id, qvod nomen qvidem, non autem rem aut definitionem participat; qvo sensu nemo causam moralem æqvivocè causam appellabit. Neq; enim nomen tantum causæ, sed & rem habet & qvamqvam ratione influxus debilissima videatur causa, ratione tamen æstimationis moralis tanta est, vel sola sæpe pro causa reputetur. Aut opponitur univoco latius accepto, prout & analoga includit, estq; id,

id, qvod nomen qvidem, at rem vel non qvoad se vel non qvoad æqvam participationem communem habet. Qvo certè sensu nonnulli causam moralem, sed citra dispendium veritatis causalis, æqvivocè causam esse dicere non dubitarunt. III. Hæc enim æqvivoca, qvæ Aristoteli τὰ ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν, Scholasticis verò Analoga appellantur, qvanqvam inæqvalem inferiorum de genere suo prædicationem inferant, de proprietate tamen & veritate rei ipsius nihil amittunt. Sic enim per inæqvalem attributionem ens dicitur de substantiâ & accidente; ut tamen & substantia & accidens veri nominis & propriè dicta entia sint & dicantur. Causa igitur, tanqvam vox analoga, inferioribus & speciebus suis pariter univocè atqve æqvaliter non competit, sed physicè per prius, moraliter autem per posterius. Quicqvid enim causa moralis agit, id agit per physicam causam, qvam supponit, cujusqve beneficio atqve auxilio utitur, ad finem sibi præfixum obtinendum. Et tamen ideò æstimationem veræ proprieqve dictæ causæ neqvaqvam amittit. Nisi enim v. g. incendiarius vera combustæ domus causa esset, immeritò ad supplicium raperetur; nec commodè responderetur ad qvæstionem: cur hic patibulo affigitur? per voculam causalem: qvia in proditionem patriæ consensit; si causa moralis veræ causæ dignitatem non tueretur.

XXXVI. De-

XXXVI. Deniqve inter medium conservans causaliter & non causaliter distinguit, atqve hoc posteriori sensu bonorum operum studium causam gratiæ & salutis conservantem à qvamplurimis gravissimis Theologis, qvorum orthodoxia extra dubitationem semper collocata fuerit, qvi partim ante editam Formulam Concordiæ partim post eandem vixerint, appellatum fuisse, adductis testimoniis evidens reddit.

XXXVII. Ad qvæ verò respondetur. I. Qvæcunqve medio morali, generaliter dicto, in superioribus discursibus opposuimus, ea & medio conservandi rectè opponi, ex se intelligitur. Nam si per bona opera, tanqvam medium, ad acquirendam animarum salutem destinatum, non sine causalitatis involutione, impetrari salutis possessio dici potest, neqve eodem modo & his cum circumstantiis conservari salutem per opera tanqvam medium, ex intentione agentis ad hanc conservationem directum, sine causalitatis connotatione poterit dici. Qvô tamen non obstante, extra has circumstantias, Bona Opera conservare salutem, aut bonis operibus retineri eandem, in improprio atqve non-causali loqvendi genere, doceri nihil impedit. Qvemadmodum enim, ut jam supra monuimus, causæ, ita medii qvoqve vocabulum, nonnunqvam, etiam absolutè positum non tamen absolutè intelligitur, sed ex loquentis mente atqve

qve intentione causam tantum sine qua non & medium removens prohibens designat. Neqve enim aut necesse est aut placet, in proprio pressoqve significatu perpetuo loqui; neqve etiam, qvando metaphoricos aliqvando flores, metaphoras & improprietates, eo certè loco, ubi de accurato loqvendi usu qvæstio non est, pro libertate nostrâ sectamur, ad reddendam instituti nostri rationem compelli aut possumus aut debemus. Cum itaqve adductos Ecclesiæ nostræ Doctores conservare opera salutem, [qvæ insuper loqvendi ratio cum medio conservante, inprimis vel directâ vel indirectâ intentione nostrâ ad assequendum aliqvem finem ordinato, non prorsus coincidit] impropriè dixerint, ceu ex utraqve parte in confesso esse existimamus, non poterunt in partes jure trahi eorum, qvorum loqvendi ratio ex aliis, à nobis passim indicatis causis, causalitatem & ordinariè significat & per circumstantias restringentes non significare non potest. Atqvi hæc III. ratio est, cur nolim in excusandis tam benè meritis de Ecclesiâ Theologis, cum Nonnullis ad ea refugere subsidia, quæ nescio an adversariis non uberiorem nobis insultandi materiam præbere possint? Quod si enim dicas: liberius locuti sunt ante mota certamina, neqve nunc eorum exemplo transilire licet terminos, ab Ecclesiâ orthodoxâ prudenti consilio in libris Symbolicis constitutos; facile audies: nec

hac

hac se loqvendi libertate spoliari passos esse, qvi editis passim atqve receptis ubiqve libris Symbolicis vixerunt. Et jure non fuisse passos; quis enim hoc loquenti frenum injiciet, ut nunquam ei liceat improprio ore quidpiam fari, etiam cum in accuratæ disputationis argumento occupatus est? Dummodo non ita abutatur vocibus, ut qvasi adhibito consilio lectorem seducat, aut tota sermonis omniumqve ejus circumstantiarum œconomia, insita ipsi vi errorem audientis intellectui imprimat. Si dixeris: sinceros etiam Doctores suos habere nævos, nec sinceritatem sermonis cum sinceritate fidei semper paria facere & qvamqvam doctrina Ecclesiæ semper eadem sit & maneat, phrasium tamen puritatem suis vicissitudinibus gaudere; nescio cujus nos fastus hostibus nostris suspectos reddes, qvando vel nos ubiqve superbè præferre tantis Ecclesiæ Nominibus, vel eorundem sive eruditionem sive merita invidiosè elevare videbimur: & verò nævus non sit, animi nostri sensa & de religione conceptus improprio aliqvando enunciare sermone, qvippe sub cujus involucro inviolata doctrinæ puritas, castissimusqve fidei candor, perinde ac sub propriissimorum verborum simplicitate delitescere potest. Si deniqve dicas: si reviviscerent Doctores prisci, retractaturos esse cum Augustino, qvæ ex innoxiâ simplicitate scripserunt: respondebitur, non opus esse correctione, ubi nihil erratum

tum est. Neq; enim vel malè sensisse, utrinq; liqvet, vel malè locutos esse, ipsis jure objectari poterit, nisi piaculum sit, impropriè loqvi. Certè alium modum esse, qvo opera conservare salutem dici possunt, præterqvam causalem, contra H. Grotium, in Harmonia Apostolica docuit insignis Ecclesiæ nostræ Theologus, Jo. Hülsemannus, in cujus operis §. CXXIV. isthæc leguntur: *Si placuisset Grotio legere D. Chemnitii nostri annotata in cap. X. & can. XXIV. Sess. 6. Concilii Tridentini, de incremento acceptæ justificationis, reperisset evolutionem amphiboliæ in illis verbis: gratiam, benevolentiam DEI, justitiam conservari & augeri per pia facta. Hæc singula nempe dici conservari & augeri diversis modis. Conservatur & augetur benevolentia DEI & justificationis beneficium per pia facta, vel objectivè & per occasionem benè cupiendi piè agentibus, qvomodo miseria patientis provocat & auget miserationem miserantis. Ezech. XVI. v. 5. 6. Luc. X. 33.* (Hic autem conservandi modus non est causalis, ceu utrinq; ἐξαγώνιον) *Vel impetratoriè,* (*contra distinctâ impetratione illi modo, qvi dicitur meritorius*) *eâ de causâ, qvia Deus promisit, se daturum esse habenti & bene operanti majorem gratiam, se conservaturum esse benè operantem in statu gratiæ apud se. Matth. XIII, 12. Joh. XV, 2.* (At nec hic conservandi gratiam per pia facta modus causalis est, cum sola fides sit, qvæ causaliter operatur non initium tantum, sed & progressum atq; finem salutis nostræ. Utroq; igitur modo pia facta gratiam atq; salutem impropriè

conſervare dicuntur.) Denicq; IV. concludimus & acqvieſcimus in judicio incomparabilis Theologi, Martini Chemnitii, qvi in Loco de Bon.Oper. c.II.p.57. ita ſcribit: *Obiter hoc notandum, qvod qvæſtio hic oritur, utrum rectè dicatur, fidem retineri per bona opera, qvia in ſecunda cauſa impulſiva dicitur, facienda eſſe bona opera, ne excutiatur fides. Sciendum igitur, qvod fides à Chriſto retineatur per verbum & ſacramenta juxta dictum Petri, 1 Petr. I, 3. qvi virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem. Fides ergo per verbum & ſacramenta concipitur & per ea media etiam retinetur. Nec bonis operibus tanqvam cuſtodiæ traditur, ſed apprehendit Chriſtum, ut magis apprehendatur, 1 Cor. XIII, 12. Neqvaqvam ergo ſanorum verborum forma eſt, ſi qvis dicat: fidem retineri per bona opera,* [tanqvam per cauſam conſervantem] *licet malis operibus excutiatur. Ergo melius eſt, dicere, ne excutiatur fides & Spiritus Sanctus, qvia hæc propoſitio minus expoſita eſt cavillationibus. Si qvis tamen ſentiat, fidem per bona opera exerceri, vegetari, augeſcere, certificari,* [tanqvam per cauſam impropriè dictam, removentem id, qvod alias tales effectus, qvi propriè à bonis operibus non proveniunt, prohiberet] *cum eo neqvaqvam litigandum cenſeo. Sic enim etiam Lutherus loqvi ſolet; fidem pingveſcere per bona opera. Et hoc eſt illud Petri: ſatagite, vocationem veſtram firmam facere per bona opera. 2 Petr. I. 10.*

XXXVIII. Nunc ad reliqvas exceptiones tanqvam è diverticulo in viam progrediendum no-

nobis est. Igitur neqvaqvam insolitum esse ajunt, Bona opera exemplo Bernhardi viam vocari ad regnum, non causam regnandi. Jam verò viam nihil aliud esse qvam medium. Fore igitur bona opera medium ad capessendum regnum cœlorum deducens & tamen non causam deducentem, qvæ nos idem esse existimamus. Bernhardi autem, qvæ objiciuntur in fin. Tract. de Gr. & Lib. Arb. p. 1699. hæc sunt: *Deus igitur author est meriti, qvi & voluntatem applicat operi & opus explicat voluntati. Alioqvin si proprié appellentur ea, qvæ dicimus nostra merita, spei qvædam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, felicitatis præsagia, VIA REGNI non CAUSA REGNANDI. Deniq; qvos justificavit, non qvos justos invenit, hos & magnificavit.* Qvam in rem seqventia notari necesse est. I. Medium & viam neqve in generali neq; speciali ratione coincidere atqve idem esse. Omnis enim via medium est, non omne medium via. Cumq; via de medio naturali proprie dicatur, ne qvidem omne medium naturale via esse deprehenditur. Nam διαφανὲς medium est visus, non via, nisi voce improprie utare. Qvare non seqvitur: bona opera via sunt regni, ergo medium assеqvendi regni. II. Si qvod à Bernhardo bona opera via regni vocantur, medium sunt assеqvendæ salutis, non minus meritum erunt æternæ vitæ, qvia & hoc ipso nomine sæpius insigniuntur. Eodem Tractatu paulo ante finem; *In his tribus interior renovatio consistit, rectitu-*

dine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per qvam sibi bene conscia memoria enitescit. Verum hæc cum certum sit divino actitari spiritu, DEI sunt munera. Qvia vero cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita. Sicut autem per hæc atqve talia dicta bona opera merita proprie dicta non efficiuntur, ita nec medium eadem proprietate acceptum. III. Dum bona opera via dicuntur regni in oppositione ad causam regnandi, causalitas ipsis adseqvendæ salutis verbis expressis adimitur, qvæ non adimitur, sed asseritur, dum media adseqvendæ salutis absolute vocantur. Si igitur vel maxime æqvipollerent via regni & medium regni, ex hoc tamen termino nondum causalitas ulla pateret. Quippe distinguendum esset inter terminum absolute positum, ceu cum dico: bona opera sunt medium regnandi, & cum addito, qvod proprietatem vocis destruit & alienat, ut cum dico: sunt via regni, seu qvod idem est, medium Physicum, inter operantem & regnum interjacens, in contradistinctione ad medium causale, qvod regnum morali causalitate adsequitur. Sicut enim ibi causa exprimitur, ita hic negatur. Veluti cum dico: Finis Tractatus illius Bernhardi de Grat. & Lib. Arb. est gratiæ divinæ assertio; finem exprimo proprie dictum, qvi est causa finalis: at qvando cum adposito dico: Finis terminationis illius libri, non vero finis cujus gratia, ultima

ultima isthæc verba sunt: Hos & magnificavit; finem improprie dictum nomino, qvi terminus & ultimum est libri, non causa finalis. IV. Cum bona opera exemplo Bernhardi via regni salutaris vocantur, metaphorica est, ut omnes vident, locutio, qvæ dum proprietati restituitur, restituenda est iis terminis, qvæ nec fidei analogiam, nec sensum lædant à primo auctore intentum. Læderetur autem, si terminis causalibus enuncianda esset propositio, utrumqve. De fidei analogia res indubitata est. Bernhardus autem viam causæ contradistinguit & in qvibus tertiis bona opera viam appellari velit, sufficienter declarat, dum vocat *fidei qvædam seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia & felicitatis præsagia.* Quamqvam vero nec hæc sine grano salis accipienda esse, nemo non nobiscum profiteatur, apparet tamen, aliter opera viam regni seu ad regnum cœlorum vocari non posse, nisi in qvantum id sunt, in qvo ad salutem æternam per fidem contendentibus ambulandum est. Qvo sensu Apostolus: *Conditi sumus*, inqvit, *in Christo Jesu ad bona opera, qvibus præparavit nos Deus, ut ambularemus in illis.* Eph. II, 10. Qui tamen verbis immediate antecedentibus omnem operibus in ordine ad salutem causandi rationem ademit: *gratia salvi facti estis per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur.* Jam vero via nullum causalitatis genus in ordine ad terminum viæ exercet, quem nec effi-

cit, nec materialiter aut formaliter ad illum constituendum concurrrit, nec deniqve causa ejus est finalis. Sicut autem via id est, qvod subjacet motibus ad terminum viæ tendentibus, qvi motus soli terminum causaliter assequuntur: ita bona opera id sunt, qvod subjacet fidei, in qvibus fides operosa est, δεὶ ἀγάπην ἐνεργυμένη, Gal. V, 6. per qvæ gratum Deo animum & propensum proximo affectum ipso opere demonstrat: ut tamen non opera sed fides sola *terminum fidei, animarum salutem*, 1. Petr. I, 9. adsequatur. V. Posito Bernhardum scripsisse: bona opera sunt medium salutis æternæ, de phrasi isthac haud aliter judicandum esset, ac de infinitis aliis, qvibus vel in homiletico dicendi genere, ubi tanta non reqviritur ἀκρίβεια, vel extra certamina, ubi securior loqvendi ratio est, Patres Bernhardo longè & puriores & antiqviores usi fuere. Qvanqvam enim Bernhardus inter viros seculorum seqviorum emineat & sanctitate & eruditione, qvippe seculo XII. Abbas Claræ-vallensis, Episcopatuum & Archiepiscopatuum, teste *Platina*, sub Paschali II. contemptor, *opinatissimæ religionis eminentissimæ clarescens*, (ita supplementum Chronici *Sigbertiani* ad ann. 1145.) *multorum miraculorum patrator & verbi DEI ferventissimus prædicator*; nihilominus dicendi, qvo utitur, genus, neqvaqvam ita accuratum est, ut pro exemplo, qvod in majori temporum luce seqvamur, statui debeat & venditari. Utcunqve autem multa in laudem

dem operum ab eo, qvi sanctimoniam vitæ & persecutus est ipse & apud alios promovit, dicta atqve scripta esse fateamur, fidei tamen soli vel in una ad Magistrum Hugonem de S. Victore Epistola, qvæ est numero LXXVII. qvater officium salvandi adscribit, in testimonium vocans laudatissimum Patrum par, Augustinum & Ambrosium. *Cum his*, inqvit, *duabus columnis, à qvibus difficile avellor, me aut errare aut sapere fateor, credens & ipse, sola fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans seu alia qvæcunqve vis invincibilis obviarit.* Denicq VI. Qva ratione bona opera præmiorum vitæ æternæ meritoria esse, non qvidem è propria vi & dignitate, sed in qvantum in id fastigii liberrimo Dei arbitrio sublimantur, qui mercedem ex gratia illis promisit, à Theologis orthodoxis conceditur, ea ratione & media dici posse eorundem præmiorum, h. e. graduum gloriæ, cum omne meritum sit medium, neqvaqvam veremur asserere. Qua ratione intelligas necesse est ipsummet Bernhardum nostrum, qvando libro de Conversione ad Clericos cap. XV. *Nec enim*, inqvit, *opera nostra transeunt, ut videntur, sed temporalia qvæqve velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exsurgere messem, seu bonam seu malam, pro diversa qvalitate sementis.* Ubi τὸ *velut*, seu qvod in titulo additur, *qvasi*, diminuit de causandi ratione & hoc vult,

mereri opera sed improprie, causare, sed per modum causæ minus principalis, impellere ad conferenda præmia, sed virtute non propria, verum per vim ex promissione divina ipsis adjunctam, de qva Apostolus: *Pietas utilis est & habet promissionem hujus & futuræ vitæ.* 1. Tim. IV. 8. Juvat audire *Apolog. A. C.* Resp. ad arg. Adverss. p. 96. *Addimus hic etiam de præmiis & merito. Docemus operibus fidelium proposita & promissa esse præmia. Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ, aut justificationis, (hæc enim tantum fide consequimur,) sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium in hac vita & post hanc vitam, qvia Paulus inquit: unusqvisqve recipiet mercedem secundum laborem suum. Erunt igitur dissimilia præmia, propter dissimiles labores.* In subseqventibus, ubi ipsam salutem per merita non contingere adseruisset, repetit; *Postea opera, qvia placent DEO propter fidem, merentur alia præmia corporalia & spiritualia. Erunt enim discrimina gloriæ sanctorum.* Deinde p. 136. *Nos fatemur, vitam æternam mercedem esse, qvia est res debita, propter promissionem, non propter nostra merita. Fatemur tamen & hoc, qvod sæpè testati sumus, qvod etsi justificatio & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera mereantur alia præmia corporalia & spiritualia & gradus præmiorum.* Qvæ res tota & imprimis Confessorum nostrorum hactenus adducta sententia amplius ex antiqvitate illustratur à *Mart. Chemnitio*, Exam. Conc. Trid. Part. I. de Bonis Operibus. Quæst. IV. p. 335.

XXXIX. Deniqve nec communi loqvendi consuetudini adversari ajunt, id alicujus rei medium aut ad eam rem necessarium dici, qvod nullo causandi modo ad eandem concurrit, sed meræ conditionis aut causæ sine qva non vicem sustinet, velut cum dico: agnitio peccati necessaria est ad impetrandam peccatorum remissionem, vel: eadem agnitio medium est remissionis peccatorum qvæ tamen ad impetrandam peccatorum remissionem, non ut causa, quæ in sola Dei misericordia & fide qværenda est, sed ut conditio duntaxat concurrat; nec deesse innumera in Sacris testimonia, qvæ convincant bonorum operum ad salutem necessitatem, qvam aut asserere aut definitionem ejus, qvod ad aliqvam rem necessarium dicitur, inficiari sit necesse, velut cum dicitur: *Sine sanctimonia nemo videbit Deum*; sine qvo autem videri non possit Deus, id ad videndum Deum necessarium esse. Ad qvæ vero respondetur. I. Diversos esse loqvendi modos, qvo aliquid medium alicujus rei vel assequendi rem aliqvam, & qvo ad id consequendum necessarium esse dicitur. Nam nec omne medium necessarium est, cum id sæpe sit arbitrarium & inter media sit electio, nec omne necessarium est medium, cum necessitas non medii tantum detur, sed & præcepti, ut ex superioribus constat. Qvare qvod de una harum phrasium verum est, de altera non statim verum esse, facile & ex se intelligitur. II. Propositio: agnitio peccati medium est impetrandi remis-

sionem peccatorum, loco subjecti non habet id, de qvo nobis qvæstio est, bonum opus; qvod describitur, actio secundum legem hominis ex Spiritu S. renati. At agnitio peccati est hominis nondum renati, licet ad regenerationem tendentis, neque fit ex fide, qvippe qvæ in non regeneratis non est, sed demum à DEO efficitur. Qvamqvam autem hæc ita se habeant, agnoscimus tamen exemplum in tantum rectè nobis opponi, in qvantum morale medium continet, qvod tamen peccatorum remissionem moraliter non causatur. Itaqve III. controversa propositio: agnitio peccati est medium impetrandi peccatorum remissionem, æque falsa est ac illa: bona opera sunt medium impetrandi peccatorum remissionem aut consequendi salutem. Ut enim ideò, qvia à causalitate salutis, quam sola fides instrumentaliter apprehendit, excluduntur omnia singulaqve renatorum opera, nullam opus medii rationem in ordine ad salutem sustinere potest: ita ob eandem rationem, qvia à causalitate remissionis peccatorum, qvam sola fides apprehendit, omnia singulaq; extra justitiam facta opera excluduntur, nullum opus medii rationem in ordine ad eandem remissionem obire potest. Asserenti igitur: nullum opus esse medium salutis assequendæ, perinde est, contrarii exempli causa opponi: aliqvod opus, [agnitionem peccatorum] esse medium salutis consequendæ; ac cum affirmanti: nullum san-

sanctum esse religioso affectu invocandum, ab adversario opponitur, aliqvem sanctum, Abrahamum, esse religioso affectu invocandum, cum hoc inter partes æquè controversum sit ac illud. IV. Sed nec id reticendum esse existimo, non omnem actum moralem esse medium morale. Differunt n. actus moralis & medium morale, ut latius & strictius. Medium morale præter actum moralem intentionem ob certum finem agentis includit, qvem actus moralis, præcise consideratus, non complectitur. Finis Ethici ultimus juxta Stagiritam est actio secundum virtutem, qvæ nemine dubitante est actus moralis, non autem est medium morale, cum finem ultimum & medium esse sese perimant atqve tollant. Jam posito admitti propositionem: agnitio peccati necessaria est ad remissionem peccatorum, nondum inde conseqveretur: est medium morale eandem remissionem conseqvendi. In illa enim propositione hoc tantum exprimeretur: actum illum hominis, qvi est agnoscere peccata, necessariò antecedere actum Dei, qvi est remittere peccata; at posterior involvit intentionem hominis per actum agnitionis remissionem peccatorum operandi. At verò ab adversa nobis parte bona opera, ut morale medium operantis intentione ad obtinendam salutem directum describi, ex dictis sufficienter constat. V. De phrasi: bona opera sunt necessaria ad salutem, nulla nobis in præsenti qvæstio est:

qvam

qvam ab ista : bona opera sunt medium salutis, multis variisqve modis differre, sæpè jam significavimus. Qvare ea ex Sacris argumenta, qvæ qvandam ad salutem necessitatem evincere videntur, medium ea esse salutis nondum evincunt. Specialem autem eorundem solutionem publico discursui reservamus.

XL. Anteqvam finem tractationi nostræ imponamus, respondendum est ad unicum argumentum, qvod in speciem opponi sententiæ nostræ videtur. Nempe : omnis disciplina practica & moralis finem suum prosequitur per medium morale. Atqve Theologia est disciplina practica. Seqvitur ergo, finem Theologiæ, qvi est salus æterna, ab ea impetrari per medium morale, qvod sunt bona opera. Sed verò variis modis ad hoc argumentum responderi potest. Nam. I. de Habitu Theologiæ, qvalis ille sit, speculativus an practicus, diversæ sunt tum Scholasticorum tum Theologorum nostrorum opiniones. Illorum pleriqve Theoreticis potius adnumerarunt, argumento ex nomine Theologiæ deprompto. A qvâ sententia paulatim ita discessum fuit, ut primo mixtis habitibus, qvæ praxin & theoriam per eminentiam qvandam complecterentur, deinde mere practicis adscriberetur. *Melch. Canus*, XII. Loc. Com. II. p. 552. rem omnem distinctione expediens inter finem primarium & postremum, concludit : *Igitur Theologia muneribus utrisqve fungitur & speculandi &*

agen-

agendi, qvamvis magis speculetur qvam agat. Non enim agit, nisi qvia agendo ad perfectam Dei cognitionem tendit. Nec desunt inter nostrates, qvi haud absimiliter statuant. *D. Jo. Wandalinus*, Hafnienſis in Dania Academiæ Theologus primarius, Disp. de Theol. in Gen. §. XXIII. *Qvamqvam*, inqvit, *durum videatur & veluti σιδηρόξυλον, Theologiam utrumqve genus habituum excellentia qvadam dignitatis & amplitudinis complecti, viris qvibusdam doctissimis nominatim D. Meisnero, Phil. Sobr. Part. III. c. II. q. I. & D. Calovio, Syst. Loc. Com. de Nat. Theol. Sect. I. p. 4. & sect. II. q. 8. qvasi idem habitus non possit ultimato in cognitione subsistere & simul ad praxin tendere, tamen in hocce nostro habitu transcendente, cui nulla fere cum aliis habitibus intercedit analogia, id statuere absurdum non erit. Sane licet præcipuus Theologiæ finis sit praxis pietatis & cultus divini, qvi fide & observantia præceptorum Dei constat, nihilominus Servator Christus vitam æternam, ultimum illum Theologiæ finem, etiam in scientia & cognitione Dei Patris & Filii ab ipso missi collocare non dubitavit, Joh. XVII. 3. Cognitioni tamen huic theoreticæ necessario adjungenda est praxis, non præcisè talis, qvalis in philosophia spectatur, sed nonnihil diversa, nimirum fidei per charitatem efficacis, Gal. V. 6. Neqve spectandæ sunt theoria & praxis in Theologia, tanqvam differentiæ oppositæ, sed veluti conditiones ad vitam æternam consequendam inter se consociatæ & justo ordine collocatæ, qvorsum digitum intendit Jacobus I. 22. & Paulus Tit. I. 1.* Hæc ille. Qvæ si vera

sunt,

sunt, argumentum oppositum per minoris propositionis negationem facile resolvitur. Dicetur enim, Theologiam, in qvantum Theoretica est, finem per medium practicum, ex more reliqvarum disciplinarum speculantium, non acqvirere; in qvantum verò activa est, partim pro fine animarum salutem non agnoscere, partim per fidem eundem consequi, sicut ex iis, qvæ postea dicentur, apparebit. II. Rectius nostra opinione Theolog. ad habitus refertur mere practicos. Fieri enim per omnem modum neqvit, ut simul consistant in uno habitu; in cognitione ultimo acqviescere & tamen in cognitione ultimo non acqviescere, sed ad praxin dirigi. Veriorqve longè *Augustini* est sententia, dicentis: *tantum diligitur, qvantum cognoscitur*, qvam *Melch. Cani: non agit Theologia, nisi qvia agendo ad perfectam Dei cognitionem ducit.* Et qvanqvam tum objecti tum finis nobilitate Theologiam cæteris habitibus eminere facile largiamur, nulla tamen eminentia efficiet, ut contradictoria: ultimo agere & ultimo non agere, vera sint aut simul consistant. Præterea, si nulla fere Theologiæ, (qvæ studio & opera acqviritur & ex subjecto, qvod per freqventes actus illam impetravit, difficulter mobilis est) cum cæteris habitibus intercederet analogia, frustra ab Apostolo ἕξις, *habitus* vocaretur τῶν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων. Hebr. V. 14. Nec ℔ Joh. XVII. 3. mixtus traditur ex theoria & praxi finis. Aliud enim est cognoscere, aliud in cognitione subsistere; & cognitio

tio insuper eo loco non nuda sed fiducialis intelligitur, ex more scripturæ, qvæ à parte, v. g. notitia, integram fidem describit, Es. LIII, 12. & ex regula Theologica: verba sensuum & notitiæ affectum connotant. Si enim nuda notitia Dei Patris & Filii vita æterna est, [sive formaliter, ut nonnulli interpretantur, sive effectivè, ut Theologorum plerique] sequitur & impios, imo diabolos eadem vita frui. Matth. VII. 22. Jac. II. 19. Qvod qvia absurdum est, fiducialem Patris & Filii apprehensionem simul connotari necesse est. Jam vero cujus habitus finis proximus in vita spirituali, ultimus in vita æterna, utraque voluntatis fiduciam involvente, consistit, is est mere practicus. Atqui Theologia. Ergo. Cum igitur hic locus sententiam nostram confirmet, tantum abest, ut destruat, respondemus ad argumenti oppositi majorem propositionem, distinguendo inter habitus practicos, ita in rigore appellatos, & qvi eandem ἀκρίβειαν non sustinent, eandemque applicamus per limitationem hoc modo: omnis habitus practicus in rigore requirit medium morale, concedo; omnis habitus practicus analogice dictus requirit medium morale, nego. Deinde distinguimus inter medium morale & id, qvod medio morali analogice respondet. Ad habitum practicum analogice dictum sufficit, si medium, per qvod finis obtinetur, medium morale qvacunque ratione repræsentet. Fides igitur, etsi qva πρακτικὴ æternam vitam non adsequatur,

tur, practici tamen medii vicem explet, cum habitus Theoretici neqve finem præstitutum habeant moralem, neqve per qvæcunqve media ad illum grassentur. Præterea fides alia ratione πρακτικώτατόν τι est, dum gratitudinem Deo & animum in qvælibet officia propensum proximo infinitis operibus demonstrat, qvæ omnia analogiam cum habitu practico longe majorem, qvam cum theoretico, spirant. Deniqve III. periculosè theorian & praxin conditiones ad vitam æternam consequendam inter se consociatas vocari, dubium nullum est. Nam in habitu Theologiæ praxis ad efficiendum Theologiæ finem non concurrit, qvam, ut diximus, sola obtinet fides, qvamqvam ob alias causas necessariam esse, neqvaqvam neget fides Lutherana.

XLI. Qvæ supereſſe videntur, ad publicum colloqvium rejicientes, satis nos operæ pretium feciſſe existimamus, si & primæ Philosophiæ in terminis medii & causæ moralis usum nobili exemplo demonstravimus & ad subeundam similem in aliis qvæstionibus operam juventuti prævimus.

EXER-

EXERCITATIO IV.

De

LOCO

Exod. XVI, 18.

I.

VErba ex Hebr. hæc sunt: וימדו בעמר ולא העריף המרבה והממעיט לא החסיר איש לפי אכלו לקטו: Vulgata versio: *Et mensi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, sed singuli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt.* Tremellius & Junius: *Post metiebantur mensura Homer, ita ut non abundaret, qui plus collegerat & qui minus, non laboraret penuria, quisque ratione cibi sui colligebant.* D. Lutherus: Aber da mans mit dem Gomor maß/ fand der nicht drüber/ der viel gesammlet hatte / und der nicht drunter / der wenig gesammlet hatte/ sondern ein jeglicher hatte gesammlet / so viel er für sich essen mocht. Judæi Constantienses In Interp. Bibl. germanica pro more ad verbum: Und sie massen mit dem Omer und nicht er hat übrig der mehrer / und der minder nit er thät mangeln / ein Mann zu nach seinem essen sie klaubeten.

II. Duplex potest esse præsentis loci sententia, ut ex interpretationibus adductis patet, qvarum prior hæc est, majorem qvidem

fuisse Mannæ in colligendo qvantitatem, sed postea mensuram vel per qvoddam miraculum, vel per institutam dimensionem, æqvalem extitisse. Posterior utrobiqve diversam agnoscit qvantitatem, sed effectum prædicat eundem. Sive enim plus sive minus collegerint, id tamen, qvod collectum fuit, alendæ familiæ satis fuisse.

III. Ut qvinam sensus præferendus sit, appareat, observandum est, vocabulum עמר, vi radicis suæ & usus in Sacris aliqvando non mensuram certam atqve exactam, sed indefinite manipulum significare. Ita singulari numero legitur, Deut. XXIV, 19. *Qvando messueris segetem in agro tuo & oblitus manipulum,* (Omer est in Hebræo) *reliqveris, non reverteris, ut tollas eum.* Et in plurali, Ruth. II. 14. *Et surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Boas pueris suis dicens, etiamsi vobiscum metere volverit,* [in Hebræo est: etiamsi manipulos collegerit] *ne prohibeatis eam.* At vero hoc loco definitam aridorum mensuram denotare ex toto contextu manifestum est. Est enim I. mensura, qva metiebantur arida. v. 18. at metiri manipulos moris non erat. Est II. illud ipsum Omer, cujus plenitudo urnæ imposita, inqve arca asservata fuit. 34. Illud vero definita decima Ephæ parte mensura erat, juxta v. 37. Qvantum verò præcisè Omer, qvantum Epha continuerit, non adeo indubitato liqvet, qvamqvam illud noviſſe

ad

ad hunc locum parum referat. Vide Hebræorum veterum sententiam ap. *Buxtorf.* Lex. Min. ad voc. קב p. 662.

IV. Exponunt autem se in vicem τὸ: איש לפי אכלו, *vir secundum quod edere potest*, & τό: עמר, *Omer*. Omer enim tantum fuerat, quantum ad quotidianum unius hominis cibum sufficere poterat; & tantum uni homini satis erat, quantum Omer unum complectebatur. Apparet hoc ex v. 16. ubi Moses: *Hoc est illud, quod præcepit Jehova, colligite ex eo, quilibet secundum id, quod edere potest*, nempe *Gomor ad caput secundum numerum animarum vestrarum, quilibet secundum eos, quos habet in tentorio suo, sumetis.* Tremellius τό: לפי אכלו, substantive intelligit: *pro ratione cibi sui*, & exponit in Notis: *pro ratione victus quotidiani totius familiæ.* Qua ratione per illa verba quantitas colligendæ Mannæ in universum exprimeretur, in species dein per illa verba digesta: *Omer pro singulis personis.* Sed verò dubito, utrum Hebraismo conveniat? איש enim *quemlibet* in particulari notat & τό: אכלו in ו relativum est ejus termini, qui præcessit. Quare ad literam sonat: *quibus secundum cibum suum-met*, vel si ex infinitivo, quod probabilius est, potius quam nomine mutata vox sit: *secundum id, quod in singulari quilibet edere poterat.* Neque Tremellium juvat locus in patrocinium interpretationis adscitus, Exod. XII. 4. Nam & ille eandem interpretationem commodissimè sustinet:

net: *qvantum qvilibet edere potest, adsumetis ad pecus*: je nach dem sie viel oder wenig essen mögen/ bis die Zahl erfüllet ist.

V. Ex qva duplici observatione patet, utrumqve sensum ita connexum esse, ut alter alterum necessario reqvirat. Si enim qvilibet secundum id collegit, qvod comedere poterat, tunc plus minusqve, qvam Omer non collegit, qvippe qvod mensuræ genus uni fuerat homini destinatum & sufficiens. Præterea si qvilibet colligendo, qvantumcunqve etiam collegerit, Omer tamen neqve excessit neqve in eadem mensura defecit, tantum collegisse intelligendus est, qvantum sibi familiæqve suæ sufficiebat. Qvæ, tametsi ita se habeant, proximior tamen sine dubio ille sensus est, qvod qvantumcunqve etiam collegerint, mensuram tamen Omer non excesserint & qvantillum etiam collegerint, ea in mensura non defecerint. Jam verò ex hoc sensu demum ille per conseqventiam elicitur, id qvod ad mensuram illam colligebatur, tantum semper fuisse, qvantum ad familiæ unius capita sufficiebat. Et ratio manifesta est in principio textus: metiendo enim seu ad mensuram examinando deprehenderunt Israelitæ, defectum, excessumqve in mensura non fuisse commissum, sed eandem ad numerum domesticorum fuisse accuratè expletam.

VI. Nunc verò id remanet dubii, utrum

infra

infra mensuram colligendo mensuram tamen imperatam metiendo invenerint, qvod cum Vulgato Lutherus existimat; an verò eandem mensuram comportando ab eo, qvod supra mensuram alii collegerant, effecerint? Et profecto, ne miraculum, qvod prior sententia facit, temere fingamus, seqventia persuadent. I. Συναφεια textus. Conferendo enim versiculum 17. cum 18. deprehenditur, Israëlitas eo qvidem laborasse, ut juxta præceptum divinum qvilibet Omer colligeret, sed ut fieri solet, partem excessisse, partem non expleviſſe; ut autem æqvalitas fieret ad DEI mandatum, dimensionem fuisse institutam, eum in finem, ne qvi minus collegissет, minori, aut qvi magis, majori, qvam DEUS vellet, gauderet mensura. Qvæ sententia seqventi potest versione præsentari: *feceruntqve ita*, sicut præceperat DEUS versu antecedente, *Filii Israel & collegerunt* Manna, *alter majori qvantitate, alter minori. Instituerunt igitur dimensionem secundum Gomor*, eum in finem, *ut qviplus collegisset, supra mensuram destinatam non acciperet, neqve qvi minus, infra eandem, sed singuli secundum id colligendo*, metiendoqve, *qvantum ipsis sufficeret, conseqverentur* Qvem verborum sensum, dubito, utrum tenuerit Tremellius, verbis certè satis significantibus non expressit. II. Regula Theologica: Miracula præter necessitatem fingenda aut multiplicanda non sunt. Qvantum autem miraculum est,

duos aut plures colligentem modios, duobus sub manu aut in gremio velut absorptis, unicum tantum metiendo reperisse, ne grano qvidem vel abundante vel deficiente? Præterea ejus, qvi vix qvartam Emoris partem collegerat, mannam eam in multitudinem confestim sub mensurantis manu excrevisse, ut modium integrum non expleret tantum, sed nullo, ne minimo deficiente grano, exacte expleret? Jam verò qvam desides reddidit manus experimentum prius, mensura se potiri, si vel in tria grana cervicem reclinassent, frustraqve labore defatigari, cujus fructu ignaviſſimus qvisqve uteretur, consideraturas; tam divini ordinis effecit contemptores posterius. Qvid enim opus fuerat, qvasi plenis modiis pluere Mannam, cujus unus modius, qvolibet unum alterumqve granum colligente, in destinatas toti populo mensuras poterat divino miraculo augeri? Excrevit qvidem in edentium manibus, oribusqve, panis à Christo distributus, Marc. VIII. Sed qvod miraculum ibi litera pariter atqve textus totius consideratio urget, id apud Mosen facilis literæ interpretatio & textus atqve reliqvæ Scripturæ argumenta negant, adeoqve miraculum frustra multiplicari convincunt. III. Apostolica interpretatio. Paulus enim subveniendum esse liberaliter proximi indigentiæ demonstraturus, Mosen allegat his verbis: *In præsenti tempore vestra abundantia illorum*

inopiam

inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqvalitas, sicut scriptum est: qvi multum, non abundavit, & qvi modicum, non minoravit. II. Cor. IIX. 14. 15. Qvorum verborum hæc est sententia: sicut Israelitarum illi, qvi hodie abundanter collegerant, cæteris largiendo subvenerunt, eum in finem, ut ubi cras deficerent, indigentiam pariter suam abunde colligendo sublevarent: ita & par esse, ut illi Christiani, qvi divitias sibi manuum labore acqvisivissent, pauperiorum studia & vitam solentur; fieri enim per humanarum rerum vicissitudinem facile posse, ut qvi nunc abundant, ad incitas redacti, eorum opem implorare cogantur, qvi interea Deo laborem benedicente ad qvarumlibet rerum abundantiam perveniissent. Jam verò pone æqvabilitatem mannæ Israeliticæ non per dimensionem, sed mediante miraculo qvopiam factam fuisse, nulla vis inesset argumento Apostolico, nulla virtus, qvod verò dicere religione prohibemur. Allegant eqvidem Divini N. T. Scriptores veteris Testamenti dicta, non eo semper sensu, qvem verborum virtus postulat, sed qvi ex LXX. Seniorum interpretatione publice tum obtinebat, ut argumento exinde κατ' ἄνθρωπον petito propositam doctrinam confirment: sed id hoc loco factum esse, aut diversum ab interpretatione Apostolica sensum Mosaica verba reqvirere, nulla potest specie probari.

VII. Deniqve IV. accedit auctoritas Lutheri, qvi qvamqvam in versione sensum nobis oppositum prætulerit, in interpretatione tamen loci, qvam Tomi Islebienses complectuntur & ex illis Tom. III. Altenburg. p. 634. nostram opinionem neqvaqvam rejicit. Verba hæc sunt: Es kan auch also verstanden werden / daß ein jeder mit hauffen zugetragen hat / der eine ein Hand voll / jener eine Schüssel / der ein Hut voll / und habens hernach zu Hause ausgetheilet durch diß gemeine Gemaß. Darnach ist einer gekommen / der wenig gebracht / der kriegt auch aus dem Gomor, so viel als ein anderer / daß er genug hätte / gleich wie der Text auch also lautet. Es kan einerley Verstand seyn / daß sie es durch diß gemeine Maaß ausgemessen haben.

VIII. Qvæ omnia mirum est non expendisse ex antiqvis Ecclesiæ Doctoribus illos, qvi in Epistolas ad Corinthios & in Exodum peculiari opera commentati sunt. *Johannes Chrysostomus*, Episc. Constantinopol. Comm. in II. ad Corinth. T. IV. Operum, Hom. XVII. p. 804. *Hoc de manna factum fuit*, inqvit. *Nam qvi plus & qvi minus collegerant, inventi sunt habere eandem mensuram, DEO sic insatiabilitatem puniente.* Qvare & doctrinam subjicit Apostoli scopo non adeo convenientem: *Hæc autem dicebat*, ait, *& terrens illos per ea, qvæ tunc facta & suadens, ne plus, qvam par sit, desiderent, neqve doleant, si minus habeant. Porro nunc etiam videre licet in secularibus hoc fieri, non in*

sola

sola manna. Nam cum omnes unum ventrem impleamus & uno tempore vivamus & unum corpus tegamus, nihil magis habet dives ex abundantia, neque ex paupertate minus pauper. Theodoretus Cyrensis Episc in II. Cor. VIII. Tom. II. Op. ita loqvitur, ut dubites, qva in sententia fuerit: *valde opportune*, inqvit, *adjecit etiam testimonium. Etenim in collectione mannæ eandem æqualitatem ostendit Dominus. Nihil enim profuit ei, qvi plus collegerat. Munificus enim Deus dono mensuram conjunxit.* Seqvitur autem Chrysostomum, ut solet, *Theophylactus*, Bulgar. Episc. Com. h. l. p. 576. *In manna, qvi plus collegerat & qvi minus, omnes eandem habere mensuram inveniebantur, Deo avaritiam & insatiabilitatem eorum puniente.* Cum qvo ex nostris facit Commentator Exodi, *D. Rungius.*

IX. Ex obtento præsentis loci sensu doctrina in Christianam religionem, ejusdemqve partem illam, qvæ moralis dicitur, redundans, præeunte Apostolo, facillime colligitur. Falluntur enim, qvi disputari duntaxat de mysteriis & fidei articulis, in eorundemqve accuratam notitiam Scholasticam juventutem solummodo deducendam esse arbitrantur. Non enim à futuro sive Reip. sive Ecclesiæ ministro id negligi debet, qvod, nisi dextrè tradatur aut intelligatur, Remp. & Ecclesiam non minus qvam erroneus de fidei articulis sensus destruit atqve evertit. Doctrinam illam verbis *D. Erasm. Marbachii*, Comm. in

Exod. p. 123. signamus: *Fit autem, qvemadmodum Moses inqvit, qvi plus colligit, non habeat amplius & qvi minus, non habeat minus: qvod de ipsa distributione accipiendum videtur. Primo enim laborem in commune conferunt, comportantes Mannam in unum acervum, unde fit, ut qvo alius alio est expeditior, plus vel minus colligat: ea vero congregata qvisqve inde accipit, non pro eo, qvantum vel plus vel minus collegit, sed pro dimenso Gomor, in cibum diurnum à DEO destinatum. Citat hunc locum Apostolus. II. Cor. VIII. Cum enim illos ad conferendas eleemosynas hortatur, ut qvis q; ex sua copia aliorum succurrat inopiæ, ut fiat æqvabilitas, inqvit: qvemadmodum scriptum est, qvi multum habebat, non abundavit, & qvi minus, nihilominus habebat. Omnes opes & facultates huic DEI dono confert. Sunt enim veluti manna, qvam Deus Israelitis dedit, non ut qvisqve sibi tantum ac suis coacervet, sed qvantum necesse est, cuiq; distribuat. Qvi ergo abundant, operam dare debent, ne cæteri laborent inopia: sed iis, qvantum possunt, prompta & liberali voluntate subveniant, Æqvabilitas itaqve, qvam nobis commendat Apostolus, in beneficentia & liberalitate exercenda est, non in æqvali bonorum inter omnes partitione, ex qva omnium rerum perturbatio & confusio oritur.* Cujus vero doctrinæ pleniorem evolutionem alii tempori atqve occasioni reservamus.

EXER-

EXERCITATIO V.

De

QUÆSTIONE

AN ET IN QUANTUM DEUS POENARUM CAUSA SALUTARI POSSIT?

I.

SCiendum ante omnia est, pœnam omnem duplicis generis esse. Qvædam enim ita comparata est, ut sit malum duntaxat naturale, qvod Metaphysici malum alicui vocant, qvædam verò præterea indivulso nexu & inseparabiliter conjunctum sibi habeat malum culpæ, qvod vocatur morale & malum simpliciter. Neqve enim de utroqve similiter judicandum esse, ex infra dicendis apparebit.

II. Porrò in pœna omni duo sunt, sicut in vitio, positivum, qvod est actus subjecto intelligenti impressus & per se indifferenter se ad naturam & constitutionem ejus habens, ceu percusio in decapitatione, crematio in supplicio infernali: & privativum, qvod est inordinatio naturalis, in qvantum nempe actiones illæ subjecti naturæ non conveniunt, sed ad corruptionem ejus & destructionem ten-

tendunt. Qvamqvam verò distinctionem pœnæ in pœnam damni & sensus non rejiciamus, nobis tamen hic de pœna sensus potissimum sermonem esse, vel ex dictis intelligitur; neqve arbitramur, pœnæ posse exemplum proferri, qvin adnexum habeat pasionis sensum, qvod in triplici pœnarum genere, naturalium, moralium, notionalium, monuit eruditisimus *Sam. Pufendorf*, Elem. Jurispr. I. XXI, 5.

III. Præterea causa moralis, [nam de physica res facilis est] παχυλῶς describitur, qvod sit, qvæ non reali actione influit in effectum, ei tamen effectus recte imputatur. Ex qvo appareret, duo ad illam cumprimis reqviri; primo negationem realis influxus, scilicet talis, qvalis competit causæ physicæ, per actionem immediatam, qvam inter & effectum nulla alia interveniat causa principalis & qvæ influxui intentionali contradistinguatur, influenti, ut interim vera actio, mediante vel causa principali physica vel intentione agentis, etiam morali competat causæ, vel certe ἀναλογόντι veræ actioni, velut in permisione ejus, qvod impediri debebat, contingit. Deinde imputationem effectus & æstimationem moralem, qvæ efficit, ut illa sæpe sola pro causa habeatur, intermedia vero principalis, per qvam agit, causæ rationem veluti amittat. Sic soli Domino imputatur, qvod ejus jussu à servo patratum est, licet dominus mediate duntaxat & moraliter, servus immediate & physice ad

effectum

effectum concurrerit. De fundamento autem imputationis, sive qvod hoc loco idem est, ratione formali causæ moralis, qvam nonnulli in intentione sive directa sive indirecta, alii in applicatione agentis ad patiens, alii aliis in rebus constituunt, qva de re ex professo disqvirunt, qvi ex primæ Philosophiæ doctoribus data opera huic rei incubuerunt, *Paul. Slevogtus, Jac. Tenzelius, Petr. Musæus, Frid. Besselius*; licet difficilis sit controversia, nihilominus jam olim jactati sunt qvidam versiculi:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, nō manifestans,

qvibus licet totum esse causæ moralis non exprimatur, communiores tamen ejus notas continent, qvæ causæ moralis veritatem arguunt & præsentiam, unde recto eorum sensu à plerisqve eam delineari videmus.

IV. Hæc necessario præmittenda sunt, qvia sine his intelligi neqvit, qva ratione qvandoqve DEO tribuatur, qvod mortem inferat peccatori, veluti eo, qvem nuper consideravimus, loco, I. Sam. II, 25. & alibi passim: Deut. XXXII, 39. I. Sam. II, 6. Psalm. VII, 12. 13. 14. XI, 7. Es. XLV, 7. Thren. III, 37. 38. Ezech. XXXVIII, 21. Os. VI, 1. Am. III, 6. IV, 10. Mich. I, 12. Sap. XVI, 12. 13. Tob. XIII, 2. Matth. VII, 23. X, 28. Apoc. I, 18. aliqvando vero, qvod mortem ejus nolit, causa vero mortis & calamitatum omnium homini ingruentium Satanæ in solidum & perversæ hominis naturæ tran-

transcribatur. Ez. XVIII, 24. 32. XXXIII, 11. Sap. I, 13. II, 24. 25. Joh. VIII, 44. II. Petr. III, 9. Et enantiologiæ huic apparenti medetur distinctio voluntatis DEI antecedentis & consequentis. Ut nimirum dicatur DEUS nolle mortem peccatoris ullius, sed ad vitam creasse atque immortalitatem singulos secundum voluntatem antecedentem, juxta quam & media ordinarit sufficientissima, quibus instructus in vita immortali perseverare potuisset homo; sed quoniam eidem voluntati involvebatur comminatio; *quo die peccaveris, morte morieris*, & vero in peccatum homo sua sponte prolapsus est, hinc non potuit Deus nisi secundum consequentem voluntatem mortem velle peccatoris tanquam pœnam, eandemque ei inferre. Hæc quamvis ita se habeant, non tamen videtur res difficultate carere, si sub terminis Philosophicis quæratur, an sicut Deus per voluntatem antecedaneam causa est indubia vitæ hominis & beneficiorum ei concessorum, ita & causa dici possit mortis & calamitatum ei incumbentium per voluntatem consequentem, cum omnis inordinatio hominis constitutioni repugnans mala sit & à debita perfectione deficiat, Deus vero malum neque velle, neque facere, neque ulla ratione ad illud, in quantum tale est, concurrere possit? Non videtur absre esse, se ex iis quæ §. præc. præmisimus, paulo diligentius hæc consideremus, inprimis cum Reformati aliique his quæstionibus

bus simpliciores implicent, suisque hypothesibus ex iis non leve patrocinium quærant.

V. Esto igitur propositio prima: *Deus alicujus mali pœnalis causa & physica & moralis dici potest.* Patet breviter, quoniam ad antecedens peccatum mortem Deus & immediate ac veluti sua manu & mediate, aliis illationem precipiendo, inferre sive infligere potest. Sic juxta quorundam sententiam Deus immediate torquet damnatos, juxta alios tortoribus Diabolis committit. Illis afflictionis hujus infernalis causa dicetur physica, his vero moralis. Exemplorum in S. Literis abunde est, scopo vero nostro pauca satisfacient. Uxorem Lothi Deus immediate in statuam salis convertit, Gen. XIX, 26. Pariter telluris hiatu absumit rebelles, Core, Dathan & Abiram, Num. XVI. v. 31. 35. Et igne cœlitus immisso cohortem militum Ahasiæ, II. Reg. I, 10. 12. Amalekitas vero deleri Deus severissimo mandato jubet, I. Sam. XV, 3. Sodomitas angelis, iisque bonis, evertendos committit, Gen. XIX, 13. Magistratui civili in delicta passim suppliciis animadvertere præcipit &, ubi ille defuit officio, occultis judiciis contemptum legum suarum vindicavit. Ex his aliisque innumeris duplex pro thesi formamus argumentum. I. Qui torturam infernalem & pœnas tum privativas tum positivas infligit homini immediate, is earundem causa physica dici potest. At DEUS hoc facit. Ergo II. Qui pœnas easdem infli-

infligere alii extra se causæ principali physicæ præcipit, is earundem dici potest causa moralis. At Deus. Ergo. Utriusqve argumenti major propositio ex præsuppositio de causa discursu liqvet & statim, ubi auditur, ita evidens est, ut negari à nemine qveat. Ut enim ligna secans scisionis causa physica est, eo qvod vera actione in eam influit, ita ob eandem rationem, qvia in pœnam influit, Deus, torqvendo, ejus causa physica erit. Et sicut, qvi servum jubet occidere Titium, occisionis causa moralis est: ita Deus, dum jubet angelos torqvere damnatos.

VI. Dices. I. hoc pacto & vitii moralis causam physicam fore Deum, qvippe ad qvod vera actione concurrit. II. Deum pœnæ moralem causam dici, nihil aliud esse, qvam imputari Deo pœnam. Non autem imputari posse, nisi eam vel ipse meruerit, vel alios ad merendum instigarit. At vero utrumqve blasphemum esse, omnes confiteri. III. Angelos, hominesqve, Deo jubente, pœnam inferentes, instrumenta esse DEI punientis; at causæ instrumentalis mediationem causam moralem destruere, tantum abesse, ut constituat. Respondetur ad I. Distinguendo inter concursum indifferentem, generalem & indeterminatum: & specialem atqve ad hoc esse limitatum. In vitio morali priori duntaxat modo Deus operatur, at hoc ipso causa vitii non est, qvia vitium ad esse sui non à Dei con-

concursu, sed à causæ secundæ conditione determinatur; at verò in qvibusdam pœnis infligendis DEUS nullis utitur causis secundis aut intermediis, necesse igitur est, ut speciem ab ipsa operatione Divina accipiant. Resp. ad II. concedi, imputationem necessarium esse causæ moralis consequens; sed verò illa duplex est, imputatio ad laudem & imputatio ad ignominiam: illam in creatis insequitur præmium, hanc pœna. Qvamqvam igitur Deo pœnam moraliter efficienti pœna imputetur, non tamen sequitur: Ergo in ignominiam, eandem promerendo, aut ad meritum ejus instigando, qva ratione ipsimet peccatori imputatur, sed potius in laudem, ob antecedens demeritum, ut pœna εἰς ἀπόδειξιν τῆς δικαιοσύνης, *in demonstrationem justitiæ*, Rom. III. 25. efficiatur, jubendo aut instigando. Qvantum enim culpæ habet, pœnam peccato meteri, tantum habet laudis, ne impunitum maneat peccatum, providere. Dispescitur autem causa moralis, ut notum est, in meritoriam & non-meritoriam; igitur à causa morali, ut sic ad certam ejus speciem, meritoriam argumentari, esset à genere ad speciem colligere, qvod illicitum esse omnes agnoscunt. De cætero non diffiteor, cum reverenter de Deo non sentiendum tantum sed & loqvendum sit, atqve verò, ubi Deus pœnæ causa moralis dicitur, meritoria facile causa præter loqventis intentionem intelligatur, præstare, ut nonnisi cum

adpositio causa pœnæ moralis non-meritoria vel infligens dicatur. Placetqve illud *Thomæ Aqvin.* II. Sec. Q. XIX. Art. I. Ad Tert. *Malum pœnæ est qvidem à Deo actore, in qvantum habet rationem boni, prout sc. est justum, secundum qvod justè nobis pœna infligitur, licet hoc primo dialiter ex merito nostri peccati contingat, secundum qvem modum dicitur: Deus mortem non fecit.* Resp. ad III. Distinguendo inter instrumenta moralia & physica. Qvamvis causæ physicæ natura non destruatur per intermediationem instrumenti physici, destruitur tamen & in moralem transit per instrumenti moralis intermediationem. Est enim revera instrumentum morale nihil aliud, qvam causa physica principalis, ut exemplo adducto patet. Sicut autem causa moralis in tanta ἀχειβεία causa non est ac physica causa: ita instrumentum morale in tanta proprietate instrumentum non dicitur, ac physicum. Et sicut causæ physicæ esse non destruitur per τὸ μέσον causæ instrumentalis physicæ: ita nec causa moralis per μέσον instrumenti moralis. Qvare licet ministri Saulis, qvi jubebantur occidere sacerdotes Nobenses, instrumenta fuerint moralia Saulis jubentis, hoc tamen non obstante, causæ principales physicæ fuere & Saul causa moralis occisionis. Par omnino est de Deo pœnam jubente judicium.

VII. Regeras. I. Hac ratione statui, Deum intendere mortem hominis, qvod à bonitate ejus naturali abhorret, cum alienum sit ejus opus,

opus, qvando hominem punit. Es. XXIIX. 21. II. Cum Deus in Sacris dicitur præcipere pœnam homini infligendam, id esse permissivè intelligendum, sicut & dicatur præcepisse Simeio, ut malediceret, i. e. permisisse. I. Sam. XVI, 10. III. A Deo utiqve ut judice pœnam esse, at à judice pœnam causaliter non procedere, qvippe qvi pœnam, qvam reus mereatur, duntaxat declaret & exemplum statuat. Deniqve IV. dæmonem solum esse, qvi inferat mortem, ἀνθρωποκτόνος ab initio, Joh. IIX. 44. Deum verò esse vitæ impensissimum amatorem. Sap. II, 14. Respondetur ad I. Non absurdum esse, Deum intendere pœnam ejus, qvi peccat, cum eandem velit, sicut I. Sam. II. 24. expresse dicitur. Et qvid aliud est, *Deum gladium suum acuisse, tetendisse arcum, adqve scopum veluti qvendam direxisse*, sicut loqvitur Psaltes, Ps. VII. 13. nisi intendere pœnam ejus, qvi peccaturus sit? Esto, impium atqve blasphemum sit, pœnam hominis sine omni respectu ad peccatum habito intendere dici Deum, qvod velint nolint dicunt promiscue Calviniani. Neqve ideo bonitas Divina periclitatur, qvippe qvæ ita consideranda est, ne detrimentum patiatur justitia divina, qvæ non potest non punire eum, qvi peccavit. Alienum Dei opus eleganti locutione apud Esaiam dicitur pœnarum irrogatio, qvoniam ad illud à re extra DEUM existente, nempe peccato, permovetur, cum beneficiorum causa intra DEUM unice consistat; at verò inde nondum

sequitur, id ita à Deo esse alienum, ut ei repugnet, licet non nisi irritatus ad illud procedat, Ad II. Textus adeo claros esse, ut nulla specie possint de permissione exponi. Quippe non præcipitur duntaxat Sauli, ut anathemati subjiciat Amalekitas, sed gravissimum DEI odium incurrit, quod præcepto Dei non ex omni parte satisfacit. I. Sam. XV. 19. 22. 23. At verò neque Simeio maledictio erat à Deo præcepta neque si ejusmodi vocabulum loco adducto extaret, aliter posset, nisi de permissione exponi, cum Deus rem moraliter malam præcipere nequeat, ut aliunde prolixè constat. Ad III. Deum non judicem tantum, sed executorem quoque esse pœnarum, tot probari exemplis posse, ut mirum sit ad hoc refugium nonnullos recurrere. An enim pœnam tantum declarat, non infligit, qui damnatos in inferno & pœnæ adjudicat & manu suamet punit? An Pinehas judex esse desinit, dum judicium ipse suum exequitur & hasta delinquentes transfigit? Num. XXV. 8. Psal. CVI. 30. Esto, ad judicem, ut sic, non requiri, ut judicium ipse suum exequatur, judici tamen nequaquam executio isthæc repugnat. Neque ita pœnam declarat judex, quin simul ejus executionem imperet, exemplo Davidis, II. Sam. I, 15. Imperium verò causalitatem inferre, saltem moralem, apud primæ Philosophiæ peritos extra dubitationis aleam positum est, Deniqve reum, pœnam solummodo mereri, eandemque à Deo, ut

agente,

agente, infligi tam oppositа non sunt, qvam non implicant, hominem contracto morbo insanabili cruris amputationem mereri, eandem tamen à Chirurgo, ut causa physica, suscipi atqve exerceri. Ad IV. Resp. verbis *Augustini*, lib. de Præd. Dei, c. 4. p. 1297. *Sunt nonnulli, qvi Diabolum sic ponunt mortis autorem, qvasi ultionis judicem. Autor est qvidem mortis per suggestionem peccati, sed per potentiam retributionis nec autor nec creator. Unde autem & bonis gloria perennis & malis mors infelix, nisi ab eo, qvi reddit unicuiq; secundum opera sua? Non tamẽ purè à Deo mors, sed fit ex hominis prævaricatione per justitiã Dei in hominis pœnam.*

VIII. Propositio secunda: *Deus etiam inordinationis naturalis pœnæ formale constituentis causa dici posse videtur.* Submittam me libenter aliorum judicio, qvi me accuratius arbitrari possunt, interim conclusionis has rationes adduco. I. Si Deus non est causa sive physica sive moralis inordinationis illius naturalis, sive mali naturæ subjecti puniendi repugnantis & ad interitum naturaliter disponentis, tunc Deo punitio ipsa adscribi non potest. Atqvi falsum est posterius. Ergo & prius. Subsumptio ἐξαγώνιος est, cum ei soli irrogatio pœnæ tribui propriè qveat, cujus leges sunt violatæ & præterea rem totam perpetuus scripturæ usus extra omnem dubitationem ponat. Connexio verò exinde patet, qvod qvi non est causa ejus, qvod rem in formali esse suo constituit, rei ipsius causa appellari, aut res ei, ut agenti, adscribi neqveat; &

qvia, si ad esse causæ sufficit qvaliscunqve ad rei materiale concursus, nihil prohibet, qvin & mali moralis causa dicatur Deus, qvod tamen blasphemum esse omnes agnoscunt. II. Omne agens & efficiens reali actione pœnam, causa est pœnæ formaliter spectatæ. At vero Deus: Ergo. Major ex definitione causæ efficientis & imprimis ejus causalitate clarissimè innotescit & amplius ostenditur hac deductione. Aut Deus agit circa pœnam, eamqve producit operatione qvadam illimitata, per modum causæ universalis, aut definiendo, determinandoqve pœnam ad esse pœnæ, per modum causæ particularis. Non illud, qvia sic pœnæ ei infliction non aliter adscribitur, qvam sobolis procreatio soli, qvo absurdum est, cum sic ei adscribi videamus, ut soli, ut unice. Deuteron. XXXII. 35. Rom. XII. 19. Hebr. X. 30. Ergo hoc. Jam verò pœna in esse pœnæ aliter nisi per inordinationem illam naturalem constitui neqvit. Minor probatur inductione exemplorum, qvalia jam antea in medium produximus, de actione Dei & efficientia pœnæ tum morali tum physica abunde testantia. III. Si Deus est causa illius passionis in creatura rationali, qvæ cum inordinatione naturali indivulse cohæret, seqvitur ipsius inordinationis causam dici posse. Sed prius est. Ergo & posterius. Simili prorsus argumento utuntur contra Calvinianos Theologi in materia de peccato morali. Et patet connexio exinde, qvia is censetur ejus rei causa, qvam licet directè efficere non intende-

rit,

rit, effecit tamen illud, ex qvo illa nexu inseparabili seqvebatur. De subsumptione nullum dubium esse potest, cum simpliciter fieri neqveat, ut tormenta illa, qvæ Deus damnatis illaturus est, sine inordinatione isthac, naturæ rationali adversa vel ad momentum subsistant. IV. Si ad inordinationem naturalem, ad pœnam constitutive pertinentem, DEUS improprie & permissive tantum concurrit, seqvitur Deum inordinationem illam, etiam præcedente peccato, nolle & detestari. At falsum est posterius. Ergo & prius. Major constat, qvia objectum voluntatis divinæ aut est bonum, & tum à Deo approbatur, amatur, efficitur; aut malum, & à Deo permittitur, odio habetur & repudiatur. Inde est, qvod qvia Deus voluntate tantummodo permittente ad peccata concurrit, absolute loqvendo illa nolit & execretur, neqve ullo modo ullove statu velle possit aut amare. Minorem probo, qvia qvod ratio justitiæ Dei vindicativæ reqvirit, id Deus non potest non velle, approbare & efficere. At ubi justitia Dei peccatis læsa est, reqvirit inordinationem illam, tanqvam id, in qvo pœna essentialiter consistit. Ergo. Res adeo certa est, ut proprio filio non pepercerit Deus, sed mediate, immediateqve eum affligendo, qvam necessaria sit peccatis illa pœna, abunde demonstraverit.

IX. Priusqvam ad alia progrediamur, unum nobis diluendum argumentum est, qvod videtur hactenus dictis vehementer obesse.

Nempe: Deus non est causa privationis. Inordinatio isthæc est privatio. Ergo. Pro solutione notandum est. I. Priorem propositionem infringi posse instantiis. Qvid enim תוהו ובוהו illud, primo die creatum, aliud fuerat, qvam privatio? Gen. I. 2. Porro Deus immittens diluvium causa est corruptionis omnis carnis, etiam ejus, qvæ privationem illam non meruerat. Gen. VI. 7. 17. Christus maledicens ficui causa est privationis fructuum ejus. Matth. XXI, 19. Sic Deus Adamo primo somnum, qvi privatio est, immittit, deinde eum costa privat. Gen. II. 21. Lapsis terræ sterilitatem, dolores atqve labores molestissimos adjudicat. Gen. III. 16. Et ut summatim dicam: *ipse est, qvi format lucem & creat tenebras, faciens pacem & creans malum. Jehova est, qvi hæc omnia facit.* Esa. XLV, 7. II. Distinguendum est inter privationem oppositam formæ cuilibet & inter eam, qve opponitur habitui moraliter bono. Qvamqvam verò hujus posterioris causa nullo modo possit esse Deus, qvippe qvæ producitur, *non per modum physicæ alicujus surreptionis, veluti illa prior, sed voluntaria cessione ex actu aut habitu legi divinæ consentaneo*, ceu accuratè observat vir celeberrimus, *D. Joh. Hülsemannus*, Brev. Ext. c. V. §. 6. Suppl. p. 61. nihil tamen obstat, qvin prioris generis privationum causa esse diciqve possit, qvippe qvi easdem, ut exemplis patuit, partim physica partim morali actione producit. III. Neqve metuendum inde est, Deum fieri alicujus imperfectionis aut defectus auctorem.

Nam

Nam aut loqvimur de rebus ratione & intelligentia præditis, adeoqve privationis culpabilis capacibus, aut ea ex natura sua destitutis Si hoc, tum eo ipso, qvo defectus neqve laudi obnoxius est, neqve culpæ, ejus efficientiam in Deum cadere non repugnat. Si illud, tum distinguendum est inter causam efficientem defectus & meritoriam. Qvamqvam autem nondum inter omnes constet, ad qvod causæ genus causa impulsiva ab extra, eaqve meritoria, recte referatur, nihilominus negari neqvit, causam pœnam merentem à causa pœnam infligente ita diversam esse, ut tamen altera alteram non perimat aut absorbeat. Sic blasphemus lapidationem meretur, judex infligit. Et qvi auctorem imperfectionis alicujus aut mali pœnalis esse communiori loqvendi consvetudine de causa meritoria exauditur, accuratioris distinctionis causa reus dicetur sibiipsi causa pœnæ, in qvantum voluntaria malitia meritæ & sibi attractæ, judex vero causa ejusdem pœnæ, in qvantum justè inflictæ. Certe ne qvidem concipi potest, cur carnifex, qvando ex superioris jussu reum occidit, non sit causa mortis rei, sit vero causa ejus omnium suffragio, cum homicidium proprio instinctu committit.

X. Ais, privationes causas efficientes physicas prorsus non agnoscere, cum sint non entia. Respondetur. I. Esto & dicantur causæ earum morales, nostra parum interest, ut ex tota hac

tractatione patet. II. Ob eandem rationem non agnoscent causam moralem, cum & hæc, eo qvod causa est, reqvirat effectum, non ens vero effectus esse non possit, cum attributum entis sit esse vel causam vel effectum. Jam vero causam pœnæ moralem omnes agnoscunt. III. Causæ igitur vocabulum in præsenti negotio paulum extenditur, referturqve ad id etiam is effectus, qvi ad modum entis atqve habitus rem illam afficit, qvæ vel physice vel moraliter producitur. Qva ratione calor ignis intensus aqvæ admotus dicitur causa physica privationis frigoris in aqva, qvia licet calor ignis privationem illam non eo modo producat, qvo producit calorem in aqva existentem, qvi positivum ens est, ad præsentiam tamen caloris privatio frigoris exoritur & ad qvæstionem, cur in hac aqva privatio sit frigoris, recte respondetur, à caloris præsentia id esse, qvod qvæstionis genus causam vel formalem vel virtualem aperte arguit. Sicut vero calorem ignis nemo, opinor, dicet causam privationis frigoris moralem, eo qvod illa ad effectum ejus formalem demum consequatur: ita non immerito dubitari posset, an causa pœnæ moralis dicendus sit, qvi cum reali actione tormenta, proximam privationis dolorificæ materiam, produxit, effecit, ut privatio tormenta conseqveretur, cum si fieri ut posset privationis illius formalis atq; physica daretur causa, non alia futura esset, nisi is, qvi tormenta inflixit. Denicq; IV. Sicut qvidam Theologi malo mora-

morali præter privationem malo indubie adhærentem formale qvoddam positivum, in Theologica latitudine acceptum, ex ea ratione addiderunt, qvod entitativis atqve positivis prædicatis in S. Literis passim describatur, atqꝫ ideo physicam qvoqve ei causam, nempe naturalem ex parentibus progenerationem adsignarunt: ita ex eadem causa forma qvædam positiva, laxius accepta, malo pœnali competet, qvæ eo ipso, qvod positiva est, physica actione necessario producetur.

XI. Sed redeundum nobis est ad prius argumentum. Resp. IV. Si à Deo, ut causa, privatio simpliciter esse neqvit, seqvitur, privationem nullam in statu innocentiæ locum habituram fuisse. At vero hoc perqvam absurdum est, cum & vigiliarum atqve somni, diei atqve noctis, mortis atqve vitæ inanimatis intellectu carentibus vicissitudo fuisset citra omne dubium perpetua. Patet propositio prior, qvoniam in privationes ejusmodi tota natura propendebat, natura vero causaliter erat à Deo. Qvod vero est causa causæ, est etiam causa causati. Utimur simili argumento contra Pontificios in materia de possibilitate status purorum naturalium & rebellionis illius partis inferioris adversus superiorem, qvippe ex qvo moralia mala sua natura essent consecutura, adeoqꝫ causa eorundem in Deum, ens optimum, redundatura. Ex qvo jam V. evidenter conspicitur, privationem nec unius generis esse, nec modi unius,

Ut

Ut enim nunc non dicam de distinctione illa Aristotelica, secundum qvam privatio primo omnem formæ carentiam, dein eandem, sed in subjecto apto, non tamen secundum hanc speciem, iterum illam in subjecto etiam secundum speciem apto, sed non secundum tempus, deniqve carentiam formæ in subjecto secundum speciem & tempus apto, notat, qvæ divisio æqvivoci est, ut omnes vident, in æqvivocata, terminumqve duntaxat ab ambiguitate liberat; presius observanda hic nobis est distinctio privationis, qvando alia materialiter atqve conseqventer perfectionem importat, ut incontaminatum puritatem, alia imperfectionem importat, ut cœcitas videndi impotentiam. Res clarissima est. Nam privationes illæ, qvarum paulo ante mentionem feci, tenebrarum nocturnarum, somni & interitus rerum viventium, aliarumqve his similium, directa DEI intentione & voluntate in id à DEO sub primis mundi auspiciis erant ordinatæ, ut totum universum exornarent atqve perficerent: neqve accurate loqvendo defectus dici poterant, qvando tum proprie aliqvid alicui deficere constat, si vel ad esse simpliciter vel ad tale esse sibi debitum qvidqvam deest. At vero nec v. c. perpetuæ vigiliæ animali citra ejus interim possunt competere aut deberi, nec Deus, tanqvam suprema rerum omnium causa, vel esse rei cuiqvam debet, vel tale esse; qvemadmodum nec canis justam habet

bet conqverendi causam, qvod ipsi desint cornua, nec homo, qvod alæ. Qvamvis autem Deus creaturam rationalem, ex qvo ad imaginem suam, corruptionis omnis qvoad animam & corpus expertem, eandem creavit, non posit perinde ut res alias qvascunqve pro mero atqve absoluto beneplacito suo, passionibus, imprimis æternis, subjicere: attamen potest ratione meriti ejus & demeriti de primæva perfectione aliqvid demere, qvin imo prorsus in nihilum redigere, qvoniam eo in statu tanta perfectio ipsi non tantum non debetur, sed eo ipso, qvo pœnam meruit, contrarium ei, nempe imperfectio aut totalis destructio, debetur. Sicut enim bonitas divina res existere facit, ita justitia, qvando intervenit demeritum, interire. Et qvemadmodum somnus, cum sub formali privationis vigiliarum consideratur, imperfectio respectu vigiliarum appellari potest, dum nempe negat id, qvod se longe est perfectius; perfectio vero, si ad universum hominis statum & vigilias in omni latitudine atqve protensione consideratas spectatur, dum nempe sine somno vigiliæ neqve tam intensæ neqve tam diuturnæ esse possent: ita pariter privatio in pœnis occurrens respectu subjecti puniendi imperfectionem qvandam involvit, perfectionem vero dicit respectu justitiæ divinæ, qvæ non vindicato peccato, nec pœna sub justa proportione illata, consistere absolute aut justitia esse non potest. Præclare

Augu-

Augustinus seu, judice Erasmo, qvicunqve alius, lib. de Prædestin. Dei, c. 4. T. VII. Op. p. 1297. *Fortassis est*, inqvit, *qvi dubitet, ultionem offensionis à Deo esse, qvi gravis est & mala, virtutis autem remunerationem à Deo esse manifeste fateatur, qvia dulcis est & bona, cũ Deus nullius mali sed totius boni sit author. Huic dicendum est, qvia offensio, etsi homini est mala, dum pœnam ingerit, apud Deum est justa, dum peccata punit. Unde fons & origo boni apud Esaiam sic loquitur: Ego Dominus pacem faciens & creans malum, q. d. Ego Dominus faciens pacem ex me, creans malum ex te tibi. Pro peccatis enim tuis bellum tibi tribuo, qvod mereris: qvod etsi apud me sit justum, ex te tamen tibi fit malum, qvia non ex me sed ex te peccasti: & pro peccato pœnam tibi creo, qvæ apud me est justa, tibi autem mala.* Id qvod terminis philosophicis sic enunciat *Thomas*, II. Sec. Q. XIX. Art. I. §. Respond. *A DEO nobis imminere potest malum pœnæ, qvod non est simpliciter malum, sed secundum qvid, bonum autem simpliciter. Cum enim bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importet hujus ordinis privationem, illud est malum simpliciter, qvod excludit ordinem à fine ultimo, qvod est malum culpæ. Malum autem pœnæ est qvidem malum, in qvantum privat aliqvod particulare bonum, est tamen bonum simpliciter, in qvantum dependet ab ordine finis ultimi.*

XII. Accedit adhæc argumenta antiqvitatis consensus, qvem nobis exhibet disputatio veteris Ecclesiæ, cum duplici hæresi, Coluthianorum & Florinianorum, de qvibus

Augu-

Augustinus, Tom. VI. de Hæres. ad Qvodvult-D. H. 65.66. *Coluthiani*, ait, *à qvodam Colutho, qvi dicebat, Deum non facere mala, contra illud, qvod scriptum est: ego Deus creans mala. Floriani à Floriano, qvi è contrario dicebant, Deum creasse mala, contra id, qvod scriptum est, fecit Deus omnia & ecce bona valde. Ac per hoc, qvamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloqviis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, qvod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas atqve substantias, in qvantum sunt naturæ atq; substantiæ, ubi Florinus errabat.* Seqvitur *Philastrium*, Hær. 78. Notandum autem est, non uno tempore vixisse Coluthum, [si tamen à persona potius qvam loco accepit nomen hæresis) & Florinum. Hic enim seculo II. Ecclesiæ Rom. Presbyter, ex Valentini schola prodiens, jam ab Irenæo, memorante *Eusebio*, V. H. E. 18. & *Theodoreto*, T. II. Hær. Fab. p. 375. atqve ex illis *Nicephoro*, IV. H. E. 30. scripto de Monarchia libro refutatus: ille autem, si fides *Epiphanio*, seculo IV. Arii tempore errorem suum in Ecclesiam disseminavit. Qvicqvid vero sit, certum est, ab antiqvæ Ecclesiæ patribus contra Coluthum consensu qvodam, ex Esai. XLV, 7. & Amos III, 6. efficientiam mali pœnæ Deo adscribi, ex qvibus unum tantum alterumqve adducemus. E seculo II. *Irenæus*, Lugdun. Episc. & martyr. lib. IV. adv. Hær. c. 77. *Ego Deus condens mala, hoc est, super eos, qvi pœnitentiam non agunt & fugiunt ejus lumen, ignem æternum & exteriores tenebras PRÆPARANS, qvæ qvidem sunt mala his, qvi inci-*

incidunt in ea, sed bona ex justitia Dei. Sec. III. *Tertullianus.* Carthag. Presbyter, lib. II. contra Marc. c. 14. *Separatis malis culpæ & malis pœnæ, malorum culpæ Diabolum, malorum pœnæ DEUM CREATOREM & AUCTOREM definimus.* Ad qvem locum *D. Chemnitius*, Loc. de Creat. p. 290, hæc annotat: *qvæ ideo transcripsi, ut propter vetustatem magis amemus illam utilem & necessariam distinctionem.* Eod. sec. *Origenes*, Presb. Cæsar. VI. contra Celsum, c. 26. p. 764. *Qvod si qvis de externis & ad corpus pertinentibus loqvatur, qvæ abusive mala dicuntur, concedemus, interdum hæc A DEO FIERI, ad convertendum aliqvos. Qvid enim absurdum est.... Eodem modo interpretamur & illud: faciens pacem & condens mala. Condit enim mala corporis & externa, repurgans & castigans eos, qvi nolunt verbis castigari sanaqve doctrina. Hactenus, qvod DEUS mala FACIAT.* Seculo IV. *Ambrosius*, Episc. Mediol. Tom. IV. Serm. XVI. in Psalm. CXVIII. *Mala non creavit Deus, sed hæc, qvæ videntur nobis austera, verbera, mors & hujusmodi alia, qvæ propter emendationem præscripta sunt noxiorum. Hieronymus*, Presb. Bethleem. Tom. V. L. XII. in Es. p. 168. *Confunditur Marcion, duos Deos intelligens, è qvibus prior lucem faciat, secundus tenebras, ille pacem, hic malum, cum utrumqve pro diversitate meritorum unus Deus idemqve CONDIDERIT.* Idem lib. II. in Jer. p. 366. *Fuerunt hæretici, qvi dicerent, Deum non FACERE mala... Mala qvæ nulla sua natura subsistunt, à Domino non creantur, sed creante se mala Dominus judicat, cũ res*

bene

bene conditas nobis male agentibus in flagellum formet, ut ea ipsa & per dolores, (dolorem) *quo feriunt, delinquentibus mala sint & per naturam, qua existunt, bona. Jo. Chrysostomus,* Episc. Constantinop. Tom. II in Matth. Hom. XXIII. p. 218. *Si est malitia in civitate, quam Dominus non fecit. Significans eas plagas, quæ divinitus inferuntur, de quibus rursus loquitur per Prophetam: ego sum, qui facio pacem & creo mala.* Seculo V. *Cyrillus* Alex. Episc. T. V. in Pſ. ſi ejus eſt opus, qvod à Laur. Humfrido in latinum verſum eſt, p. 423. *Ego sum, qui constituo pacem & creo mala, pacem redemptis, mala verò, id est, male affligentia vel omnis malæ afflictionis* EFFICIENTIA *crudelibus & immanibus, qui invaserunt Israelem. Augustinus,* Hippon. Episc. eqvidem Tom. I. de Morib. Manich. lib. II. p. 751. τὸ: creare, per condere ſeu ordinare interpretatur: *creo mala, i. e. condo, aut ordino, qvod utcunq; jam erat, ut melius magisq; sit,* ſicut & alibi paſſim facit, T. VI. contr. Adim. c. 27. contra Epiſt. Manich. c. 38. contra adverſ. leg. lib. I. c. 23. Mala tamen pœnæ facere & infligere neqvaqvam negat, ſicut, ex iis patet, qvæ in principio §. allegavimus. Seculo VI. *Gregorius M.* Epiſc. Roman. Tom. I. lib. III. Expoſ. Moral. c. 7. prorſus iisdem, qvib. Hieronymus, utitur verbis. Qvem ſeqvitur ſeculo VII. *Eucherius* Lugd. Epiſc. lib. I. in Gen. c. 7. *Ego Deus faciens pacem & creans malum. Creare se Dominus mala insinuat, dum bona condita peccatoribus in flagellum formet, ut ea ipsa & per dolorem, quo feriunt,*

riunt, delinqventibus mala sint & per naturam, qvæ existunt, bona.

XIII. Tandem poteram addere suffragium Theologorum nostrorum, qvi ubi de reprobatione & damnatione agunt, Deum causam earundem dicere non refugiunt, licet alio longe, qvam Reformati, sensu, ceu ex iis constat, qvæ passim diximus & amplius dicturi sumus. Placet mihi ἀκρίβεια viri qvondam accuratissimè docti, D. I. *Fr. Königii*, qvi in libello incomparabili Theologiæ Positivæ Acroamaticæ, p. 118. causam reprobationis efficientem in moventem & agentem, illam porro in moventem internam atqve externam distinguit. Illam voluntatem DEI libere decernentis; Istam justitiam Dei punitivam; hanc deniqve meriti Christi repudium finale novo at pulcerrimo ordine appellat.

XIV. Propositio tertia: *Deus non est causa malipœnæ, qvod simul est malum culpæ, qvocunq; modo.* Hujus conclusionis principia in superioribus etiam comparuerunt. Nam à causalitate rei cum effectu à me producto necessario connexæ absolvi nullatenus possum, qvippe qvi indirecte etiam id intendere dicor, qvod licet directa voluntate productum nolim, id tamen ago, ex qvo scio vel certè scire debebam, id productum iri. At verò malum morale in Deum resolvi neqvit, cujus natura ei prorsus repugnat, qvi illud severe prohibet & punit. Ais: si malum pœnale, qvod simul culpa est, non

non est à DEO neqve pœna erit, qvippe qvæ à solo DEO immittitur, juxta ea, qvæ superius disputata sunt. Respondeo: est à DEO permittente, non volente aut efficiente & à permittente qvidem ex justo judicio ob antegressum peccatum. Permittendo igitur à DEO immittitur. Dices: qvi aliqvid ideo & ea intentione permittit, ut aliud qvid ex eo consequatur, is ad minimum causa moralis erit ejus, qvod consequitur. Qvantumvis igitur non possit dici DEUS causa mali culpæ, qvod permittit, qvia illud neqve directe neqve indirecte intendit, sed occasionaliter duntaxat ad certum bonumqve cum eo effectum connectendum arripit, videri tamen recte dici posse causam ejus mali, in qvantum pœna est, cum, in qvantum pœna est, sit à DEO juste ob prævia delicta infligente, qvem characterem causæ efficientis omnes agnoscant. Et certè perqvam difficilis est ad hanc exceptionem responsio. Putat autem *Melch. Canus*, Episc. Canar. lib. II. Loc. Theol. c. 4. p. 20. s. nimis subtilem esse & Theologo non convenientem distinctionem, qvando dicatur, Deum esse auctorem mali culpæ, qvatenus pœna simul est; & proinde Cajetanum in hoc argumento refellit. Alii vero dicunt, ad causæ moralis veritatem non sufficere intentionem, sed reqviri, ut intentio cum actione aut saltem permissione culpabili sit conjuncta. Nam actionem

largiri causæ morali esse causæ, intentionem verò esse causæ moralis. Permissionem autem tum æqvipollere actioni, qvando vel id permittitur, qvod impediri, vel id impeditur, qvod permitti debebat. Jam verò Deum permittentem malum pœnæ, qvod simul culpa est, impedire illud nec debere nec teneri. Ergo nullo modo causam ejus censeri posse. Qvamqvam hæc ita sese habeant, non immerito tamen dubitatur, an permissionis illi duo modi, exclusive accepti, actioni æqviparentur, cum videatur addi debere modus, qvo qvis aliqvid permittit, qvod permitti debebat, ut sicut illi ad culpam, huic ad laudem imputetur. Nempe sicut non is solum est causa moralis, qvi flagitium præcipit aut suadet, sed & qvi factum bonum aut egregium; nam sic, qvi paupere præsente ad dandam eleemosynam me exhortatur, datæ certe eleemosynæ perinde causa moralis est, ac qvi incendii per alium consilio aut admonitione procurati: ita nec is solum causa moralis erit, qvi permittit aliqvid ad culpam, sed & qvi ad laudem atqve meritum. Et qvid aliud sibi vult regula illa JCtorum: *qvi tacet, consentire videtur*, nisi aliqvem etiam permittendo causam fieri moralem? Id qvod tamen eousqve extendi non debet, ac si qvocunqve modo permittens id, qvod debebat permitti, causa moralis fieret rei permissæ. Nam & hoc causæ moralis χρειτήριον, perinde ut cætera, qvibusdam limitationibus

nibus est subjectum & necessarium inprimis esse videtur, ut respectus realis inter permittentem & rem permissam intercedat, qvalis est, cum tacenti Titio libellum velut mihi donatum aufero. Ubi respectus est possidentis & possessi, qvalis & in similibus exemplis facilis est observatu. Sed vero hæc ad ampliorem duntaxat considerationem nunc proposita sunto.

XV. Propositio ultima: *Deus absolute & sine intuitu culpæ, tanqvam causæ pœnam promerentis, causari pœnam non potest.* Ex sola propositionis hujus structura apparet, aliud esse efficere atqve causari pœnam, aliud, causari eandem sine omni merito aut demerito. Ut enim illud sub possibilitatem divinam cadere posse hactenus adstruximus: ita hoc pertinaciter contra Calvinianos negamus. Hoc igitur respectu dicimus cum *Formula Conc.* Decl. p. 719. *Ut Deus non est causa peccati: ita non est pœnæ, h. e. damnationis, sed unica causa damnationis est peccatum. Stipendium enim peccati mors est.* Qvare cum eadem ex Sanctis Literarum testimoniis, Rom. VI. 23. Ezech. XXXIII. 2. XIIX. 32. II. Pet. III. 9. sic argumentamur: qvicunqve causam, pœnam meritoriè inducentem, soli tribuit peccato, is sine peccato pœnam inferre neqvit. At Deus. Ergo. Rursus: Qvicunqve absolutè loqvendo vel certe sub conditione fidei pœnam peccantis non vult, is nec absolutè, nec extra casum deficientis conditionis causari

pœnam potest. Deus. Ergo. Iterum: Qvicunqve ita causatur pœnam, ut velut invito extorqveri hoc sibi opus conqveratur, is sine causa ad pœnam impellente pœnam non infert. Deus. Ergo. Et: Qvicunqve culpam se nolle ideo testatur, ne cogatur inferre pœnam, is absolute inferre pœnam neqvit. Deus. Ergo. Consideratur autem peccatum vel sub rigore legis, qva ratione etiam minima à lege declinatio mortem meretur; vel sub æqvitate Evangelii, qvo pacto nullum peccatum mortem actu infert, nisi cum infidelitate, eaqve finali, conjunctum. Ex qvo intelligi potest, cur etiam existente peccato pœnam se nolle profiteatur Deus, nempe qvia ab infidelitate ad fidem, qvamdiu hanc vitam agimus, datur regressus. Qvod verò Deus nostra nobis peccata, licet mortem mereantur, sine pœna dimittere potest, causa est, qvod eorundem pœna per Christum persoluta est, qvo sine contrariaretur justitiæ divinæ, qvodlibet peccatum dimittere impunitum, ut aliunde constat.

XVI. Dices: neqve Calvinianos asserere, Deum sine prævia culpa pœnam inferre. Respondetur I. Distinguendo inter Sublapsarios & Supralapsarios, sive eos, qvi decreto electionis & reprobationis substernunt hominem nondum lapsum & qvi hominem lapsum. Qvamqvam posteriores videantur qvibusdam ex illa difficultate sese extricare, effugere tamen neqvaqvam possunt priores.

Nam

Nam qvi docent, partim posse Deum creaturam prorsus innocentem ad æternos cruciatus detrudere, partim actu damnasse æterno in decreto hominum maximam partem sine intuitu peccati decretum antecedente, illi non possunt non docere, Deum inferre pœnas sine intuitu culpæ. At prius faciunt *Wittakerus*, *Twisse*, *Ferrius*, *Amyraldus*, *Szydlovius*, *Chamier*, *Pareus*, imo, ut ego existimo, Calvinianorum hodie pleriqve: posterius verò, qvotqvot fere Synodum Dordracenam anteceserunt; *Calvinus*, *Beza*, *Piscator*, *Kekermannus*, *Festus*, *Zanchius* *Danæus*, *Polanus*, *Zepperus*, *Textor*, *Sturmius*, *Smoutus*, *Gomarus*, *Perkinsus*, atqve alii fere innumeri. Jam vero omnis cruciatus intelligenti creaturæ impressus, hocipso, qvoniam intelligens, h. e. juris & injuriæ capax est, inprimis postqvam in specie hominem Deus ad æternæ & perpetuò duraturæ incorruptibilitatis imaginem creavit, pœnæ rationem habet. Est enim conditioni & naturæ creaturæ adversus, qvæ contra inferentem gemere atqve conqveri potest; sicut hæc amplius alibi instituta de natura & indole pœnarum tractatione doceri possunt. II. Nimis faciles esse, qvi Sublapsarios ab hac dica absolvant. Distinguendum enim inter verba eorum & sensum, per evidentissimas conseqventias elicitum. Num enim decretum reprobationis ab infidelitate finali suspendent, Deum æternum à re temporali? An decretum aliqvod facturi sunt certo ordini &

conditioni adstrictum ? Deinde, qvodnam isthoc est meritum, in qvod arcanis DEI impulsibus, prædeterminationibus & judiciis non tam perveniunt, qvam dejiciuntur ? An qvi in decernendo ex absoluto agit dominio, exeqvi voluntatis suæ decretum sine mediis non poterit? An qvi in causa est, ut sine merito culpæ omni gratia prætereantur pleriqve, non in causa erit damnationis, cum præteritione indivisibili nexu cohærentis ? Apoc. XX, 15. Joh. III, 36. Hæc & alia plura jamdiu & hodienum viros inter Reformatos eruditiores commoverunt, ut statuerent, in substantia rei inter Supra- & sub-lapsarios differentiam nullam esse, sed in phrasi duntaxat ac modo loqvendi non usqve qvaqve convenire. Qva de re jam olim monuerunt *Remonstrantes*, Decl. Art. I. p. 17. & nuper demum hæc & similia post alios ad oculum uberrime demonstrarunt venerandi *Theologi Wittebergenses* Gründl. Beweiß. Part. II. c. I. q. 4. 5. p. 192. s.

XVII. Nunc verò eorum, qvæ in difficili materia ad disqvirendum unice proposita, nec pro argumenti dignitate discussa sunt, veniam & terminorum inprimis Scholasticorum freqventer occurrentium barbariem, meliora monentibus libenter obtemperaturi, deprecamur.

(o)

EXER-

EXERCITATIO VI.

De

OBJECTO OMNIPOTENTIÆ DIVINÆ.

I.

IN vetustisſimo Apoſtolorum Symbolo magno cum verborum pondere profitemur: *Credo in DEUM patrem, OMNIPOTENTEM, creatorem cœli & terræ.* Primum principemqve de DEO, rerum omnium intra ſeſe & extra fonte atqve oceano, articulum ornat confeſſio OMNIPOTENTIÆ DEI, cæterisqve in militari hoc Eccleſiæ in his terris ſub Chriſto duce depugnantis Symbolo contentis non ſine gravi causâ præponitur. Nam qvicqvid in cæteris, qvæ concatenato ſe qvaſi ordine conſeqvuntur, articulis, ſive de Patre, hoc univerſum ex nihilo creante, ſive de Filio, ſalutis noſtræ auctore, ſive de Spiritu Sancto, variis donorum generibus humanum genus ſanctificante, cum ſacra profitemur antiqvitate, id omne ex Divina omnipotentia tanqvam ex qvadam ſcaturigine emanat. Tolle vim illam infinitam ex non exiſtentibus vocandi ea, qvæ ſunt, ut Apoſtolicis verbis utar, nunqvam mihi perſuaſeris, hunc mundum & in hoc mundo mortale genus & in hoc genere me atqve te à Deo eſſe creatum. Pone in Deo virtutem &

vim cuncta pro lubitu efficiendi, & Stagiritam hujus universi creationem, & Epicurum haud fortuitam atqve ex atomorum concursu, sed DEI manu brachioqve factam hominis fabricationem, & temetipsum ortus tui principium, cui pio ad gratitudinem devinciaris animo, facili operâ docebis. Tolle omnipotentiam Divinam, & Christum, Filium DEI, factum esse hominem, & hunc DEUM à virgine genitum, subqve jugum innumerabilium calamitatum missum, in contemptissimâ carne ineffabile peregisse redemptionis opus, deniqve hunc hominem suamet virtute ex tanta miseria & morte ipsa eluctantem, toti orbi singulisqve creaturis imperatum, ad cœlum dextramqve cœlestis Patris ascendisse, acerrimè negabis. Pone omnipotentiam Divinam, & hoc mysterium de manifestato in carne DEO, de crucifixo vitæ Duce & auctore, de perrumpente supremos etiam cœlos Heroë, De Homine, non Imperii Romani, sed terræ universæ, non terræ, sed orbis, cœlum pariter & terram & infernum complectentis, Domino & Imperatore, non credes duntaxat, sed affectu pio, sed devotione reverenti, sed admiratione religiosa adorabis. Finge apud animum tuum, Deum omnipotentem non esse, qvo pacto per stolidam alicujus mirabilis verbi prædicationem ingentem hominum sanctissimo nexu coiisse rempublicam, eandemqve instructam admirando humanæ rationi dono, de vitio-

rum

tiorum & scelerum nefandorum absqve ullo precio remissione, cum ad vitæ innocentem in hoc seculo sanctimoniam grassari, tum ad delicias in altera vita interminabiles & nunqvam intermorituram beatitudinem tendere, animo tuo, cui paradoxa sunt hæc singula, persuaseris? Crede verò, Deum omnipotentem esse, & hæc singula credideris.

II. Gravissimæ igitur causæ fuerint, necesse est, cur in solenni fidei professione OMNIPOTENTIAM Divinam, tanqvam fundamentum toti cæterorum articulorum ædificio substruxerit Ecclesia, cum nec sine ista generari in pectore fides, & cum illa facile effici possit. Nec minor certè causa est, cur hodie in tanta abs se invicem dissentientium multitudine, ad integram illibatamqve conservandam ejus veritatem omni studio incumbamus. Sunt hodie, qvi cum verbis omnipotentiæ Divinæ amplitudinem prædicant, sententiis ita constringunt, ut ex DEO veluti potentem qvandam creaturam faciant, utpote Regem, vel Magum aliqvem, qvalem superiori ætate ea illicitis artibus præstitisse historiæ produnt, qvalia hic talis DEUS neqvaqvam, etsi vellet, posset. Alii contradicendi & contendendi studio, ut fieri solet, in extremum alterum lapsi, dum sibi latissimum aperire potentiæ Divinæ campum visi

visi sunt, ex Deo, qvod ægrè dico, ἄλογόν τι ζῶον, Numen qvoddam, non tantum sine ratione, nec supra rationem, sed contra rationem agens reddiderunt, ea qvoqve posse Deum facere adseverantes, qvæ fieri non possunt, parum abest, qvin dixerint, id qvoqve posse Deum, ut nihil possit. Qvos verò hæc similiaqve opinionum portenta proseminare in omnem eruditionem errores possint, nemo est, qvin ex solâ recensione subolfaciat & animadvertat. Qvare studium nostrum, in considerando hoc argumento occupatum, his ita prælibatis, nemini improbatum iri confidimus.

III. Ut verò intra brevitatis nos, qvantum fieri potest, terminos contineamus, primò dicendum est, potentiam omnem esse vel activam, qva qvid aptum est ad aliqvid efficiendum, vel passivam, qva qvid aptum est ad aliqvid recipiendum. Cum vero potentia passiva omnis naturali inclinatione ab activa perficiatur, adeoqve in se, ut patet, imperfecta sit, igitur in complexu omnipotentiæ Divinæ, qvæ, qvia cum Deo realiter idem est, merissimus actus est, prorsus removetur & qvæstio remanet hæc: qvodnam sit potentiæ Dei activæ objectum.

IV. Præclarè Ludov. Vives, vir doctissimus, lib. I. de Verit. Relig. Christian. p. 81. *DEI*, inqvit, *omnipotentia in eo sita est, non ut patiatur, qvod nolit, sed ut efficiat, qvod velit. Neq; enim corpus esse potest, aut moveri, cædi, dolere augeri, minui,*

nu, delassari, oblivisci, cogi, vim pati, vinci, interire. Non sunt hæc potentiæ, sed imbecillitatis, qvippe nihil horum pateremur nos, si possemus. Sæpe qvidem in sacris Deo pasiones attribuuntur, si Grammaticam constructionem spectemus, utpote cum cognosci, coli & amari, aut odio etiam haberi, contemni & blasphemari dicitur, qvæ tamen singula, si Logicum dictorum sensum attendamus, per extrinsecam tantum denominationem, qvæ nihil pasionis intra DEUM ipsum ponat, de DEO prædicantur. Neqve etiam, cum aut Filius DEI factus esse caro dicitur, carnem humanam intra Filii Deitatem receptam ita esse putandum est, ut Divinitas per internam sui mutationem passa qvidqvam fuerit, sed citra omnem mutationem agendo, *assumendoqve* isthoc factum esse, Sacræ Literæ produnt, Hebr. II. 16. Neqve etiam, cum Deus propriè & sine ullo tropo passus esse dicitur, pasio intra Deitatem potius qvam carnem Deitati personaliter unitam reflectenda est, cum Deo propriè patiente Divinitas illæsa & ἀπαθὴς perpetuò manserit & Deus qvidem passus sit, sed ἐν σαρκὶ, *in carne*; 1 Petr. III, 18.

V. Agunt autem de isthoc problemate Primæ Philisophiæ Doctores duplici loco; in parte Metaphysices generali, ubi potentiam distribuunt in ordinatam & absolutam, eandemqve partim creaturis partim Deo adplicant; & in parte speciali, qvæ â particulari objecto Pneumatica vocatur. Vendicantqve ejus-

ejusdem sibi decisionem Theologi, hoc majori jure, qvo eminentiorem Dei potentiam à revelatione qvam Philosophis vident passim prædicari.

VI. Potentia activa vel libera est vel naturalis. Illa in agendo indifferens est ad utrumlibet oppositorum, potestqve positis omnibus ad agendum reqvisitis agere & non agere, vel etiam diversa agere: hæc verò in agendo determinata est. Qvamqvam verò ad hanc referri possit ea DEI potentia, qva intra essentiam suam Filium ac æterno generavit, spiravitqve Spiritum Sanctum, cum eo in opere neqve volens neqve nolens, [qvo dilemmate veteres Ariani æternam Filii genituram impetebant) egerit, sed vi naturali: [est enim secundum *Damascenum*, libr. I. de O. F. cap. VIII. γέννησις ἔργον Φύσεως, κτίσις δὲ ἔργον θελήσεως] nihilominus isthæc in hac qvæstione non attenditur, sed potentia solummodo libera, qvippe qvæ, qvamprimum qvæstio proponitur, ab audiente exauditur. Qvare nec usu philosophico, nec consvetudine Scripturæ disceptari videas: an DEUS possit vivere? An intelligere? An se atqve essentiam suam amare? An personæ se invicem vel producere vel ab invicem possint procedere? atqve similes.

VII. Hæc libera DEI potentia, qvamqvam in DEO reipsa tantum una est, pro diverso tamen ad res extra sese existentes respectu, diver-

diversos admittit eosqve indæqvatos conceptus; estqve hæc libera DEI potentia vel absoluta vel ordinata. Ordinata est, *qvatenus accommodata & debita exeqvendæ alicui legi à DEO institutæ*, ut loqvitur *Fr. Fonseca*, IX. Met. I. Absoluta verò, qvæ ordinatæ opponitur, est, *qvatenus per eam facere potest omne id, qvod fieri contradictionem non implicat.* Si cum per verbum ab Ecclesiæ Ministris prædicatum Deus convertit homines, ordinatæ potentiæ argumentum est. Rom. I. v. 16. Cum verò verbo immediatè à se prolato, absolutæ. Act. IX, 6.

VIII. Sed nec absoluta potentia uno semper eodemqve modo accipitur. Eâ enim qvandoqve exclusivè notamus illam duntaxat potentiæ Divinæ, ut ita loqvar, partem, qvæ potentiæ intra certum ordinem agenti opponitur, ut cum Deus extra naturæ à se institutum ordinem ferrum in sublime natare facit: aliqvando verò inclusivè omnem divinæ potentiæ complexum, ordinatam simul ac absolutam includentem, qva ratione sub absolutam Dei potentiam cadit regimen mundi ordinarium, in qvantum illud cadit sub potentiam Dei non intra certos considerationis terminos, sed absolutè, spectatam. Qvâ ratione certè majori cum ἀκριβείᾳ, hæc universalis DEI potentia dicenda videretur potentia absolutè seu præcisè spectata, qvam potentia absoluta, qvæ vi vocis absolutia-

lutionem qvandam ab ordine vel lege vulgari consvetudine loqvendi notat, sed usu & hæc loqvendi forma invaluit.

IX. Deinde potentia ordinata & absoluta dicuntur vel respectu ordinis in natura constituti, qvem illa seqvitur, hæc vero excludit, qvâ ratione hactenus descripta fuit & communiter accipitur: vel respectu ordinis & harmoniæ inter reliqva attributa Divina. Sic absolutæ potentiæ est id, qvod potest Deus, non respiciendo cætera sua attributa, ordinatæ verò, qvod potest non nisi in ordine ad reliqva. Qvo pacto absolutè potest DEUS ad æternum exitium damnare totum genus humanum in peccato prolapsum, non potest ordinatè, respiciendo veritatem suam, qvâ velle se per Filium illud è peccato liberare promisit. Sic & posse Deum velle mala absolutè qvibusdam ex antiqvitate dicitur, in qvantum ex attributo potentiæ divinæ præcisè acceptæ nihil repugnat: non posse velle mala ordinatè, respiciendo justitiam & sanctitatem divinam. *Origenes* Comm. in Matth. Tr. XXXV. ad orationem Salvatoris: *si possibile est, transeat à me calix iste*, hæc annotat: *Qvod dicebat, si possibile est, non ad potentiam Dei referebat solam, sed etiam ad justitiam ejus, qvoniam in qvantum ad potentiam qvidem DEI, omnia possibilia sunt, sive justa sive injusta, qvantum autem ad justitiam ejus, qvi non solum potens est, sed etiam justus, non sunt omnia possibilia, sed ea sola, qvæ justa sunt.*

X. Sed

X. Sed fatendum est, hanc sic sumptam absolutam potentiam valdè ἀκύρως ita vocari. Sicut enim juxta Imperatorem in humanis etiam, qvæ pietati, qvæ honestati, qvæ bonis moribus adversa sunt, ea ne facere qvidem nos posse censendum est: ita multò minus in Deo, tanqvam perfectissimo ente, potentiam qvandam ejus, qvod cæteris attributis DEI repugnet, consistere posse aut considerari intelligitur. Apostolus certè non veretur dicere, Deum qvædam non posse, cum ait: *Si increduli sumus, ille fidelis est, negare seipsum non potest.* II. Timoth. II. 13. Qvare aut priora Origenis non sunt, sed ab interprete, ut sæpius factum, adjecta, aut semetipsum corrigit *Origenes*, dum III. contr. Cels. c. XXI. hunc in modum scribit: *Potest sanè Deus juxta nostram opinionem omnia, per qvorum omnipotentiam à Deitate sua, bonitate q; ac sapientiâ non excidit. At Celsus velut non intelligens, qvomodo dicatur Deus posse omnia; negat eum velle qvicqvam, qvod sit injustum, concedens, qvod Deus etiam possit injusta, nolit tamen. Nos dicimus, sicut, qvod nativam suam dulcedinem indit rebus etiam aliis, nullam potest amaram reddere, qvia hoc contra naturam suam faceret, neqve qvod natum est adres illustrandas, potest eas obscurare: ita nec Deus potest injustè facere; & qvæcunq; natura potest aliqvid injustè facere, potest id naturaliter, qvia facere injustè non est naturæ suæ contrariũ.* Petrus *Damianus*, Ep. ad Nic. Pap. allegatus à *Magdeburgens.* Cent. XI. c. IV. *Indubitabili fide credendum est, omnia*

posse Deum, sive faciat, sive non faciat. Et quod malum est, potius debet dici nihil, quam aliqvid. Atque ideò nihil præjudicat, si dicamus, Deum omnia posse, licet mala non possit. Quo sensu & Bœthius, lib. III. Consol. Philos. Pros. XII, *Deum, inqvit, esse omnium potentem nemo dubitaverit. Qvi quidem, inqvam, mente consistat, nullus prorsus ambigat. Qvi vero est inqvit, omnium potens, nihil est, qvod ille non possit. Nihil, inqvam. Num igitur Deus facere malum potest? Minimè, inqvam. Malum igitur, inqvit, nihil est, cum is facere illud non possit, qvi nihil non potest.*

XI. Malunt igitur nonnulli vitandæ ambiguitati ordinatam Dei potentiam adpellare ordinariam, absolutam verò ordinatæ contradistinctam extraordinariam. Hæc enim vi vocis ordinatam nunqvam, sicut absoluta, complectitur, ut ex se patet, neqve qvicqvam fieri potest per ordinatam Dei potentiam, qvin idem fiat per ordinariam, si ordo idem, vel particulariter vel universaliter constitutus, respiciatur, sicut contra Fonsecam docet *Dan. Stalius*, Philosophus Jenensis, Inst. Met. lib. I. c. VII.

XII. Hæc cum ita se habeant, nobis tamen hic de absoluta Dei potentia, inclusivè acceptâ, ut ordinatam complectitur, qvæstio est, qvæ uno vocabulo omnipotentia dicitur. Cum qva secundum rem idem est omnipotestas, græcis παντεξουσία Divina. Licet enim in creatis ita differant potentia physica, efficiendi aliqvid, & potestas moralis, agendi ex jure & honestate, ut separatim existere possint;

qvem-

qvemadmodum Rex legitimus qvidem, sed viribus & milite destitutus potestatem certè habet, puniendi rebelles atqve refractarios, magno numero se ei opponentes, non potentiam; tyrannus verò, qvi imperium injusto titulo per vim occupavit, potentiam, non potestatem: in Deo tamen, à qvo omnis longè abest turpitudo moralis, nonnisi conceptu distinguuntur, ut qvicqvid physicè agere potest, ejus agendi jus habeat & cujuscunqve agendi jus habet, ejus agendi virtute naturali qvoqve sit instructus.

XIII. Potentiam qvidem activam *Aristoteles* per principium motus, mutationisve in alio aut qvatenus alio, definiit; qvam definitionem ut ceu adæqvatam tuerentur Philosophi interpretes, ingentem passim dederunt operam. Ad declinandam autem omnem difficultatem ex hodiernis Doctoribus pleriqve substituunt hanc: *potentia activa est id, qvo aliqvid aptum est producere aliud*, & hoc τὸ: *aliud*, non per qvodlibet ab alio distinctum, sed per illud duntaxat interpretantur, qvod habet essentiam ab alterius essentia, si non specie, saltem numero diversam. Sunt, qvi hanc, ut rotundiorem, proponunt: *est ratio, qua qvid aptum est aliquem effectum producere*; sive, *est principium formale & proximum, quod continet effectum, eumq; potest producere*. Numericam enim illius, qvod à potentiâ activâ producitur, ab ipsa potentiâ differentiam solâ effectus pronunciatione ex-

primi, exse intelligitur. Qvare potentia Dei principium erit in Deo exeqvendi efficiendiqve aliqvid, adeoqve ab objecto ejus exulabit omne id, qvod dum fieri concipitur, ab eo, qvi id efficit, realiter non est distinctum. Sic qvando Deus mori posse fingitur, nec in mortem Dei ferretur aliqva actio, nec mors Deo illata, inqve illum intrinsecè terminata, realiter esset à Deo diversa. Qvicqvid enim in Deo est, ipse Deus est, ob summam Dei simplicitatem.

XIV. Objectum autem adæqvatum exprimit vox adjectiva: *omnis*. Neqve enim illa ad potentiam referenda est hoc sensu, ac si *omnipotentia* esset *omnis potentia* & qvasi in Deum caderet omnis potentia, qvod de activâ pariter & passivâ falsum esse exemplis constat; sicut nec τὸ *omnis* in voce *omnipræsentiæ* præsentiæ omnes species, sed locos omnes, qvos præsentia respicit, notat: sed ad objectum potentiæ Divinæ, ut omnipotentia dicatur, qvia ad omnia sese extendit. *Omnipotens ab eo dicitur, qvod omnium teneat potentatum*, ait in Expos. Symb. Ap. *Cyprianus*. Id verò qvomodo intelligendum sit, ex posteà dicendis apparebit.

XV. Posse Deum omnia, sive, qvod idem est, esse omnipotentem, constat partim ex revelatione, partim ex naturâ. Illa docet, *coram oculis Divinis non impossibile esse ullum verbum*, hoc est, phrasi loqvendi hebræâ, rem ullam, Zach. IIX, 6. Luc. I, 37. Hæc vero duplex suppeditat

tat argumentum, alterum à priori: cum enim Deus sit spiritus, eundem potentem esse, & cum sit infinitus, infiniti-potentem esse necesse est; at verò in infinitum posse est omnia posse. Quo sensu *Chrysostomus*, Homil. II. in Symb. Apost. *omnipotens Deus dicitur*, ait, *quia posse ipsius non potest invenire non posse.* Alterum à posteriori. Qui enim hoc universum ex nihilo creavit, eum potentia omnia efficiendi præditum esse oportet. Patet consequentia, quia inter nihil & ens creatum infinita est distantia, neque quicquam cogitari aut concipi potest, quod à sui existentiâ longius distet, adeoque ad sui productionem majori indigeat virtute, quam hic olim mundus abfuit à se, cum mundus nondum esset. Si igitur infinita inter ens & non ens distantia non prohibuit olim, quin ex non-mundo prodire nihilominus potuerit mundus, neque in ulla alia re, quantumlibet eadem reperiatur, distantia prohibebit. At non prohibuisse olim ex naturâ constat, teste Apostolo. Rom. I, 20. Ludovicus Vives, lib. I. de Verit. Fid. p. 80. hoc utitur argumento: *Est Deus omnipotens, ut omnia, quæcunque collibitum sit, possit perficere. Nam si non efficeret, in eo esset impedimentum, aut in rebus. Ipse quidem sibi non repugnat, qui simplex est ubique sui similis, neque ex rebus conflatur vel adversis vel diversis. Porrò si est in entibus resistentia, aliquid foret ei par, quod nefas est cogitare, neq; esset maximus & supremus omnium. Quid, quod in rebus omnibus resistentiæ causa & ratio hinc*

oritur, qvia contra naturam suam aliqvid patiuntur. At qvalem DEUS qvamqve rem jubet esse & vult, ea est cujusqve rei natura, vis proprietas. Neqve enim aliud est natura. Qvicqvid ergo is in re qvapiam vult fieri, id fit secundum rei ipsius naturam, non qvidem juxta hanc consuetam ordinariam, sed secundum extraordinariam naturam, tamen non ergo violentè, nec adhibitâ ullâ resistentiâ.

XVI. Diluenda hic nobis sunt duo in contrarium argumenta. Qvorum prius est, potentiam DEI infinitam dici non posse, qvia infinitum non possit producere effectum, at verò ex effectu de potentia judicandum esse videri. Posterius verò, DEUM res qvaslibet meliores reddere non posse, at verò hoc manifestæ impotentiæ argumentum esse. Respondetur ad prius, dici potentiam DEI infinitam, non respectu effectus infiniti, qvi in terminis contradictionem involvit, sed partim respectu agentis, cujus infinita essentia cum ejusdem potentia realiter idem est, partim ratione objecti, in qvantum ad infinita objecta sese extendit. Jam verò ex utroqve potentiæ infinitatem æstimari posse. Ad posterius, non qvidem videri, posse DEUM res qvaslibet reddere secundum essentiam meliores, cum secundum *Aristotelem* ita se habeant essentiæ rerum seu additio differentiæ substantialis in definitionibus, sicut se habet additio unitatis in numeris, jam autem qva-

terna-

ternarius numerus unius additione non perficitur, sed destruitur ; præterea res omnes *valde bonas*, h. e. phrasi sacrâ, optimas, [optimo autem melius non est :] DEUS creavit. Gen. I. 31. Et tandem, aut relinqveretur eadem essentia : ergo non redderetur secundum se melior ; aut non relinqveretur : ergò periret potius essentia, qvam ut melior fieret ; at verò hinc nullam prorsus conseqvi impotentiam, qvia partim ut inferius dicemus, impotentiæ argumentum esset, ad impossibilia sese extendere, partim DEUS res omnes secundum qvalitates & accidentia in infinitum potest reddere meliores.

XVII. Dices : effectum non esse deteriorem suâ causâ : necesse igitur esse, ut effectus Divini, cum Deus infinitus sit, & ipsi sint infiniti. Respondetur : Deum esse causam effectuum suorum æqvivocam, atqve eo ipso effectus non posse esse tales, qvalis est ipse, nempe infinitos. Neqve etiam ullius rei fieri sine contradictione potest, ut Deus sit causa univoca. Per Deum enim intelligimus ens primum atqꝫ independens. Qvod autem est factum id neqve primum est neqve independens, sed participatum & dependens. Si ergo Deus faceret infinitum, alium faceret Deum, sibi univocè similem, qvi tamen esset factus, atqve à faciente dependeret, id est, Deum non Deum, qvod in terminis involvit. Atqve inde in Symbolis Filius atqve Spiritus S. dicuntur ; *non facti*,

qvia scilicet factum esse per se repugnat Deiati. Chr. Scheiblerus, lib. II. Met. c. III. n. 578. *Facere*, inqvit, *rem sibi similem, est perfectionis in rebus creatis. Deo autem id tribui non potest, propter eminentiam essentiæ & infinitatem, qvæ in Deo postulant unitatem numeralem.*

XIIX. Dices porrò: Si Deus, qvicqvid producit, ex infinita virtute agendo producit, tum non potest facere qvicqvam melius, qvam fecit. Non enim in infinito ulli possunt esse gradus, aut remissio vel intensio. Sed facile respondetur, vocem *melius* ambiguitate laborare, qvâ evolutâ ultrò corruere argumentum, statim apparebit. Nam vel modum notat ex parte facientis, qvod est, si adverbialiter accipiatur, qvâ ratione Deus, qvi modo semper optimo atqve perfectissimo agit, melius qvid facere non potest; ageret enim tum optimè & non optimè, qvod sibi repugnat: vel objectum notat & rem meliorem, qvod est nominaliter accipere vocem. Qvo pacto sive intra rem eandem sistendo sive comparando ad aliam Deum res qvaslibet, [excipiunt tamen nonnulli humanam in Christo naturam, qvæ ex unione cum Divina omnes in se perfectiones accepit] posse meliores facere, nihil implicat. Sic enim Deus hominem primævum non tantum in originali justitia creare, sed etiam confirmationis dono illicò eundem potuisset instruere, imò perspicaciorem, qvam

dedit,

dedit', ei dare intellectum, acutiorem visum & qvæ sunt ejusmodi. Neqve tamen, qvod non dedit, invidus redditur. Fecit enim, qvicqvid fecit, liberrimè, optimè, sapientissimè. *Potest Deus*, ait Scaliger, Exerc. CCXLIX. Sect. III. *res aliter facere, qvia in summâ potestate minor qvoqve comprehenditur potestas. Ex immensitate potentiæ potest. At ex summa bonitate, qvæ est potentiæ regula, neqve à potentiæ essentiâ diversa, (est enim DEUS & DEI omnia unum, atqve unus DEUS suiipsius & principium & finis, sine tamen & principio & fine ullo, non enim extra se egredi potest) non vult minus posse, qvam benè posse.*

XIX. Dices deniqve, si Deus res qvaslibet in infinitum possit reddere meliores, tum progressum dari in infinitum, qvod absurdum. Respondeo verbis Chr. Scheibleri, lib. II. Metaph. c. III. de Deo, n. 602. *Hac in re processum dari in infinitum, non est absurdum. Nam in hoc consistit etiam infinitas potentiæ Divinæ, qvod illa non habet fines, ultra qvos progredi non possit. Siqve istos haberet, jam non infinitæ esset, sed finita. Ergò in ea cum finitus non sit processus, relinqvitur, qvod in eâ esse possit processus in infinitum. Loqvor de illa infinitate, qvæ non sit in esse illius, qvod ultimò sit producibile, qvasi DEUS tandem producere possit rem infinitam, (hoc enim repugnat) sed qvod in*

numero producibilium non sit aliqvid ultimum, ultra quod non possit DEUS producere aliud, quod melius quidem sit priori, sed tamen è sphærâ entium finitorum. Adeò nempe inexhaustam dicimus infinitam DEI potentiam, ut qualibet reproducta, possit aliam eâ meliorem facere. Et patet in simili de processu in multitudine & magnitudine. Nullus enim numerus dari potest, quo DEUS non possit majorem dare; nullum corpus datur, quo DEUS non possit facere majus.

XX. Evidens igitur est, DEO competere omnipotentiam, atqve adeò evidens, ut non facile negaverint devii de cœtero à veritate gentiles. Qvamqvam enim, qvâ ratione eandem per alia sibi propria dogmata læserint, subinde tradant veteris Ecclesiæ Doctores, id tamen per consequentias potius, qvam disertis adsertionibus factum esse indubitatum est. Sicut & hæretici, potentiæ Divinæ objectum vel restringentes nimis vel nimis relaxantes sub eandem ab ipsis censuram vocantur. Qvâ de re κατηχούμενον suum data opera instruit *Cyrillus Hieros.* Cat. VIII. Nam qvod à *Plinio* libr. II. Histor. Nat. c. VII. qvædam impotentiæ Divinæ producuntur exempla, existimo, oratoriè magis & ad Theologiam gentilium politicam respiciendo, qvam verè ex animo & philosophicè fieri: *imperfectè*, inqvit, *in homine naturæ præcipua solatia, ne DEUM qvidem omnia posse. Nam neqve sibi potest mortem consciscere, si velit,*

qvod

qvod dedit homini optimum in tantis vitæ malis, nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere, ut qvi vixit, non vixerit, qvi honores gesſit, non geſſerit, nullumq; habere in præterita jus, præterqvam oblivionis, atq; ut bis dena viginti non ſint. Præterqvam enim qvod qvædam in his exempla potentiam Dei neqvaqvam excedunt, impotentiæ potius, qvam virtutis, argumenta eſſe, primore intuitu qvilibet facile deprehendit. Præclarè *Auguſtinus*, ad Marcell. V. de Civ. D. c. X. *Neqve enim & vitam DEI & præſcientiam DEI ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus, neceſſe eſſe, Deum ſemper vivere & cuncta præſcire: ſicut nec poteſtas ejus minuitur, cum dicitur mori falliqve non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, ut potius, ſi poſſet, minoris eſſet utiqve poteſtatis. Rectè qvippe omnipotens dicitur, qvi tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens, faciendo, quod vult, non patiendo, quod non vult. Quodſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.* Ad hæc eximii Patris verba eruditiſſimus *L. Vives* ſic annotat: *Quo magis miror, Plinium ſecundum, hominem ingenio & eruditione tantum, ſic contra omnipotentiam DEI cavillari, ne DEUM quidem poſſe omnia. Deceperant eum videlicet fabulæ, quæ Plutonem dilatâ morte mœrere faciunt, ſicut Lucanus inquit:*

Et rector terræ, quem longa in ſecula torquet
Mores dilata DEUM.

XXI. Cæterum, qvi è Paganis, DEUM non poſſe facere adſeruerunt, ut res factæ infectæ

fectæ fiant, velut Agatho, dilaudante Aristotele, lib. VI. Ethic. Nic. c. II. μόνῳ γὰρ αὐτῷ τῷ θεὸς στερίσκεται, ἀγέννητα ποιεῖν ὅσα ἂν ἡ πεπραγμένα, & Plutarchus, Conf. ad Apol. f. f. τό μὲν γὰρ γεγενημένον ἄδε θεὸς δυνατός ἐστι ποιεῖν ἀγέννητον; atq; illi, qvos ad superiorem Plinii locum Jacobus Dalechampius adduxit, Theognis, Sophocles, Seneca, Horatius, alii; non tam omnipotentiam Dei in dubium vocare, qvam circumscribere limitibus humanos conceptus, in designando omnipotentiæ objecto errantes voluerunt, sicut uberius ex iis constabit, qvæ postea dicturi sumus. Nam de cætero nec Gentiles Potentiæ Divinæ qvicqvam subtraxisse, productis eorundem testimoniis luculenter probat Clemens Alexandrinus, lib. V. Strom. pag. 435. *Rursus*, inqvit, *DEO omnipotentiam in omnibus tribuunt, etiam qvi apud Græcos sunt eruditissimi. Epicharmus qvidem, (erat autem Pythagoreus) dicens:*

Nil DEum potest latere, scire de hoc qvidem decet,
Ille noster est inspector: cuncta nam potest DEus.

Vates autem Lyricus: Potest autem Deus ex nigra nocte lucem emittere intemeratam; atris autem tenebris tegere purum diei jubar. Qvi solus, inqvit, potest, cum est dies, noctem facere, is est DEUS. Et Aratus in iis, qvæ inscribuntur Phænomena:

A Jove principium, assiduis qvem laudibus omnes
Concelebrant homines, fora sunt Jovis omnia plena,
Compita cum pagis, omnes & cum æqvore portus,
Utimur & cunctis Jove nos ex partibus omnes.

Deinde infert:

Nam

Nam genus illius sumus, isque & numine dexter
Dextera significat, pigrasque admuniagentes
Excitat, in cœlis namque ipse hæc signa locavit,
Astra & distinguens, claris annumque coronans
Stellis, queis homini certissima signa darentur
Horarum, ut stabili procedant omnia cursu.

Eodem libro, p. 443. Orpheum huncin modum introducit loqventem:

Ipse autem in magno constans & firmus olympo est.
Aureus huic thronus est, pedibus subjecta que terra,
Oceani ad fines illi portenditur ingens
Dextera, montanas atque intus concutit illi
Ira bases, motus nec possunt ferre valentes,
Ipse est in cœlis & terram amplectitur omnem.
Principium solus, mediumque est atque supremum.
Non aliter fas est te dicere, membra tremiscunt,
Cogito dum summum.

Et quæ deinceps sequuntur. Et rursus:

Ætheris atque Erebi ponti terræque tyrannus
Terribili tonitru quassas vasta atria cœli.
Dæmones & quem horrent, timet & quem turba Deorum,
Cui pareat Parcæ, quamvis nil mitiget illas,
Exitii expers, Matripater, volvantur abirâ
Cujus cuncta, movet ventos, qui atq; omnia nymbis
Contegis, atq; secas latum æthera fulmine. In astris
Perpetuus tuus est ordo, præcepta sequendo
Candentique tuæ sedi permulta laborans
Adstant Angelicus populus, queis maxima curæ
Mandata est hominum. Producit ver tibi flores
Purpureos veniens, à te quoque tristis hiems est,

Nubi-

Nubibus adventans gelidis, qvas dividit uvis.
Deinde subjungit, apertè Deum appellans omnipotentem:
Exitii expertem, immortalem: dicere solum
Qvem possunt, qvibus est innatum morte carere.
Maxime Divorum, fato comitatus adesto,
Magnus & expers interitus, qvi es ab æthere cinctus.

XV. Ex his patet, potentiæ DEI facientis objectum esse omnia seu res omnes. Qvod ut rectius intelligatur, notandum est, cuilibet facultati ἐνεργητικῇ seu operatrici in specie competere objectum, in qvod fertur & modum, qvo in illud fertur. Ex. gr. Facultas visiva pro objecto habet corpus coloratum, in qvod fertur, respiciendo speciem illius sensibilem in oculum; intellectus circa idem versatur corpus, recipiendo speciem illius intelligibilem in animum. Ponatur oculus omnia videns, is tamen nunqvam videbit id, qvod in corpore aut sapidum est, aut svaveolentum. Sic nec intellectus omnia intelligens rem ullam percipiet videndo aut gustando. Pari ratione omnipotentiæ respondet & objectum, qvod sunt res omnes, & modus, qvo in illud fertur, qvi in faciendo consistit. Qvicqvid igitur actioni simpliciter adversatur, seu qvod idem est, ut per actionem fiat aut producatur, contradictionem implicat, ceu v. c. facere DEUM, id est, facere independens, qvod tamen à faciente dependeat, id sub obje-

objectum omnipotentiæ cadere tam impossibile est, qvam imposſibile est, visum gustare, gustumqve videre, qvia gustandi actus visui & videndi actus gustui sua natura adversatur & seinvicem ista perimunt atqve tollunt. Ut igitur potentia videndi pro objecto habet visibile, auditus audibile, intellectus intelligibile: ita potentia simpliciter, possibile, h.e. ut ex natura relatorum irrefragabiliter infertur, id qvod fieri potest, seu, qvod ut fiat, contradictionem nullam involvit. Hoc ut innuerent Scholastici qvidam, objectum potentiæ divinæ non dixerunt esse illud, qvod non includit contradictionem, sed qvod non includit contradictionem fieri.

XXIII. Diximus, qvamlibet potentiam ex objecto suo æstimari. Ex qvo patet, qvid respondendum sit ad argumentum: Qvicqvid à scientia divina exceditur, id non est infinitum. At exceditur omnipotentia, cum plura utpote mala, sciat DEUS, qvæ facere non potest. Ergò. Qvamqvam enim scientia ad extra & ratione numeri objectorum plura habeat, ad qvæ refertur, potentiæ tamen intra sese nihil deest eorum, qvæ posse ulla activa potentia aut potest aut debet. Jam vero secundum se cujuslibet rei perfectio æstimatur.

XXIV. Igitur sub objectum potentiæ Divinæ cadunt res omnes, in qvantum, ut efficiantur, possibiles. Qvod alii sic enunciant,

ciant, objectum potentiæ Divinæ, non esse res possibiles, in qvantum possibile opponitur impossibili, qvâ ratione & DEUS in possibilium numero continetur, sed ut possibile opponitur necessario, idemqve est ac id, qvod esse & non esse potest. Hoc autem posibile iterum duplici ratione dicitur, primò simpliciter, qvod fieri nullam importat contradictionem, ut mundos plures esse, discurrere per collectionem à notiori ad ignotius, hoc est, ratiocinari, sedere, ambulare, &c. Deinde cum adposito, qvod possibile est huic vel illi, in hoc vel illo statu, natura aut conditione considerato. Sic eruditum esse, disertè loqvi, homini possibile est, non bestiæ, volare suismet pennis avi, non homini. Qvodnam autem ex his posibile divinæ potentiæ objectum constituat, haud citra omnem dubitationem dici posse videtur.

XXV. Qvi negant, Deum omnipotentem dici ex eo, qvia possit omnia simpliciter, isthac ducuntur ratione, qvoniam multa possibilia sunt absolutè, qvæ tamen Deus neqvaqvam potest. Posibile est, edere, bibere, ambulare, informare materiam & si qvid his simile est; qvæ tamen singula naturæ Divinæ, qvæ Spiritus est & actiones illas, materiæ intimè immersas, neqve recipit neqve exerit, ut ex se patet, repugnant. Qvi verò DEUM omnipotentem esse propterea inficiantur, qvia possit omnia vel creaturæ vel sibi & naturæ

suæ

suæ possibilia, hanc causam allegant; qvia priori modo potentia Dei ad longè plura & majora se extendit, qvam ulla creaturarum potentia; posteriori autem modo tum circulus committeretur in exponendâ omnipotentiæ natura, tum qvia sic & creatura posset dici omnipotens, qvia & creatura potest omnia, qvæ suæ potentiæ sunt possibilia.

XXVI. Sed verò utriqve negantium parti, qvod responderi possit, sententiæ utriusqꝫ adsertori non defuturum est. Nam qvod priorem attinet, accuratissimus nostri temporis Philosophus *Dan. Stalius*, ita respondet: *Consequens intelligi potest dupliciter. 1. Ut verbum posse latissimè accipitur & qvamvis potentiam etiam passivam denotat. Sic accipitur, cum dicitur, aqvam posse calefieri. Et hoc modo non sumitur, cum Deus dicitur omnipotens & omnia posse. Et hac ratione etiam conceditur totum argumentum. 2. Ut verbum posse importat meram potentiam activam, exclusâ omni passione. Et hoc modo negatur consequentia, qvia posse ambulare, edere, bibere, important potentiam passivam in iis, qvæ denominant. Sunt enim qvidam motus. At id, qvod movetur, patitur & aliqvid in se recipit. Informare materiam licet non sit actus potentiæ passivæ, tamen non est etiam actus potentiæ activæ, qvia est actus formæ & competit causæ formali, qvatenus causa formalis est. Atqꝫ causa formalis, qvatenus talis, non agit; alias causa formalis, qvatenus talis, esset agens seu causa efficiens. Et sic causarum genera non essent distincta & impermixta: qvâ de re fusius in*

doctrina causarum. Hæc ille. Scholasticorum princeps *Petrus Lombardus*, Dist. XLII. hanc suggerit responsionem: *Respondendum arbitror, qvod hujusmodi actiones, ambulatio sc. & locutio & hujusmodi à DEI potentiâ aliena non sunt, sed ad ipsam pertinent. Licet enim hujusmodi actiones in se DEUS habere non possit, (non enim potest vel ambulare vel loqvi & hujusmodi) eas tamen in creaturis potest operari. Facit enim, ut homo ambulet & loqvatur & hujusmodi. Non ergo per istas actiones detrahitur Divinæ potentiæ aliqvid, qvia & hoc potest facere omnipotens.*

XXVII. Qvod verò concernit sententiam posteriorem, indubitatum qvidem est, DEUM non tantum posse, qvæcunqve ullæ possunt creaturæ, sed longè plura posse, (potest enim creare mundum, homines, bestias & infinita talia, qvod nulla potest creatura:) adeoqve accuratè loqvendo exinde omnipotentem non dici: at verò non statim circulus commmittitur, qvando potentiæ DEI objectum dicitur esse posſibili DEO, opponendo illud posſibili creaturæ. Tum enim sensus hic est, DEUM non tantum posse ea, qvæ ex suæ naturæ viribus possunt creaturæ, qvarum potentiam eminenter includit DEus, sed qvæ ex Divinis viribus DEus. Qvantò igitur perfectior est natura Divina humanâ, tanto etiam perfectior est potentia Divina viribus humanis. Cum autem infinities perfectior sit homine DEus, infinitis etiam modis DEUS huma-

humanam potentiam transcendit. Sicut in simili diceres: hominem non tantum gaudere facultatibus iis, qvibus pollet bestia, cujus præstantias, ut animal includit, sed illis etiam, qvæ homini competunt, in qvantum naturalibus virtutibus præ bestiâ excellit. Qvod adeò verum est, ut eam loqvendi formam non refugiat, is, qvem diximus, eruditissimus *Statius*, qvi de cætero hanc sententiam refellit: *unde licet*, inqvit, *ambulare, edere, bibere, informare materiam sint possibilia, tamen non sunt DEO possibilia, sed contradictionem implicant, cum DEus pati non possit.* Igitur id, qvod possibile est DEO, vel confuse sumitur, qvâ ratione omnipotentiæ objectum non exprimit, cum qværenti, qvænam possit DEus? frustra respondeatur: ea, qvæ DEO sunt possibilia, cum ita obscurum per æqvè obscurum exponatur: vel distinctè, prout termini isti cum ἐμφάσει & virtute sensus in istis latentis exaudiuntur, qvâ ratione illam loqvendi formam sine ullo vitio omnipotentiæ Divinæ objectum enunciare, dicere non refugimus.

XXVIII. Deinde illa consequentia: Si DEUS ideò est omnipotens, qvia potest ea, qvæ sunt DEO possibilia, ergo & creatura est omnipotens, qvia potest ea, qvæ creaturæ sunt possibilia: ideo non procedit, qvia diversitatis rationem ipsimet in se termini includunt. Qvinimò hanc ipsam ob causam contrarium necessariò sequitur: Si DEus ideò est omnipotens,

qvia potest ea, qvæ sunt Deo, enti infinito, adeoqve in infinitum potenti, possibilia: ergo creatura non est omnipotens, qvia tantum potest ea, qvæ creaturæ, enti finito, adeoqve in finitum potenti, sunt possibilia. Qvamqvam non diffiteamur, in explicando omnipotentiæ objecto, tam istam qvam hanc locutionem non ex omni parte satisfacere curioso indagatori, sed paulò amplius & ad priorem etiam sententiam progrediendum esse.

XXIX. In qvâ nihilominus qvoddam sententiarum invenias divortium. Qvidam enim in eo acqviescunt, ut dicant, omne id cadere sub potentiam Divinam activam, seu, qvod idem est, omne id Deum facere posse extra se, qvod, ut fiat, contradictionem nullam involvit. Alii autem, qvibus laxari nimis hac descriptione videtur omnipotentiæ objectum, hac ratione limitant atqve constringunt, ut omnia posse Deum asserant, qvæ neqve contradictionem ullam neqve imperfectionem important. Qvos inter est Chilonensis hodie Academiæ Doctor, *Petr. Musæus*. Qvæ tamen sententiæ rectè intellectæ, nisi fallor, diversæ non sunt & conciliari facile possunt, terminum contradictionis in adjecto rectè exponendo.

XXX. Implicare contradictionem est terminos ponere in virtute sibi contradicentes, sive, ut contradictio in adjecto clarius exprimatur, terminum termino adjicere, qvorum

rum tamen alter alterum sua virtute tollat & destruat. Opponiturqve contradictioni formali, in qva termini sibi invicem, non qvoad virtutem in iis latentem, sed apertis, totidemqve verbis adversantur. Formalis contradictio est: DEUS potest creare mundum, Deus non potest creare mundum. Sed in adjecto contradicunt: Deus potest facere Deum. Qvia facere DEUM termini sunt, virtute semetipsos destruentes. Vox enim: Deus, in sese complectitur id, per qvod Deus formaliter Deus est, nempe independentiam, vox: facere autem dependentiam sua natura infert, dependere autem & non dependere contradictoria sunt. Jam verò qvæcunqve in DEO agente qvandam imperfectionem important, facile est ostendere contradictionem qvoqve in adjecto inferre. Cur enim edere, cur bibere, cur ambulare non potest DEUS? rectè qvidem respondetur, qvia hæc imperfectionem inferunt in eum, qvi edere, qvi bibere, qvi ambulare dicitur. At non minus rectè respondetur, qvia edere & bibere, id est, actiones edere nonnisi enti composito essentialiter competentes, ens omni modo simplicissimum, simpliciter repugnat, adeoqve in virtute verborum, hoc est, in adjecto contradictionem importat. Facile esset in aliis qvoqve exemplis veritatem hujus observationis ostendere, nisi res tota ampliore illustratione non indigeret.

XXXI. Patet ex hisce, objectum potentiæ Divinæ esse posſibile, posſibile verò esse, cujus termini nullam involvunt contradictionem. Qvod amplius ostendi potest ex conſeqventi absurdo, ſi DEus impossibilia posse ſtatuatur. Qvicqvid enim DEus facere potest, id potest fieri. Qvicqvid autem fieri potest, id est posſibile, qvippe qvod aliter definiri aut circumſcribi neqvit. Jam verò DEUS potest facere impossibile. Ergo impossibile fieri potest. Ergo deniqve impossibile erit posſibile, neqve ulla inter terminos hos in infinitum distantes erit differentia. Qvod grande absurdum, ut evitetur, dicendum est, posſibile tantum, non impossibile, cadere sub potentiam DEI. Innuit hanc absurditatem *Auguſtinus*, lib. XXVII. contr. Fauſt. Manich. c. V. cum ad argumentum: DEUS non potest facere, ut præterita non sint præterita, ergo omnipotens non est; hoc pacto respondet: *qvisqvis itaqve dicit, ſi omnipotens eſt DEUS, faciat, ut qvæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt hoc ſe dicere; ſi omnipotens eſt, faciat, ut ea, qvæ vera ſunt, ea ipſa, qva vera ſunt, falſa ſint.* Atqve in eundem ſenſum *Clem. Rom.* primum â Fr. Junio editus, Ep. I. ad Corinth. *nihil DEO impoſſibile eſt*, ait, *præterqvam mentiri.* Cum enim omnis contradictionis altera pars necessario sit falsa & latiori ſenſu mendacium, vetustissimus & Apostolis proximus Pater, dicendo: *impoſſibile eſt Deo mentiri*, nihil aliud exprimere voluit, qvam absurdum esse,

esse, Deo qvodvis mendacium vel falsum, seu qvod idem est, contradictorium adscribi.

XXXII. Qva tamen in re duo advertas, necesse est. 1. Non consequi exinde, qvod DEUS impossibilia non potest, omnipotentem non esse, ut olim ἀφιλοσοφώτατος collegit *Conr. Vorstius*; qvia nec omniscientia DEI lædi-tur, cum ad inscibilia, ut hoc termino utar, sese extendere negatur. II. Impossibilia dici vel absolutè, vel alicui, nimirum creaturæ. Cum negamus Deum impossibilia posse, priori modo sumimus vocem, non posteriori, qvippè qvo Deum impossibilia posse sacrarum literarum auctoritate edocemur: *apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Matth. XIX, 26. Qvo sensu & *Synesius*, Ep. XI. *DEO*, inqvit, *omnia sunt possibilia, etiam ea, qvæ sunt impossibilia*, sc. creaturæ.

XXXIII. Agnoverunt hanc rei possibilis descriptionem ipsi Gentiles. E qvibus supra produximus, qvi fieri nulla potentia posse adstruxerunt, ut res facta fiat infecta. Qvippe id duplici modo contradictionem importaret; ex parte potentiæ: Si enim DEUS facere potest, ut facta facta non sint, tum inpotens est, qvia non ita facere potest res, ut verè sint factæ; & ex parte veritatis Divinæ. Facta enim non esse facta veritati non consentit, sed eandem evertit. Eleganter Augustinus, libro VI. contra Faustum, cap. V. *Veram sententiam DEUS falsam facere non potest, qvia non*

est contrarius veritati. Eodemqve sensu Cyrillus Alexandrinus, libri contra Anthropomorphitas c. XIII. *DEUS*, inqvit, *eam, qvæ stuprum passa est, nunqvam facere potest, ut non stuprata fuerit, qvoniam non potest mendacium veritatem facere. Neq; verò imbecillitatis illud vitium est, sed naturæ probatio, nihil sustinentis, qvod ipsam dedeceat. Alienum autem penitus à DEO est mendacium. Porrò mendacium est efficere, ut qvæ stuprum passa sit, nunqvam sit passa.* Et Hieronymus: *cum DEUS omnia possit, non potest de corruptâ facere incorruptam.* Possumus tamen de re factâ vel præteritâ loqvi, vel in sensu composito, cum supponimus, eam factam esse vel in tempore præterito extitisse; qvâ ratione intelligendi sunt, qvi negant, rem factam vel præteritam infectam aut irritam reddi posse; vel in sensu diviso, cum de re præteritâ qvidem sermo est, sed præcisè, non in qvantum præterita, sed in qvantum res est; qvo pacto præterita, & facta utiqve talia sunt, ut DEUS, qvi liberrimum agens est, potuerit iis essentiam atqve existentiam in præterito conferre, vel non potuerit conferre. Qvæ enim nonnisi hypotheticam habent necessitatem, ea extra hypothesin libera sunt, & esse pariter atqve non esse possunt.

XXXIV. Porro Plato, adnotante Hug. Grotio, lib. III. de Jur. B. & P. c. I. §. XV. n. 1.

qvam

qvamqvam imperium habentibus & Medicis in publico officio constitutis, concedat aliqvando falsum dicere, *Deo tamen*, qvamqvam jus summum in homines habenti, *non convenire mendacium*, qvia infirmitatis nota sit ad talia confugere, agnoscit. Mendacium enim, uti & peccata cætera, itemqve mors, destructio & talia, in se defectus sunt, qvos implicat de ente omnium perfectissimo & optimo prædicari. Augustinus lib. XV. de Trinit. c. XV. *Magna Dei potentia est, non posse mentiri. Sunt enim qvædam, qvæ in aliis rebus potentiæ deputanda sunt, in aliis verò minimè. Non ergo ideò Deus minus potens est, qvia peccare non potest, cum omnipotens nullatenus esse possit, qvi hoc potest.* Et libr. I. de Symb. ad Catech. c. I. *Non ideò omnipotentiæ Dei in aliqvo detrahitur vel derogatur, si peccare non posse dicatur, qvia non esset hoc potentiæ, sed infirmitatis. Si enim hoc posset, omnipotens non esset. Non ergo impotentiæ, sed potentiæ imputandum est, qvod non potest peccare.* Atqve ante eundem Origenes, lib. V. contra Celsum, p. 246. *Fatemur. Deum non posse turpia, alioqvi Deus posset non esse Deus. Nam si turpe qvid facit, non est Deus.* Nonnulli qvidem Pontificii, qvamqvam Deum vel unqvam falsum dixisse vel etiam mentiri posse, per potentiam ordinariam, qvâ nempe ipse sibi legem statuit nunqvam mentiendi, negent, nihilominus tamen ausi sunt dicere, posse Deum de potentiâ absolutâ falsum dicere; utpote Gabriel Biel,

Petrus

Petr. de Aliaco, Holcot & Adamus, qvos recenset Fr. Suaretius, Disp. III. de Obj. Fid. Sect. V. §. 3. sed à cæteris majori numero & magno argumentorum robore refelluntur. Non malè ex iis qvidam: *Si qvoqvo modo*, inqvit, *DEus ad enunciationem falsi declinare posset, meritò dubitare poteramus, an eo ipso, qvod potentiam suam voluntariâ dicendi veri lege obligatam esse revelasse creditur, abusus fuerit absolutâ suâ potentiâ, ut extra lineas veritatis exorbitaret, orationemq; suam in falsi, ne dicam mendacii, salebras ac prærupta diverteret. Atq; ita convulsis authoritatis Divinæ fundamentis superstructam Scripturæ, fidei, religionis, pietatisq; Christianæ molem everti necesse est: falsum ex ipso totius veri fonte manabit, qvamvis, Apostolo teste, omne mendacium non est ex veritate; & qvamvis omnis perfectio simpliciter simplex, ut vocant, ita debeat esse in DEO numeris omnibus cumulatæ perfectionis absoluta ut major aut perfectior cogitari non possit, animo fingere poteris aliqvam veritatem, qvæ sit Divinâ veritate perfectior & ab omni falsitate remotior, eam videlicet, qvæ ne qvidē de potentiâ absolutâ possit ullo modo mentiri? Qvæ consectaria, cum ex illa persuasione nata sint, qvod nonnulli totũ mendacii virus ac malitiã putant, non ex naturæ fontib⁹ sed è voluntariis humani pacti ramulis redundare, consequentibus sublatis prima tolluntur.*

XXXV. Hæc eadem, nec alia, fuit vetustissimorum in Ecclesia Fatrum de omnipotentiæ Divinæ objecto sententia, qvamqvam simpliciorib⁹ terminis, cum φιλοσοφικὴ ista ἀκριβεια in Theologicis Scholis nondum obtinuisset, proposita. Qvid enim aliud est illud *Orig. Potest sanè DEus*

juxta

juxta nostram opinionem omnia, per quorum omnipotentiam à Deitate sua, bonitate q; ac sapientia non excidit? Chartæ parcendum est in allegandis cæteris. Si qvi coarctare videntur, æqvà interpretatione mitigandi sunt: *Aug.* l. de Symb. verba sunt: *Hoc solum non potest Deus, qvod non vult.* Cui consonant *Tertull.* adv. Prax. *Dei posse velle est & non posse, nolle.* Sed verò dum alio loco longe plura posse Deum, qvam velit, concedunt, τὸ velle de potentiâ potius volendi qvam actu intelligunt. Illustr. eam in rem est loc. *Hilar.* in Enarr. Ps. CXXXIV. *Soli Deo congruit*, inqvit, *omnia facere, qvæ velit. Sola enim perfecta virtus in nullo impeditur, qvo minus, qvod velit & faciat, & ei, ex qvo omnia sunt, nihil difficultatis occurrat. Inferioris ab eo naturæ est, ne totum, qvod velit & faciat. Dum enim alii se debet, caret omnipotentiæ virtute, qvia in idipsum, qvod subsistit, habeat alium auctorem. Et qvi non se sibi debet, non omnia potest, dum â potiore subsistit.* Et Aug. in Ench. c. XCV. *Deus multa potest, qvæ non vult, nihil autem vult, qvod non potest.* Atq; *Clem. Alexandr.* in Protrept. *Qvanta est*, inqvit, *Dei potentia? Ipsius Dei voluntas est mundi productio. Solus enim Deus fecit, qvoniã ipse qvoq; solus revera est Deus, solâ voluntate operatur & ejus solũ velle factũ esse consequitur.*

XXXVI. Qvæ ipsa tamen uberius exponenda sunt. Plura posse DEum, qvam qvæ vel actu fecit vel facere voluit, non potuit à tantis tamqve eruditis Ecclesiæ veteris Doctoribus in dubium vocari. Id enim totidem tantum non verbis asserit Sacra Scriptura. *An putas*, inqvit Christus *qvia non possum rogare patrem, ut exhibeat mihi plus*

qvam

qvam duodecim legiones angelorum? Matth. XXVI. 53. Poterat rogare Christus, nec tamen vel rogat vel vult rogare: poterat Deus legiones angelorum in auxilium Filio mittere, nec tamen vel mittit vel mittere vult. Ad qvem ipsum locum Augustinus, lib. I. de Spirit. & Lit. c. I. *Omnipotens voluntas multa potest facere, qvæ non vult, nec fecit. Potuit enim facere, ut Angelorum Legiones duodecim pugnarent contra illos, qvi Christum ceperunt.* Et prætera manifesta evincit ratio. Si enim Deus non posset facere, nisi qvæ facit aut vult facere, ejus certè potentia infinita non esset. Qvippe finiretur terminis & limitibus eorum, qvæ actu sunt facta, qvæqve voluit Deus, ut existerent; qvæ certè finita esse nemo ignorat. Nec deniqve libertas etiam Dei illæsa consisteret, de cujus ratione est, ut possit agere & non agere. Ergo si plura Deus producere non posset, qvam vel produxit, vel producere voluit, defectus in ipsâ voluntate Divina consisteret, qvæ ad hoc vel illud agendum determinata esset. Qvod verò libertatem, ut ex terminis patet, evertit. Necesse igitur est, ut illud antiqvorum Patrum dictum. *Dei posse velle ejus est*, æqva interpretatione mitigetur. Addimus autem supra à nobis adductis Jo. Chrysostomum, qvi in Hom. de Symb. *Ipse est*, inqvit, *omnipotens, qvia totum, qvod vult, potest.* & Augustinum, in Enchir. c. XCVI. *Non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi qvoniam, qvicqvid vult, potest efficere, nec voluntate cujus qvam*

jusqvam creaturæ voluntatis spiritualis impeditur effectus. Et libr. de Spir. & Lit. *Omnipotens est Deus, non qvod possit omnia facere, sed qvia, qvicqvid vult, potest efficere, ita ut ipsius voluntati nihil possit resistere.*

XXXVII. Qvare, I. jam antea diximus, τὸ: *velle* apud ipsos non tam de actu qvam de potentia exaudiendum esse, ut qvicqvid velle possit Deus, id simul possit efficere. Qva ratione tum identitas qvoad rem inter voluntatem & potentiam Dei describitur, tum à potentiâ Dei removetur ea infirmiras, qvæ hominis actionibus adhæresci, qvi ne millesinam qvidem eorum partem efficere potest, qvæ vult. Qvam in rem, vir doctissimus, Chr. Scheiblerus, lib. II. Metaph. c. III. n. 596. *Ad testimonia*, ait, *ex Patribus objecta respondeo, Augustinum sub omnibus, ad qvæ Dei omnipotentiam declarat, comprehendere etiam mala. Et in hac generalitate Dei omnipotentia non consistit in eo, qvod possit omnia promiscuè, sed qvod possit ea, qvæ voluntati suæ sunt consentanea. Postea cum idem Augustinus & Chrysostomus declarant Dei omnipotentiam per ejus voluntatẽ, loqvuntur de eâ inadæqvatè & intendum à Deo removere eam nostram imperfectionem, qvod nos multa volumus, qvæ tamẽ non possumus. Sicut milites volunt vincere hostes suos, quos tamen persæpe non possunt vincere. Hæc igitur est perfectio Divinæ potentiæ, adeoq; indicium omnipotentiæ, qvod Deus in posse suo non est ita diminutus, qvo minus possit illa omnia, qvæ vult.* II. τὸ: *posse* secundum

eun-

eundem Scheiblerum aliqvando notat potentiam, ut præcisam ab actu, qva ratione dormiens disputare potest, qvi habet facultatem differendi & actu tamen non differit; aliqvando verò connotat actum potentiæ. Qvo pacto homo, qvi actu loqvitur, loqvi potest. Priori eqvidem modo longè plura potest Deus, qvam vult, non item posteriori, qvippe qvi, cum de exercitio atqve executione potentiæ loqvatur, nunqvam fit, nisi voluntate imperante. Atqve hoc sensu rectè dicitur: qvicqvid Deus non vult, id nec potest. Id qvod amplius exemplis illustratur. Argumentabatur qvondam Praxeas: fieri posse per absolutam Dei potentiam, ut Pater & Filius sint una persona. Ergò esse unam personam. Ad qvod collectionis genus rectè regeritur: potentiam in Deo & actum tum demum coincidere, qvando potentia voluntati ejus copuletur; de cætero verò rectè contra eundem Tertullianus: *Planè nihil Deo difficile, sed sitam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, qvid vis de Deo confingere poterimus, qvasi fecerit, qvia facere potuerit.* Ita & Andradius qvondam arguebat: non est apud Deum impossibile ullum verbum: ergo credenda est transsubstantiatio, etsi naturæ vires ac modum & humanum captum longè superet. Cum enim Deus juxta Augustinum aliqvid facit, qvod nos investigare non possumus, ratio facti est potentia facientis. Cui verò rectè D. Chemnit. respondet, Part. II. Exam. Decr. Conc. Trid. de

Transs.

Transf. p. 272. *Non, qvia Deus omnipotens est, ideò qvicqvid nobis visum fuerit, sine verbi ipsius testimonio ipsi tribuere debemus. Tertullianus inqvit: Potuisset Deus hominem volatilem facere, sed non qvia potuit, ideò & fecit. Scriptura igitur tradit hanc regulam: omnia, qvæcunq; voluit, fecit. Voluntas autem Dei in rebus fidei ex verbo ipsius discenda & judicanda est. Et qvando de voluntate Dei ex verbo certo constat, tunt valet argumentum ab omnipotentia. Ideô significanter Angelus loquitur, cum affirmat, omne verbum, hoc est, quicquid in verbo patefacit, apud Deum non esse impossibile. Transsubstantiatio, igitur ex verbis Christi clarè probanda & ostendenda est, & tunc intellectum nostrum libenter Spiritu Sancto adjuvante, captivabimus in obsequium Christi. Sed illam probationem præstare non possunt. Frustra igitur de omnipotentia Dei concionantur.* Deniqve III. omnipotentiæ vocabulum vel absolutè capitur, pro eo, qvod vis ipsa atqve virtus vocis complectitur, pro aptitudine nempe omnia efficiendi, qvo sensu cum voluntate DEI aut effectis à sese productis idem non est: vel cum ἐμφάσει & connotatione effectus, seu pro omnipotentiâ in actum deductâ & in ipso sese opere externo demonstrante. Qvo sensu negandum non est, qvandoqve à veteris Ecclesiæ Doctoribus acceptam esse vocem, qvamqvam improprie atqve καταχρηστικῶς, veluti qvando Origenes, libro I. Periarch. scribit: *Quemadmodum pater non*

potest

potest esse qvis, si filius non sit, ne ǵ Dominus qvis esse potest sine possessione: ita ne omnipotens qvidem Deus dici potest, si non sint, in qvos exerceat potestatem, & ideò ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est. Qvam observationem suggerit vir excellentissimus, D. Balt. Bebelius, in Antiq. Eccles. Sec. III. Art. III. Sect. III. §. 19.

XXXIIX. Ex qvibus omnibus duo elicimus consectaria, qvorum prius est: *Deum non posse contradictoria*, seu, ut rectius loqvamur, qvæ contradictionem implicant. Hæc enim, qvæ fieri non possunt, posse, non est posse, sed non posse. Subjicio in hanc rem verba *Dan. Stalii*, qvi I. Met. Inst. c. VII. *Ego exte qværam*, inqvit, *an omnia credas*, Deum facere posse, *qvæ contradictionem implicant, an solum aliqva? Si omnia, ergo credis, posse fieri, ut Deus sit simul Deus & non Deus, justus & non justus, verax & mendax, qvod nemo sanus, nedum pius, asseret. Qvod si non omnia credis, nec aliqva credere debes. Id est, si non omnia, qvæ contradictionem implicant, fieri possunt, nec aliqva fieri possunt. Ratio est, qvia omnium contradictoriorum est eadem ratio. Inter contradictoria enim non habent aliqva majorem repugnantiam, aliqva minorem, sed omnia æqvaliter sunt impossibilia. Omnia enim ita se habent, ut unum neget, alterum affirmet; non neget aliqvando unum altero magis & vehementius, aliqvando minus & remissius, id qvod jam olim docuit Occam. Propterea hoc ipsum contradictionẽ involvit, esse aliqvid articulum fidei & involvere contradictionem. Si enim articulus fidei*

dei est, debet esse verus & objectum ita se habeat necesse est, ut credatur. At si contradictionem implicat, hoc ipso verum esse nequit, sed seipsum arguit mendacii. Credo, aut terminorum Metaphysicorum apprimè esse ignaros, aut contradictionem latissimo & abusivo sensu accipere, qvi contradictionem involvere scribunt, unum in essentiâ Deum esse in personis trinum, aut humanam in Christo naturam esse omni potentem, aut, [qvod exemplum à maximo viro miror adduci:] virginẽ parere; cum ubiq; diversus reperiatur respectus, qvem eundẽ ἐξ ἀνάγκης requirit contradictio; cui termino alias figere leges non licet, qvam consensu hactenus Philosophorum fixas fuisse publicè constat. Qværo, cur dicente Scripturâ, Deum habere pedes & sese de loco in locum movere, cum improprietate qvadam & θεοπρεπῶς accipias? nisi, qvia alibi Deum compositum esse negat Scriptura & contradictorium asserit. Cum tamen, si contradictoria posset Deus, utrumqve tibi credendum esset, cum utrumq; dicat infallibile verbum. Insanientium hodie Judæorum principium esse: credendum esse Rabbinis, S. Literas interpretantibus, si vel maxima contradictoria dixerint, seu, ut *R. Sal. Jarchi* ad Deut. XVII. 11. loqvitur: *si dixerint de dextrâ, hanc esse sinistram & de sinistrâ, hanc esse dextram*, nonnulli tradunt: à qvâ dicâ, qvæ ne in vulgariter eruditos qvidẽ, nedum Hebræorum Doctores, cadere possit, eos masculè liberat, peculiari hac de re disputatione, Claris. Philologus, *Jo. Frischmuth.*

XXXIX. Qva tamen in re & cum dicitur, DEUM simul contradictoria facere non posse, advertendum est, id intelligi posse vel in sensu diviso, ut vox: *simul* super potentiam hoc sensu reflectatur: DEUM utraqve simul gaudere potentiâ, & faciendi & non faciendi, vel hoc aut istud faciendi; qvo pacto contradictoria posse DEUM non negatur: vel in sensu composito, ut particula, *simul* verbo faciendi apposita hunc generet sensum: DEUM posse facere, ut simul contradictoria existant. Qvod vero fieri non posse, per ea, qvæ à nobis hactenus disputata sunt, sufficienter innotescit.

XL. Dum verò contradictoria & impossibilia ab objecto omnipotentiæ Divinæ removemus, eandem neqve coarctare neqve finitam reddere cum Vorstio dici debemus, cum impossibilia & contradictoria posse, non fit posse, sed non posse, & *qvando qvædam esse dicuntur, ad qvæ illa se non extendit, ea ita dicantur tantum, sensum autem, qvi rem exprimat, nullum habeant, sed sibi ipsis repugnent*; ut loqvitur Hugo Grotius, I. de J. B. & P. c. I. §. X. n. 5. *Qvare illud, qvod non potest facere DEUS, vel qvod dicitur non posse, talia dicuntur non propter defectum potentiæ, sed propter impotentiam in ipsis rebus, qvod videlicet illæ res impotentiam vel falsitatem vel mendacium, qvæ & ipsa impotentia magnæ*

magna est, includunt: verè ait incomparabilis primæ Philosophiæ restaurator, Corn. Martini. Comm. Met. p. 43.

XLI. Alterum consectarium hoc est: *Non omne id revera contradictionem implicare, quod eandem implicare videtur.* Tanta est intellectus humani post lapsum imbecillitas, ut multarum rerum essentias aut prorsus ignoret, aut imperfectè certè & in quibusdam tantum accidentibus cognoscat. Cum autem contradictionem implicare nihil aliud sit, quam terminos componere, quorum essentia est longè divisissima, facilè constat, in compluribus rebus contradictionem nobis videri potius quam esse. Nota est distinctio inter contradictionem veram & apparentem. Apparet sæpè nobis esse contradictio, quicquid à communi naturæ viâ recedit & cujus exemplum in ullâ mundi ætate nondum experti sumus. Graviter Apostolus: *Deus potis est facere omnia abundanter, quam petimus & intelligimus.* Ephes. III, 20. *Augustinus*, Ep. III. *Quæ sibi quisque facilia vel factu vel captu putat, aquo animo accipit, quæ verò supra ea sunt, velut ficta pro falsis ducit & ideo non credit, quia nemo alius tale quid fecit. Cum in talibus rebus tota ratio facti sit potentia facientis. Concedendum enim omninò est, DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

Neqve enim, qvâ ratione una indivisa essentia Dei, eaqve tota ubiqve esse sine extensione, aut qvomodo Filius à Patre, Spiritus S. ab utroqve cum reali diversitate personalitatis & idenditate essentiæ procedere, aut qvo pacto id corpus, qvod in nihilum abiit, numero idem resuscitari & elementum aqvæ peccatorum sordes detergere, vitamqve spiritualem conferre possit, ullo modo comprehendere valemus, & tamen sine ulla contradictione hæc esse & fieri posse, non dubitat fides Christiana. *Proh misera incredulitas*, exclamat *Tertull.* l. de Bapt. Pr. *qvæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem? Qvid ergo? nonne mirandum lavacro dilui mortem? Atqve eo magis credendum, si qvia mirandum est, idcirco non creditur. Atqve eo magis credendum est, qvalia enim decet esse opera Divina, nisi supra omnem admirationem? Nos qvoqve ipsi miramur, sed qvia credimus. Cæterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia tanqvam vana, magnifica, tanqvam impossibilia.* Cyr. Ep. *Theod.* Ser. IX. de Prov. *Ne igitur, qvæ tibi valde impossibilia sunt, Deo qvoqve impossibilia esse existimes. Omnia enim Divinæ naturæ possibilia & valde facilia sunt. Potest itaqve, cum vult, corporis naturam, qvæ semel in saniem diffluxit, deinde in pulverem redacta & undiqvaqve dispersa est in fluminibus, in fretis, in igne, in aqva, [nam omnes, qvas incredulitas profert, rationes in medium adducere libet) denuo colligere & in priorem magnitudinem & formam reducere.*

XLII.

XLII. Thomas qvidem Brouwne, Auctor Religionis Medici, Part. I. Sect. XXVI. rectè eqvidem: *angustis nimis finibus*, ait, *coarctat, quisquis suæ tantum mentis capacitate metitur Divinam potentiam. Deum omnia posse statuo*; qvam sententiam Commentator, Levinus Nicolaus Molkius, Cyrilli Alexandrini & Augustini dictis, qvorum ille: *innumerabilia sunt*, inqvit, *in quibus, si qvomodo quæris, universam tibi evertere Scripturam necesse erit*; Hic verò: *fixa*, scribit, *apud nos est ratio, non sine ratione omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem reddere non possit*; haud ineleganter roborat: sed qvam covenienter vel indoli suæ, qvi nonnunqvam laxa gaudet in rebus fidei conscientiâ, vel veritati ipsi, à nobis hactenus expositæ scribat, cum subjicit: *Ea, qvæ contradictione implicita sunt, qvo pacto expediat Deus, non assequor, nec tamen idcirco ideum posse negare ausim*; (qvod tamen negare non dubitavit religiosâ in DEUM pietate Brounio longè superior Paulus, II. Tim. II. 13.] *Nec video, qvare ad elapsa revocanda secula DEus Esdram provocaret, si idem hoc sibi ipsi in manu non fuisset, nec, qvare id à mortali exigeret, qvod ipse non posset. Posse eum non nego, sed nolle tantum ajo ista, qva nos illum non omninò posse vulgò asserimus. Hoc certè civilius est, nec tamen hac in re paradoxis patrocinor.* Nobilissimus Interpres Medicum in his verbis opinatur respicere ad Historiam, IV. Esdræ, c. XIII. v. 19. & seqq. descriptam, ex qvo loco à clarissi-

mis in antiqvitate viris revocasse seu restituisse deperditos amissosqve libros sacros creditus est Esdras. Qvod ego certè haud asseveranter affirmaverim, qvi cum hujus historiæ sensu loqvendi formam: *elapsa revocare secula*, non usqve qvaqve conciliare possum, nec tamen negaverim etiam pertinaciter, locum certè alium, ad qvem digitum intenderit, indicare haud possum. Nec verò ullam implicat contradictionem, qvomodocunqve elapsa revocari secula affirmes. Nam sive hac phrasi innuas, deperditam præteritorum seculorum historiam ita ab Esdrâ Divino auxilio descriptam esse, ut verba etiam verbis & syllabis syllabæ responderint, qvid hic, amo te, contradictionis est? Nisi contradictio forte sit, hodie typorum subsidio infinitos nobis, qvi in bibliothecis non amplius comparent, restitui libros, qvi singulos etiam apices amissorum nobis repræsentent. Sive intelligas juxta literam, ipsa secula qvoad se revocari & sisti posse, qvomodo hic contradictionem ostendes? Cum qvemadmodum eadem numero nobis qvondam in resurrectione corpora, ita eadem secula restitui, nihil prorsus repugnet. Neqve enim ideò, si hoc fiat, vel secula olim non fuerunt, vel non fuerunt præterita, vel denuò esse & præsentia amplius esse non possunt. Singula hæc pone existere, & tamen

men neqve se corrumpent invicem neqve abolebunt. Qvare qvemadmodum ista contradictione implicita non sunt, ita & intellectu comprehendi & conceptu intelligi, nullatenus est absurdum.

XLIII. Intolerabile qvidem est, à qvibusdam Scholasticis, in regno tenebrarum, eos fuisse infinitæ DEI potentiæ qvondam positos fines, ut dicerent: *illud à DEO fieri non posse, qvod intellectus noster, statim atqve propositum fuerit, respuit, etsi non implicet contradictionem, & illud solum à DEO fieri posse, qvod intellectus noster concipere potest*: at longè intolerabilius est, hodiè, in tantâ scientiarum luce, eandem potentiæ Divinæ amplitudinem non minus constringi ab iis, qvi vel se falli non posse in proponenda veritate persuasi sunt, vel eundem se nobiscum DEUM omnipotentem, eademqve fide, colere profitentur. Impotentiæ certè argumentum sit, posse ea, qvæ manifestè & luce merdianâ clarius, adeoqve nemine sapientum refragante, contradictionem involvunt; potentiæ tamen indicium esse debet, posse ea, qvæ supra omnem hominis captum ὑποὲρ νȣ̃ν καὶ κατάληψιν ἡμῶν, [qvod de omnibus mysteriis sacra enunciavit antiqvitas] posita esse atqve collocata intelliguntur. Qvare rectè, summus licet Philosophus, Dan. Stahlius, Disc. ad Tab. III. p. 47. *Monemus*, ait, *ex Cajetano hoc, non semper nobis*

constare, an hoc vel illud DEUS possit facere? Plurimarum enim rerum accuratam notitiam non habemus, nec novimus, an implicent contradictionem nec ne?

XLIV. Existimo hoc, qvod dixi, innuere eos, qvi inter contradictoria materialiter & formaliter accepta distinguunt & illa posse DEUM, non hæc, sed cum magno horum terminorum abusu docent. Nam ut taceam, contradictionem apparentem in certa materia cum materiali contradictione, formalem cum vera confundi, qvæ tamen idem non esse, ex iis patet, qvæ superius diximus, id, qvod contradictionem implicat, seu, contradictio in adjecto, non est nisi materialis, cujus nempe materia ita comparata est, ut in sinu qvasi suo contradictionem possideat. Qva de re amplius dicere supersedemus.

XLV. Subjiciemus ad demonstrandum hujus tractationis usum unum, alterumqve exemplum. Calviniani corpus unum in pluribus locis simul esse posse, ideò negant, qvia repugnet naturæ corporis, qvam illa in pluribus locis præsentia tollat. Notum est *Petri Martyris* aliorumqve dicterium: *Deum omni sua potentia efficere non posse, ut Christi corpus simul & semel uno eodemqve tempore, in pluribus locis essentialiter præsens sit, aut ut alibi nunc sit, qvam in cœlis.* At verò æstimant potentiam DEI ex potentia naturæ. Sicut enim ideò negan-

negandum non est, humanam Christi naturam, propria personalitate destitutam, in persona Dei subsistere, Deumqve ac hominem personam unam esse, qvia nec ullibi simile exemplum occurrit, nec fieri hoc posse, si extra hoc exemplum fuisset, ulla humana ratio cogitasset: ita eò minus ideò, qvia exemplum corporis in natura pluribus in locis naturaliter præsentis hactenus animadversum non fuit, aut qvia rationi nostræ hoc impossibile videtur, negandum est, per Divinam potentiam, naturam omnem & intellectus nostri conceptum transcendentem, dari simpliciter non posse; cum subsistentia cujuslibet rei, tanqvam intimè eidem connexa, eandem intrinsecè, præsentia verò ad loca externa, tanqvam accidens non necessarium, extrinsecè tantum denominet, adeoqve illa separabilior à re existat. Qvin contrarium potius ex revelatione fallere & falli nescia, cujus clara litera corpus in pluribus locis præsens promittit, concludendum est, donec de contradictione, ipso sole clariore nobis irretragabiliter constet. *Cum contradictoria de eodem respectu dici necesse sit, ipsi scriptores Scholastici, qui, licet sermone barbari, acutissimi tamen Philosophi fuerunt, cum acriter defendant istud axioma: DEO esse possibile, quicquid non includit evidenter contradictionem, sive ad quod non sequitur contradictio; disertè tamen disputant, lib. IV. sent. c. X. non implicare contradictionem, si dicatur, corpus Christi in cœlo esse, secundum naturales*

veri corporis proprietates circumscriptivè, & per potentiam Dei etiam alibi seu in diversis locis, ubicunque adesse vult, cœlesti & miraculosa modo: ita *D. Chemnitius*, Epist. ad Kirchn. c. II.

XLVI. Iidem Calviniani, unâ cum Pontificiis, propria à subjectis suis divelli & substantiis arctissimè unitis ad communem usurpationem & possessionem communicari posse, qvia repugnet naturæ propriorum, qvam separatio & communicatio tollat, inficiantur. At verò ad ingenii sui angustias potentiæ Divinæ amplitudinem metiuntur. Qvanqvam enim ea propria, qvæ cum essentia subjecti sui realiter identificantur, velut cum ente unum, verum atqve bonum, ob clarissimam contradictionis involutionem, separari neqveant, separari tamen ea, qvæ licet à subjectis suis realiter distincta sint, necessaria tamen & naturali qvadam emanatione vel resultantia ex principiis essentialibus subjectorum suorum fluunt, adeò contradictionem non implicat, ut reipsâ separata fuerit à ferro Elisæano gravitas, à sole cursus, ab aqvâ fluxus, à naturâ Christi humanâ propria subsistentia. Qvam tamen ad rem comprobandam nolim uti freqventata à qvibusd. regula: *Qvæcunq; natura potest intentionaliter, ea Deus realiter*; cum illa & ab ente & à Deo attributa conceptu separet, qvæ tamen per nullam potentiam separabilia existunt: Et si ad unita limitetur propositio, principium petere videatur. Communicari autem

autem propria subjecto non localiter disjuncto, sed intimè unito & ad unum suppositum copulato, sine tamen transfusione aut multiplicatione, non ad inexistentiam formalem, sed ad possessionem pariter atqve usum, exemplo animæ & corporis, ferri & ignis, divinæ & humanæ in Christo naturæ & infinitis talibus luculentius ab Ecclesiæ Doctoribus hactenus demonstratum est, qvam ut ei rei necesse sit prolixè hic immorari.

XLVII. Qvem autem de cætero usum, inprimis practicum, hæc de omnipotentia Dei doctrina, amplissimum habeat, in confirmanda circa Divinas promissiones fide, ad invocationem majori fiducia instituendum, ad ferenda forti animo qvælibet adversa, ad accendendam erga proximum charitatem, ad roborandam Dei de nobis gratiam & eliminandam animo desperationem, & si qvi alii possunt esse usus, pro suggestu malumus qvam pro cathedra Disputatoria recenseri. Præstitit hac in re, sicut in toto hoc argumento, eximiam certè & luculentam operam, *Hier. Zanchius*, libr. III. de Nat. De. cap. I. ut nihil amplius desiderare veritatis studiosus posse videatur. Qvare debitas Deo reddentes gratias discursum nostrum finimus.

(o)

EXER-

EXERCITATIO VII.

De

LOCO Exodi XVII, 16.

Qvisnam ejus verus sit sensus?

I.

VErba in Hebræo hæc habet Moses: ויאמר כי יד על כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר: Qvæ vetustissimus interpres ita reddidit: *Qvia manus solii Domini & bellum Domini contra Amalek, à generatione in generationem.* Megalander Lutherus. Es ist ein Mahlzeichen bey dem Stul des HERRN / daß der HERR streiten wird wider Amaleck von Kind zu Kindes-Kind.

II. Ad verum sensum perdifficili loco adserendum, notanda est. I. Historiæ series. II. Verborum significatio.

III. Amalek, Esavi ex Eliphâ nepos, ut in Genealogia ejus recensetur, Gen. XXXVI. v. 12. nomen dederat populo ex se oriundo Amalekitarum, qvi stirpis suæ vocabulo, collectivè sumpto, freqventer insignitur. Is inter inimicos nomini Israëlitico populos omnium primus fuerat, qvi Israëlem, DEI jussu per loca deserta nullo cum ullius hominis damno aut incommodo in Palæstinam tendentem, ex itinere lassum, defatigatumqve, fame qvoqve & siti exhaustum, à tergo adorsus, postremum agmen, qvod ex imbecilliori sexu, mulieribus, pueris

pueris & id genus ad pugnam ineptis erat, ceciderat. Qvam in rem testem habemus Mosen, Deuter. XXV, 17. 18. ita scribentem: *Memento, quæ fecerit tibi Amalek in via, qvando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus & non timuerit Deum.*

IV. Qvamqvam verò omnes singuliqve Cananitarum populi invisi Deo ob gravissima scelera, præcipuè detestabilem idololatriam, adeoqve internecino exitio devoti fuissent, ob id tamen, qvod gentem Deo dilectam, nihil tale ullo delicto merentem, qvam sangvine juncti juvare in calamitatibus potius, qvam opprimere debuissent, primi omnium & fœda fraude à tergo aggrederentur, singulari vindicis Dei ira digni æstimabantur, ut cum ex cæteris populis aliqvæ subinde reliqviæ in Rep. Judaica, Deo connivente, tolerarentur, horum exterminium sub severissima pœna aliqvoties inculcaretur. Moses allegato loco graviter præcipit: *Cum Dominus Deus tuus dederit tibi requiem & subjecerit cunctas per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen Amalek sub cœlo. Cave, ne obliviscaris.* Nec alia sententia est vaticinii Bileamici, dicentis: *principium gentium Amalek, cujus extrema perdentur.* Num. XXIV, 20. Peculiariter vero id per Samuelem jubebatur primus Israëlitarum Imperator, Saul, qvi cum ex clade Amalekitarum Regem

Regem Agag & qvædam jumenta, contra Divinum mandatum, in vivis conservasset, Dei adversus se indignationem adeò commovit, ut successionis ei in imperio spes omnis præcideretur. Præcesserat autem tale mandatum: *Hæc dicit Dominus: recensui, qvæcunqve fecit Amalek Israëli; qvomodo restitit ei in viâ, cum adscenderet ex Ægypto. Nunc ergo vade & percute Amalek & demolire universa ejus, non parcas ei & non concupiscas ex rebus ipsius aliqvid, sed interfice à viro usq; ad mulierem & parvulum atqve lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.* 1. Sam. XV, 2. 3.

V. Initium autem excisionis hujus fecerat Moses. Is enim Josuæ, ut in prælium adversus Amalekitas descenderet & auctor fuit & ardentissimis precibus vim pugnæ addidit, donec Josua de hostibus victor triumpharet. Qvo facto, Deo jubente, id bellum literis consignatum à Mose erectum fuit in rei memoriam altare, cum inscriptione: *DEus vexillum meum. Dixerat enim*, [hæc sunt, qvæ impræsentiarum consideramus, verba] *qvia manus super solio Domini, bellum Domino contra Amalek ex generatione generationis.*

VI. Vox יד propriè *manum* notat, sed per metonymiam variis rebus, qvæ sive qvandam cum manu analogiam habent, sive manuum ministerio peraguntur, tribuitur. Qvam in rem evolvendi sunt Lexicographi, *Forsterus*, *Avenarius*, *Buxtorfius*, *Schindlerus*. Neqve paucioribus significatis vox על subjacet. כס

verò

verò & יה contracta sunt, ut qvilibet videt & plenè כסא & יהוה scribuntur. Cætera vocabula faciliorem habent constructionem, nisi qvod in מדר ר sit ellipsis τῆ, qvæ ita sine dubio restitui debet: מדר לדר, *ex generatione in generationem*, h. e. in perpetuum.

VII. Præcipuam sensui difficultatem facit vox: *manus*, qvæ cum ambigua sit, ejus significatio ex contextus potius circumstantiis, qvam aliunde sumenda est. Ad eas igitur plerorumqve circa hunc locum sententias, pro instituto nostro brevissimè, examinaturi sumus.

VIII. *Tremellius & Junius.* I. Literam & vocum proprietatem retinere videntur, cum vertunt: *Et dixit, qvia manus* Amaleki fuit *contra solium Jah, bellum Jehovæ in Amalekum* erit *de ætate in ætatem.* Notantqve: *Qvia tam impiè protervèqve se gessit Amalek, tanqvam solium DEI subruiturus cum populo ejus, violentia sua, & qvamvis non provocatus non potuit conqviescere, qvin populum persequeretur indignissimè & aciem extremam infestaret ejus & qvidem eo tempore, qvo populus ad spectandam DEI gloriam fuit provocatus: idcircò bellum ἀσπονδον huic genti denunciat Deus & populo suo inimicitias æternas imperat.* Sed verò refragatur huic opinioni. I. Qvod inusitata sit in hac sermonis serie pronominis tertiæ personæ ellipsis, יה, pro, יהוה, qvam nonnisi ex longinqvo supplere possis. II. Particula על juncta τῶ: כסא, testibus concordantiis

nun-

nunqvam contra sed perpetuo supra significat, ut non nisi cum temeritate & audacia qvadam: *contra solium DEI*, hoc loco vertas. Græci reddiderunt: ἐπὶ τῷ θρόνῳ, ἐπὶ θρόνου. Es. VI, 1. I. Reg. I, 46. III. Perqvam durum videtur, dici thronum soliumqve DEI bello invadi, cum populus Dei invaditur. Licet enim isthæc in sacris reperiatur de electa Dei Ecclesia locutio: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. II, 8. illa tamen nunqvam reperietur; qvi vos invadit, solium meum invadit. Et causa diversitatis est, qvod pupilla oculi rem caram & præ cæteris dilectam, [qvalis Ecclesia esse potest] solium verò majestatem, dignitatemqve regiam ac summam denotat, qvæ creaturæ tam communicari neqvit à DEO, qvam non potest communicari subdito Imperatoria corona aut regia majestas. Es. XLII, 8.

IX. *B. Lutherus* II. cujus translationem §. 1. præmisimus, vocabulum *manus* pro signo memoriali habet, qvod altare respiciat, h. m. *Istud altare est* יד *monumentum & memoriale perpetuum, coram throno Divino, qvo funditus exscindendos esse Amalekitas, Israelitæ admonentur.* Etsi verò vox: *manus*, monumentum memoriæ causâ erectum subinde in sacris significet, utpote I. Samuel. XV, 12. II. Sam. XVIII, 18. imprimis, cum monumentum qvoddam erectum fuisse in ipso textu memoratur; præterea altare à Mose extructum revera, יד, *monumentum* vindicis adversus Amalekitas animi Divini fuerit,

fuerit, ſine dubio ab Hebræis יד יהוה נסי, *Jad Jehova Nisſi* vulgò dictum; qvâ de cauſa præſens interpretatio cæteris omnibus anteferenda eſt: nihilominus tamen illa I. à proprietate particulæ על, qvæ cum נסא conſtructa, nonniſi *ſupra* ſignificat, recedit. II. Nullum aut perobſcurum reddit ſenſum verſio illa: *monumentum coram throno Divino.* Cum haud appareat, neqve exprimi qveat, cur altare iſtud poſitum juxta vel etiam ſupra thronum Divinum dicatur. Jam verò cum fruſtra illa verba addita non ſint, is ſenſus indagandus eſt, qvi non unum tantum alterumqve totius periodi vocabulum, ſed omnia ſingulaqve, qvam fieri poteſt, commodisſimè transfert.

X. Hæ qvoqve cauſæ fuerunt, cur III. magnum in literis nomen, *Staliger* III. de Emend. Temp. circa fin. aliqvod huic morbo, ut ita loqvar, remedium adplicaverit. Nam: כסיה pro unâ voce habet, qvæ ultimum menſis diem ſignificet, à כסס, *numeravit*, vertitq; ad verbum: ϛύλη ὑπὲρ τῆς ἱερομηνίας, (*ſive* τριακάδος *mavis ſive* ἑορτῆς:) πόλεμος ἀπονδος κατὰ τȣ̃ Ἀμαλέκȣ. Qvam tamen illuſtris viri ſententiam incomparabilis Philologus *Sal. Glaſſius*, Rhet. S. Tr. I. cap. VII. his rationibus confodit. I. Qvod eam duarum vocularum in unam, mutatis vocalibus, coalitionem non ferat vetuſtiſſimum legis ſepimentum, Maſora, qvæ conſervandæ potius veræ lectioni qvam corrumpendæ divinâ annuente providentiâ, ut

aliunde patet, operam impendit. II. Quod neqve vox: כסא, ullibi reperiatur in Hebraismo, qvantum ex iis, qvæ hodie nobis supersunt; Hebræorum monumentis constat, neqve, si inveniretur, eam necessariò gestaret significationem. III. Qvod deniqve vox: על hac in constructione non tempus, sed locum potius notet, ut sciunt Hebraicarum literarum periti. Qvæ profecto rationes novum ἔυρημα vehementer reddunt suspectum.

XI. Idem *D. Glassius* IV. existimat respectum haberi ad manum Mosis precantis qva manus Josuæ militantis adjuvabatur, hoc sensu: *DEUS in ipso solio majestatis sedens manum exertam habet, erectumqve vexillum*, [non ita imbecillis est, ut manus mea, qvæ lapidis suppositione & fulcimento aliqvo opus habet, ut elevari & extendi possit] *ad pugnandum invicto brachio contra Amalekitas in perpetuum.* Sed verò, qvamqvam hæc interpretatio contemnenda non sit, nihilominus tamen I. Vox *manus* nudè posita ad proximius, Mosen potius referenda est, qvam DEum. II. Si ad DEum referri & eum, qvi exhibitus est, sensum repræsentare deberet, sine dubio scribendum fuisset: *manus DEI supra thronum Divinum* exerta est, למלחמה, *ad pugnandum contra Amalek*, non verò: *bellum contra Amalek*. Denicq; III. & hoc novum inventum omni destituitur auctoritate.

XII. *D. Dav. Rungius* V. Comm. in Ex. sine dubio ex Esa. XLIX, 16. ita interpretatur:

tur: *consignatum est peccatum Amalek coram me in æternum.* Sed verò neqve I. ipsa phrasis in allegato, aliisqve locis cum præsenti ullam habet similitudinem; neqve II. manus hic DEI sed Mosis, qvæ vox propinqvior est, intelligitur. Neqve III. de peccato Amalek qvidqvam hac in periodo continetur.

XIII. Placet autem mihi egregiè VI. viri Clariss. *Andr. Riveti*, sententia, qvi τὸ עַל, qvod, ceu Lexica testantur, freqventer pro אֶל ponitur, per *versus* reddit & *solium DEI* cum Scriptura cœlos interpretatur, hoc modo: *Et dixit* Moses: *qvia manus versus cœlum* extendi & victoriam consecutus sum, ideò *bellum Domini esto contra Amalek in perpetuum.* Sed fatemur tamen, remorari assensum nostrum perpetuam τῆ עַל τῷ כִּסֵּא junCti acceptionem. Si autem Moses isthac phrasi manus suæ versus thronum extensionem notare voluisset, usus potius esset haud ambigua voce: אֶל, qvam illâ, qvam in hoc significatu eo loco nemo facile qvisqvam, in usitato autem omnes accepissent.

XIV. Superest sententia VII. & ultima, qvæ, qvod difficultatibus paucioribus premeretur, & à nobis hactenus amata fuit. Continetur nempè in hoc versu juramentum Mosis, qvod nomine totius populi Israëlitici ad thronum Divinum deponit, qvo semet & populum ad capitalem inimicitiam & hostilitatem contra Amalekitas obstringit:

Manum extendo *super thronum DEI*, juroqve: *Bellum Domini esto contra Amalekin æternum.* Qvæ verfio I. ad literam qvam proximè accedit. Nam cæteræ ferè omnes figuratam agnoscunt manum, hæc propriam. Jam verò propria significatio figuratæ prævalet, nisi in contrarium validissimæ adsint rationes. Deinde manus vocabulum respicit id, qvod proximè nominatum fuerat, voce: *Et dixit*, scil. Moses, cum cæteræ versiones vel Amalekum vel Deum, (eaqve remotiora) respiciant. Jam verò in proximius prima sermonis natura, nisi graviores causæ in contrarium urgeant, fertur. Deniqve reliqva oratio tota in naturali suo significatu relinqvitur. II. Nonnisi solennem & consvetam in se formulam continet. Manum alicujus esse contra solium Dei, cum est contra peculium ejus, insolitum est. Mónumentum supra solium Dei, aut supra ultimum mensis diem, vel manum Dei exertam esse supra solium Dei, insolitum est. At neqvaqvam insolitum est, manum extendi ad eum, cui juratur. *Extendo manum meam ad cœlum*, id est, memetipsum, mihimetipsi juro. Deut. XXXII, 40. *Levo manum meam ad semen domus Jacob*, id est, juro posteritati Jacobi Ezech. XX, 5. 6. *Levo manum meam ad Deum*, id est, juro. Gen. XIV, 22. *Pone manum tuam sub femore meo*, id est, jura. Gen. XXIV, v. 3. At manum extendere supra solium DEI, est manum extendere ad Deum ipsum, qvi supra solium sedet. Ergo manum extendere

supra

ſupra ſolium DEI eſt jurare. Neqve impedit τὸ: *ſuprà*, in allegatis formis non reperiri: nam nec τὸ: *ſub*, extra allegatum caput facile reperitur & tamen juramentum omnium confeſſione deſignat. Et qvalis ille eſt, cui juratur, talis etiam adhibetur ceremonia. Cum homo fuerit Abraham, ſub femore ejus ponenda fuit manus, cum autem DEO juratur, ſupra ſolium ponitur, ut univerſorum Regi & Domino jurari intelligatur. III. Conformis eſt hiſtoriæ tum actæ. Extruxerat enim Moſes altare, vocaveratqve: *Dominus vexillum meum*: q. d. in hoc ſigno, DOMINO, ſeu fiduciâ in DOMINUM unicè poſitâ, hoſtes noſtri, exemplo Amalekitarum, facile vincuntur; dixitqve apud altare in conſpectu totius Iſraëlis: Igitur manum meam veſtro nomine ſupra thronum Divinum, [qvi ubiqve eſt, ubi ipſi juratur] & velut ſignifer veſter atqve fecialis, ſpe indubiâ fretus adfuturi nobis auxilii Divini, juro, bellumqve denuncio: Bellum Domini eſto contra Amalekitas irreconciliabile & immortale. Qvam hiſtoriam confirmat loci, Deut. XXV, v. 17. ſ. I. Sam. XV, 2. ſ. IV. Auctores habet hebraicæ literaturæ principes. Nam *Jonathan* Chald. interpres antiqviſſimus: *Et dixit: jurato hoc aſſertum eſt à terribili, cujus majeſtas in throno gloriæ, fore, ut bellum geratur à Domino contra Amalekitas in æternum.* Conſentiunt ad h. l. *R. Sal. Jarchi* & *R. Aben-Eſra.* Judæi Conſtantienſes in Bibliis germanicis Conſtantiæ excuſis: Und

er seit: Den Eyd auf Stul GOttes; (in margine additur hæc nota; q.d. GOTT hat geschworen bey seinem Stul / zu streiten wider Amaleck) streit zu GOTT mit Amaleck von Geburt Geburt Qvibus ex Christianis Doctoribus accedunt *D. Erasm. Marbachius* & *D. Andr. Osiander.* Deniqve V. iis difficultatibus non obnoxia est, qvibus premi superiores sententias præcedenti discursu vidimus.

XV. Poterat hæc philologia in qvosdam usus diffundi, sed abrumpendum hic nobis est filum & menditatio nostra in aliud commodius tempus, Deo juvante, rejicienda.

EXERCITATIO VIII.

ARTICULI

De

CHRISTO

Compendiariam per Theses delineationem complectens.

Præloquium Disputationis actui præmissum.

AUgustinus cap. XIV. Tractatus contra Felicianum, in consideratione maximi myste-

mysterii de incarnatione Filii DEI, singulari cum verborum & sententiarum ἀκριβείᾳ hunc in modum commentatur: *Si Dominicæ incarnationis mysterium salva individuæ Trinitatis cooperatione consideres, idem sibi in hac humilitate auctor & opus est. Idem auctor, quia sponte nascitur, sponte patitur, idem opus, qvia licet non alio cogente, solus tamen ipse perpetitur. Fecit carnem in utero matris, habes auctorem operis; ipse in hac nasci dignatus est, habes opus auctoris. Una tamen persona est, salva utriusqve proprietate substantiæ & auctoris & operis.* Inter antiqvos Ecclesiæ Scriptores sunt, qvi Augustinum ob ingeniosam ejusmodi difficillimarum rerum per exqvisitissimas sententias enodationem PHILOSOPHUM appellant DIVINUM. Ne verò cumulatione encomiorum, qvibus *virum*, Platinæ judicio, *omnium, qvi tum fuere, doctissimum*, passim mactarunt veteres, cuiqvam gravis esse videar, ingenii Augustiniani acumine, judicii felicitate prorsus divinâ, & rerum tractatarum ubertate, motum fuisse existimo Theandrum nostrum LUTHERUM, ut appellaret Augustinum *Doctorem omnibus totius mundi Doctoribus majorem, cui similem post Apostolos non viderit Ecclesia Christiana.* Exprimit autem hoc in dicto Augustinus mirandi Angelis hominibusqve mysterii de incarnatione veritatem atqve momentum. Circa qvam duo accurate

observat, unum, actionem illam externam, qva verbum caro factum est, salva individuæ Trinitatis cooperatione esse considerandam, ut nempe statuatur illud extra Deitatem progrediens opus ab una indivisa omnium divinarum personarum actione æqvali prorsus agendi virtute atqve potentia produci. Alterum, ut nihilominus opus hominis à SS. Trinitatis communi manu productum uni personæ ita fiat per accuratam ejusdem terminationem proprium, ut in cæterarum personarum societatem neqvaqvam veniat aut communionem. Qvod ut rectius audientium intellectui præsentet, notat, in tanto mysterio integras salvasqve manere utriusqve substantiæ, hoc est, naturæ proprietates, nempe nec divinitatem in carnem nec carnem in divinitatem converti, nec etiam aut nasci aut pati aut mori divinitatem, carnem vero aut æternam aut immensam aut infinitam reddi: attamen ob personæ in utraqve natura unitatem, tantam fieri utriusqve naturæ proprietatumqve ex illis profluentium, communionem, ut idem sibi in hac humilitate & auctor sit & opus, & creator & creatura, & Deus & homo.

Nihil dixit Augustissimus Doctor citra Sacratissimarum Literarum auctoritatem. Qvid enim est illud Evangelistæ: *verbum caro factum est*, qvam carnem, h. e. hominem à Deo Patre

Patre per filium, per qvem omnia facta esse paulòante dixerat, esse creatum, & tamen verbum, id est, filium Dei factum esse hanc ipsam creaturam? Nempe dum nominat carnem, nominat opus, [nisi forte, qvod perabsurdum foret, ex omnium creaturarum numero sola hæc caro eximeretur] dum verò dicit, filium Dei factum esse carnem, nominat auctorem operis, qvia non alius factus est filius Dei, qvam qvi antea fuerat, qvippe immutabilis Deus in rem qvamvis aliam præter se mutari neqvit & converti. Jam verò ubi *potestatem se habere* ait Salvator, *animam suam ponendi, iterumqve resumendi*, qvid aliud innuit, qvam esse se auctorem operis seu creatorem, qvi solus potestate gaudet in res creatas irrefragabili; & tamen opus ponendi animam, eandemqve sibi reduniendi, tanqvam proprium sibi convenire, hoc est, creaturam de Deo, opus de auctore operis longè maxima proprietate prædicari?

Atqve hæc indubitata est S. Literarum & vetustissimæ Ecclesiæ de incarnationis tremendo mysterio fides, à Concilio Oecumenico III. Ephesi contra Nestorium & Chalcedonensi seu Oecumenico IV. contra Eutychen & Dioscorum Alexandrinum adserta, qvam B. Lutherus à primis fere Reformationis annis, non ex cerebro suo excogitatam, sed ex Scripturis S. haustam & communi Patrum con-

sensu traditam contra Zwinglium & Carolstadium voce & scriptis copiosè exposuit, qvam confessi in solenni Imperii conventu Augustæ Principes, ut vocabantur, Protestantes, qvam deniqve ut genuinam & verbo Divino conformem comprobarunt, status Romano Catholici. Qvin & ipsum Concilium Tridentinum, qvod *ad extirpandas hæreses* omnis generis convenerat, sicut Sessione I. II. & III. testatur, utut alias pleraqve nostrarum Ecclesiarum dogmata, in qvibus à cœtu Romano dissidemus, acerbe perstrinxerit ac repudiarit, hujus tamen ne meminit qvidem, sed tanqvam catholicum & orthodoxum, & qvod explicatione non indigeret, suppositit; donec tandem finito Concilio circa annum Christi millesimum, qvingentesimum sexagesimum tertium nova Ignatii Lojolæ soboles orta, longè aliam doctrinam, novo prorsus ausu commenta est. Qvamvis enim jam ante, anno millesimo qvingentesimo qvadragesimo, à Paulo III. Pontifice Romano, illa Jesu, ut vocari amant, Societas confirmata sit, & in ipso Concilio Lainezius, Salmero, Torrensis, & Cavillonius Jesuitæ, à singulari ambitione & frigido acumine notati, vix tamen pleraqve fidei & doctrinæ Christianæ capita unqvam ita & de industria labefactata sunt, sicut postea contigit, cum veteribus Monachorum ordinibus ejectis ac expulsis, factio illa obtinere cœpit. Ex eo tempore pleriqve illorum à Prædeces-

decessorum doctrina hac in parte paulatim abire, unionem personalem, proprietatumqve & operationum communicationem inficiari, veterum hæreticorum placita ex orco revocare, eaqve tanqvam veritati cœlesti consentaneam doctrinam Christiano orbi obtrudere ausi sunt, ut non amplius unam Christi personam seu hypostasin, nec unum eundemqve Filium Dei & filium Mariæ virginis, sed duos Christos, cum Nestorio qvasi conspiratione factâ, statuere haud absre videri qveant.

Jam verò Calviniani, qvodam Huldrico Zwinglio in Helvetia auctore, qvasi per latus convellere gravitatem hujus articuli cœperunt, cum occasione ex negata carnis & sanguinis Christi præsentia in sacratissimo cœnæ Sacramento arrepta, primo unius attributi, nempe omnipræsentiæ humanæ Christi naturæ communicatæ, veritatem dubiam reddere, & ex hoc errore, [circa qvem tibicinem ipsis supponere qvosdam potius Ecclesiæ nostræ, qvod profitentur, Doctores, qvam Ecclesias, graviter dolemus] grassari ad graviorem, negatam scilicet idiomatum omnium, qvin & ipsius cum Nestorio personalis unionis, qvantumvis verbis aliud profiteantur, communicationem haud erubuerunt. Et certè hodieqve in Ecclesia Calviniana vir celeberrimi inter suos nominis, David Derodon, Philosophiæ in Collegio Galliæ Nemausensi Professor, qvi cum publicam Ecclesiæ suæ sententiam de

de negata proprietatum communicatione deserere non posset, Nestorium ab hæresi absolvit, eiqve, qvod inauditum hactenus est, peculiari de Suppositio Disputatione implicavit Cyrillum. Qvamvis verò hanc *animi levitatem*, [ita adpellat] alia dissertatione in Academia pariter Reformata, Marpurgensi, repressérit D. Gregorius Stannarius, suam tamen Ecclesiam à Nestorianismo, [qvem ei Reformatus Derodon, ceu decus eximium, vendicavit] nondum liberavit, ut alibi & ab aliis demonstrari potest.

Videmus, inter Christianos, eos imprimis, qvos in Romano Imperio eadem legum fundamentalium virtus, idem civilis societatis vinculum colligat, fundamentalem esse in ipsomet fidei nostræ fundamento & capite dissensum: qvem hodie, qvi Ecclesiarum aliis etiam in dogmatibus consociationem qværunt, neqvicqvam elevant ii, qvibus nullam aut minimam esse discrepantiam vana certè opinione persvasum est. Atqve utinam illi solum, qvi secessum jam olim à nobis per separatas confessiones fecere, & disfiderent à nobis & disfidere se agnoscerent, non leves sunt insuper errores, qvos sive de personali unione, sive idiomatum participatione, sive de usurpatis in exinanitionis statu proprietatibus, sive aliis fovent ii, qvi in meditullio Ecclesiæ nostræ sedent & fraterno nos complectuntur affectu.

Atqve

Atqve hæc causa est, cur Serenissimus PRINCEPS, Dominus & Ecclesiæ nostræ Nutricius Clementissimus, institutis subinde congressibus Synodalibus, vel explorare orthodoxin eorum, qvi Ecclesiis ei subjectis præsunt, vel acuere diligentiam privatim subeundam, vel confirmare in fide pariter atqve charitate concordiam, eandemqve Ecclesiæ hostibus qvasi in solenni theatro coram oculis exponere jubeat, ne sive in eadem domo spirituali lupi pariter cum pastoribus ululent, sive somno sese dedant constituti in specula Divina vigiles, sive disfidentibus de fide sententiis ejusdem corporis membra in diversum trahantur. Conservet supremum Numen hunc nobis PRINCIPIS animum, eundemqve salutaribus adaugeat incrementis.

Argumentum verò à nobis, Doctrina de CHRISTO, ideò fuit electum, qvia præcedentibus illa disputationibus ex parte tantum, casu qvodam integram considerationem distrahente, proposita fuit atqve ventilata. Ne qvid igitur in summo & principali fidei nostræ articulo, de qvo in conventu nostro, tanqvam solenni fidei nostræ & orthodoxias teste atqve præcone, colloqvendo, differendoqve inter nos actum non sit, supereresset, integrum articuli systema, qvod & personam & officium Christi comprehendit, conceptis thesibus ob oculos posuimus. In qvibus verò prolixitatis vitandæ causa, licet Ecclesiæ nostræ

ſtræ ſententiam ex ſymbolicis libris, nominatim CONCORDIÆ FORMULA, cui fidem ſanctiſſimo juramento ſinguli adſtrinximus, ſine longa contrarii ſubinde erroris recenſione, nudis & perſpicuis verbis retulerimus, veritatem tamen, qvæ congreſſuum noſtrorum finis eſt, à falſitate & mendacio exqviſitis terminis diſcretam, unicè profeſſi ſumus. Qvam ad rem, ſi vocibus in Philoſophorum duntaxat Schola conſvetis qvandoqve uſi fuimus, id adjliberandam ab affecto errore veritatem & factum eſſe & fieri debuiſſe, qvilibet rerum Theologicarum non omnino expers ſponte intelliget. Deum precamur, ut in Chriſtiana nos fide, pulſis procul omnibus erroribus, nos perpetuò conſervet!

I. Palmarium fidei Chriſtianæ caput eſt, qvod *Verbum, hoc eſt, filius DEI, adſumſerit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut ſint duæ naturæ, divina & humana in unitate perſonæ inſeparabiliter conjunctæ, unus Chriſtus, verè Deus & verè homo, natus ex virgine Maria, verè paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, ut reconciliaret nobis Patrem & hoſtia eſſet non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis*; qvodqve *deſcenderit ad inferos & verè reſurrexerit tertiâ die, deinde adſcenderit ad cœlos, ut ſedeat ad dextram Patris & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum miſſo in corda eorum Spiritu Sancto, qvi regat, conſoletur ac vivificet eos, ac defendat adverſus*

Dia-

Diabolum & vim peccati; qvod deniq; idem *palam sit rediturus, ut judicet vivos & mortuos, juxta Symbolum Apostolorum*, ut Aug. loqvitur Conf. art. III.

II. Hanc fidem nisi qvis integram inviolatamqve servaverit, sed vel gentilium more ignoraverit, negaveritve, vel exemplo hæreticorum oppositum defenderit, rectiusqve sentientes oppugnaverit, aut adseruerit qvidpiam, qvo illa ex se labefactari possit aut destrui, absq; dubio in æternum peribit. *Hic enim*, ajunt Smalcaldici, art. I. *primus & principalis articulis est, de qvo cedere aut aliqvid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiamsi cœlum & terra ac omnia corruant. Non enim aliud est nomen hominibus datum, per qvod salvari possimus*, inqvit Pet. *Act. IV.* 12.

III. Nomen Salvatori nostro duplex est, qvorum prius officium, posterius officii finem comprehendit. Christus enim ex Græco, qvod in Hebræo Messiam sonat, unctum significat, ungi autem in V. T. ad officia solebant Reges, Prophetæ & Pontifices. Qvæ officia cum non eminentissimo tantum gradu, sed divina prorsus ratione obierit Servator noster, Messiæ qvoqve & Christi vocabula singularissimo ei modo competere intelliguntur, cum a Deo secundum carnem non donis tantum instructus supra consortes suos, sed accepisse etiam spiritum sine modo & mensura dicatur, Ps. XLV. 8. Joh. III. 34. Jesus autem ex Hebræo σωτῆρα,) qvod vocabulum per *Servatorem*, deficiente apud Latinos a voce significantiori, & ap. recentiores per

Salva-

Salvatorem redditur:] notat, ipsomet Dei legato dicente: *ipse enim salvabit populum suum à peccatis suis*. Matth. I, 21.

IV. Ex priori Salvatoris nostri nomine Messiani characteres & ex his invicta surgit probatio, hunc, non alium esse Messiam, seu Christum veteri Testamento promissum & novo exhibitum. Cui enim non nomen duntaxat Messiæ, sed res nomine divinis in V. T. prædictionibus denotata competit, illum necesse est esse Messiam V. T. promissum. At Salvatori nostro, Mariæ Filio, competit nomen Messiæ, qvippe qvem populari sermone, teste Pilato, *Christum* dixere, Matth. XXVII, 22. & res nomine divinis in V. T. prædictionibus denotata; est enim semen mulieris, Abrahæ, Isaaci, Jacobi, Davidis, natus in Bethlehem ex virgine, circa finem politiæ Mosaicæ, nondum plane ablato de Juda sceptro, tempore qvoqve à Daniele per LXX. hebdomadas exactè præfinito & stante adhuc templo secundo, passus pro genere humano, crucifixus, mortuus & sepultus, resurrexit cum gloria, ascendit cum jubilo, veræ religionis suo qvondam ore & hodieqve in Ecclesiæ ministris Doctor & per complurima miracula adsertor, deniqve Rex universæ carnis, sicut innumeris V. T. locis persona & officium Messiæ, ceu propriis & singularibus signis descriptum extat. Seqvitur ergo, Salvatorem nostrum Messiam esse V. T. promissum, novo exhibitum.

V. De

V. De posteriori nomine, JESU, qværitur, qvâ ratione & qvam ob causam divina ei veneratio exhibeatur? Dicendumq; est, neq; terminari cultum in hoc nomine, neq; cultus objectum esse nomen materialiter acceptum, sed personam, ad qvam audito nomine tendat veneratio. Respicit autem Apostolus, Phil. II, 10. morem gentibus usitatum, qvi majestatem Imperatoriam, vel ad nominis pronuntiationem, sancte venerabantur, tantamqve post exaltationem carnis Christi esse gloriam profitetur, ut externum illum cultum, qvi devotionis internæ sit index, majoremqve, jure longè majori reqvirat. Sicut autem per genuflexionem, συνευδοχικῶς positam, omnis cultus externus, ex contextu facile intelligitur: ita per nomen JESU, omne aliud, qvo hæc persona insigniri possit, nomen denotatur. Inde personam potius qvam nomen ponit Salvator ap. Prophetam, loco, qvem explicat Apostolus: *Mihi flectetur omne genu.* Es. XLV, 23. Qvamqvam causæ esse possint, cur ad hoc potius qvam aliud nomen venerationis cultum instituas, ceu in Ecclesia nostra alicubi nomini JESU, alibi Christi is honos tribuitur & ad innuendam personæ divinitatem ad Spiritus S. nominationem idem venerationis modus ex antiqvitate retinetur.

VI. Vetustissimus tradendæ de Christo doctrinæ mos est, ut primo persona, deinde officium Christi consideretur. Qvod personam

concernit, Deum hominemqve oportuit esse Mesiam; Deum qvidem, qvoniam infinitæ justitiæ, qvæ peccatis læsa fuerat, per creaturam, qvæ finita est, satisfieri non poterat, neqve per merum hominem justitia & vita æterna restitui, aut Ecclesia in eaqve fideles regi & defendi: hominem vero, qvoniam homo fuerat, qvi peccaverat & pœna pro peccatis subeunda sangvinis effusionem & mortem, qvæ hominis sunt, reqvirebat. *Qvare non angelos, sed semen Abrahæ adsumere, nobisqve per omnia similis fieri debuit, ut posset compati infirmitatibus nostris, absqve peccato.* Hebr. II, 16. 17. IV, 15.

VII. Ut vero ordine atqve particulatim progrediamur, Divinam in Christo naturam probant qvatuor argumentorum classes, veteri versiculo comprehensæ: *Nomen, proprietas, operatio, denique cultus.* Tribuuntur enim Christo I. ea nomina, qvæ proprie nonnisi Deo conveniunt, utpote *Jehova, Elohim, Deus, Filius Dei*; neqve ea nuda, sed cum adpositis ad Deitatem propriè dictam restringentibus. Rom. VIII, 32. IX, 5. Tit. II, 13. Tribuuntur II. proprietates DEO soli competentes; æternitas, immutabilitas, immensitas, omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, καρδιογνωσία, Omnisapientia, Libertas agendi, majestas divina, æqvalitas cum patre. Es. IX, 6. Ps. CII, 28. Joh. III, 19. Ap. I, 8. Eph. I, 23. Col. II, 3. Actor. I, 24. Matth. XI, 19. Joh. V. 21. XVII, 5. XVI, 15. Tribuuntur III. operationes, à solo DEO provenientes, creatio, conservatio,

tio, miraculorum patratio, ex mortuis resuscitatio, redemptio, Ecclesiæ regimen, salvatio. Psal. XXXIII, 6. Hebr. I, 3. Joh. V, 19. Zach. IX, 12. Matth. XVI, 18. Joh. V, 21. XVII, 2. Tribuitur IV. adoratio, Deo soli debita. Phil. II, 10. Ad qvæ probationum genera reliqva referri facili negotio possunt, sacrarum vero Literarum testimonia cumulari in Locis potius qvam thesibus Theologicis debent.

VIII. Qvamqvam divina sit in Christo natura, eaqve non alia sed numero eadem cum illa, qvæ est in Deo Patre atqve Spiritu S. non tamen divina natura absolutè considerata incarnata est, sed characterisata, ut Theologi loqvuntur, seu in qvantum sub hypostasi Filii existit. Christus enim ita Deus est, ut sit Filius Dei, qvi essentiam Divinam à Patre per æternam generationem accepit, modo nobis imperscrutabili & ineffabili. Psal. II, 7. Mich. V, 1. 2. Hebr. I, 3. Rom. VIII, 32. Qvem modum vox λόγος sistit ap. Johannem & *verbi* in Aug. Conf. cujus textum in fronte harum thesium præmisimus. Character igitur Filii hypostaticus ad intra, qvo à reliqvis personis differt, generatio est passiva, qve & processio dicitur à Patre, ex qva est missio passiva in carnem. Gal. IV, 4. 5. Is verò relucet in operibus ad extra ita, ut agat Filius à Patre in Sp. S. Rom. XI, 36. Qvi determinatus agendi modus cum in redemptione cumprimis conspiciatur, illa vulgari loqvendi consvetudine secundæ personæ appropriatur. 1 Tim. II, 6.

IX. Qvæ verò de Divinitate Mesſiæ, ejusqve æternâ à Patre generatione adſerta ſunt hactenus, ſicut ex V. T. immotis teſtimoniis comprobari ſufficienter poſſunt, ita eo qvoqve tempore in Eccleſia credita & publicè propoſita fuiſſe dubium eſſe non poteſt. Cui rei fidem faciunt tum argumenta §. VII. adducta, tum apparationes Filii Dei in angelorum, juvenumqve forma, cui peculiari qvidem ratione, non tamen ad perſonalem usqve unionem, in propria hypoſtaſi ita conjungebatur Filius Dei, ut ſolus ipſe, non Pater aut Spiritus S. apparuiſſe, dici potuerit, argumentis ex cujuslibet loci viſceribus depromptis divinam, non angelicam, adparitionem evincentibus. Gen. XIIX, 1. ſ. Ex. III, 2. Qvamqvam majorem in N. T. revelationis lucem ſeu lucis gradum neqvaqvam negemus.

X. Divinam naturam Humana excipit. Cum enim homo propriis figuratisqve vocibus freqventisſime appelletur, eiqve partes hominis cum eſſentiales, caput, manus, pedes, aliaqve membra, qvin & actiones & accidentia humana Chriſto attribuantur, hominem verum proprieqve dictum eſſe & humana natura præditum, ſponte intelligitur, 1 Tim. III, 16. Hebr. II, 14. Luc. XXII, 19.

XI. Non autem perinde ut divina natura, ita & humana propria gaudet hypoſtaſi, ſed per ſe ἀνυπόστατος eſt & à τῷ λόγῳ, ut in Schola loqvũtur, perſonatur. Cum enim duas res in uno ſuppoſi-

posito complere & ultimato subsistere implicet & verò Divina natura ὑπόστασις propria inseparabilis sit, facile patet, humanam naturam, anteqvam in unitatem personæ τῷ λόγῳ accedere posset, privari propria personalitate debuisse. Qvo tamen non obstante humana natura perfectissima fuit, cum defectum suppleverit hypostasis longe nobilior, nec personalitas in formali res sit sed modus ultimato subsistendi.

XII. Ornabant humanam in Christo naturam eximia animi corporisqve dona, qvæ ex divina imagine, ad qvam præservante materiam generandam ab omni vitio Spiritu S. formata fuerat, profluxerunt. Utpote animi mundities peccare prorsus nescia. Es. LIII, 10. Dan. IX, 24. Immortalitas animæ interna. Rom. VI, 23. qvamqvam morti sese liberrima voluntate subjecerit Joh. X, 17. 18. Corporis incorruptibilitas. Ps. XVI, 10. Et formæ elegantia, in qva sine dubio factum divina manu Adamum superavit. Ps. XLV, 3. Etsi illa temporis successu injuriis externis cesserit, deformitatiqve nostri causa locum reliqverit. Es. LIII, 3.

XIII. Humana hæc natura in unam cum Divinitate Filii personam per incarnationem sese conjunxit. In qvo opere & unio in actu, qvæ & unitio dicitur & unio in statu potest considerari.

XIV. Actus unionis incarnatio est, cum persona Divinitatis secunda, Filius Dei, humanam naturam in utero Mariæ virginis ad

personæ suæ unitatem terminavit, dum concepto supernaturali virtute semini sese intime conjunxit. Hebr. II, 14. 16.

XV. Unionis status seu unio ipsa formaliter participatio est ejusdem subsistentiæ, qvâ Filius Dei carnem terminat & substantialiter complet, ut neqve per se neqve per qvidlibet aliud, sed per solam ipsius verbi personalitatem constituatur in suo esse ultimo hypostatico & incommunicabili; naturarumqꝫ perpetua ad invicem præsentia, indeqve oriens proprietatum communicatio. Col. II, 9. Cujus modus, licet in tanto mysterio singularis sit & mirabilis, præeunte tamen Scriptura per ἄρσιν & θέσιν sufficienter explicari potest. Neqve enim unio sive per corruptionem, sive per confusionem, sive per conversionem, sive per coacervationem, sive per assistentiam, sive per habitudinem qvandam externam, sive per consensum merum, sive per sustentationem nudam facta est; mansit enim post unionis actum utraqve natura integra & tamen intimo ineffabiliqve modo sese permearunt naturæ: Sed per personalem naturarum idiomatumqve communionem. Id qvod doceri qvidem similitudine animæ & corporis, non autem exhauriri mysterium ὑπὲρ νῦν καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν positum potest.

XVI. Unionem hanc ita descripsit antiqva Ecclesia, ut diceret esse ἀχώριστον qvæ, tametsi absolute loqvendi solvi possit, actu tamen nunqvam solvatur. Hebr. VII, 3. Ἀσύγχυτον, ut

ut in unione qvælibet natura, naturæqve proprietas illæsa perseveret. Joh. I, 14. ἀδιάστατον, ut λόγῳ nec extra carnem, nec caro sit extra λόγον. Col. II, 9.

XVII. Sicut autem unio dupliciter consideratur, ita & propositiones ex unione resultantes pro diverso unionis respectu duplices reperiuntur. Qvædam enim ex unionis actu profluunt, ubi subjectum est persona divina simplex, prædicatum actus unitionis: ut, *verbum caro factum est*: Joh. I, 14. Qvædam verò ex statu, & tum concretum naturæ de concreto naturæ alterius enunciatur: ut *germen Davidis est Jehova*, id est, homo est Deus. Jer. XXIII, 5. Utriusqve generis propositiones, (etsi posterioris propriè personales dicantur) non secus ac unio ipsa realissimæ sunt, nec ob materiæ sine exemplo singularitatem ad usitatum prædicandi genus referri possunt, nisi qvando paronymica prædicatio ampliatur. Et secundum qvosdam luculentioris explicationis causa personalis propositio: Deus est homo, æqvipollenter redditur per hanc: Christus secundum divinam naturam, (ita enim evolvi existimant concretum naturæ divinæ) est homo. Luc. I, 35. Qvod tamen suo nunc loco relinqvimus.

XIIX. Unionem seqvitur communicatio. Communicatur eqvidem primo persona naturæ humanæ, ut ἐν τῷ λόγῳ subsistat, qvæ tamen communicatio conceptu ab unione rectè intellecta parũ differt. Qvid enim est uniri carni qvã

carni communicari? Cum verò naturæ personam consequantur, naturarum communicatio post unionem locum habet, quæ intima περιχωρήσει & permeatione exprimitur, non tamen ad naturarum usque de se se in abstracto enunciationem se se extendit. Quare etsi legas: *Hic homo verè est Filius Dei*; nunquam tamen legeris: Hæc humana natura est Divina Filii natura.

XIX. Sequitur autem imprimis idiomatum seu proprietatum communicatio. Quæ non est mera prædicatio propriorum unius naturæ de altera, [etsi prædicatio, ut communicationis consequens, accedat & per illam à nonnullis describatur] sed realis propriorum divinæ & humanæ naturæ in Christo θεανθρώπῳ participatio, denominata vel secundum alterutram vel secundum utramque naturam. Hanc & intimæ unionis ratio, quam communio etiam in exemplis unionis non tam accuratæ insequitur, & officium mediatorium, ad quod utriusque naturæ propria communi opera confluunt, & cultus, qui jubente Scriptura carni Servatoris defertur, requirit.

XX. Hæc communio seu communicatio, [in statu enim, non actu, vox capienda est] pro diverso ad personam & naturas respectu in diversa quoque dispertitur seu genera seu gradus. Quorum tria vulgariter & à Form. Conc. [cujus auctores melioris ordinis & distinctionis causa hanc primum distributionem fecere] ab aliis autem, qui rationibus non destituuntur,

qua-

qvatuor recensentur, qvod tamen qvartum genus sub primo potest contineri.

XXI. In primo genere propria utriusqve naturæ de tota enunciantur persona, cum vindicatione proprii ad propriam naturam & appropriatione ad unitam mediantibus particulis διακριτικαῖς, vel expressis vel subintellectis. Atqve ejus sunt tres qvasi species, qvarum prima ἀντίδοσις vocatur, ubi divina & humana attributa de toto Christo enunciantur: *Christus est ex patribus secundum carnem.* Rom. IX. 5. *Christus est heri & hodie & in æternum, secundum Deitatem.* Hebr. XIII, 8. Altera κοινωνία τῶν θείων, cum de concreto humano prædicantur attributa divina: *Priusqvam Abraham erat, ego sum,* Joh. VIII, 58. Tertia deniqve ἰδιωτοίησις, cum de concreto divino attributa dicuntur humana: *DEUS proprio sangvine redemit Ecclesiam.* Act. XX, 28.

XXII. Concretum naturæ dicitur natura cum connotatione subsistentiæ. Atqve hoc concretum attingit appropriatio in primo hoc genere, non verò naturam in abstracto. Sequimur hic ductum Scripturæ, qvæ ob communicationem βελτίωσιν in secundo genere de carne etiam in abstracto divina attributa ἐνεργητικὰ & ad actionem comparata enunciat, non item ob appropriationem de Divinitate humana. Et ratio est, qvia juxta Leonem, *perfectio non est assumentis sed assumpti.* Appropriationis autem istius modus ineffabilis qvidem

est, proprius tamen & figuræ omnis tropiqve expers; per qvam enunciatur, qvid per unionem non personæ tantum respectu solius carnis sed naturæ etiam Divinæ, mediante persona, sit proprium & ἴδιον factum, velut hac voce utitur Spiritus S. Act. XX, 28. Qvam propriè igitur verbum factum est caro, tam propriè vereqve de τῷ λόγῳ omnia ea rectè enunciantur, qvæ carni unitæ in sese conveniunt: & tam verè carnis proprietates de divina natura in concreto personaliter enunciantur, qvam verè naturaliter ipsi humanæ competunt naturæ.

XXIII. In secundo genere communicationis idiomatum communicata carni Divina prorsus attributa de humana natura tum in concreto tum in abstracto enunciantur. *Mihi data est omnis potestas.* Matth. XXIIX, 18. *Sanguis Christi emundat à peccato.* 1. Joh. I, 7.

XXIV. Attributa illa collectim accepta Majestatis Divinæ, [ne qvis ineffabilia qvidem & supernaturalia, non tamen divina prorsus dona carni communicata esse existimet] nomine exprimuntur, Col. II, 9. Qvæ tametsi omnia singulaqve communicata sint, prædicantur tamen de carne, ut in aliis etiam unionis speciebus fieri consvevit, ea tantum, qvæ ad ἐνέργειαν & operationem comparata sunt: velut omnipotentia, Joh. XVII, 2. Omniscientia. Col. II, 3. Omnipræsentia. Matth. XXIIX, 18. 20. Vivificatio. Joh. V. 25. 26. 27. Et adorationis cultus. Phil. II, 9. 10.

XXV. Modus communicationis secundum speciem

ſpeciem ineffabilis qvidem eſt, præcedenre tamen Scriptura, neqve exæqvat neqve confundit naturas, neqve carnem ſubjectum attributorum formaliter aut eſſentialiter ei inhærentium facit, non tamen ideo nude verbalis eſt & in mera prædicatione conſiſtit, ſed realis, ſecundum modum hypoſtaticæ unionis, *ut divina idiomata in humana natura liberrimè luceant & per eam divinam ſuam virtutem, efficaciam, majeſtatem exerceant, operentur & perficiant*, ut hoc myſterium exponit For. Conc. Decl. Art. de Chr. Qvem accuratum communicandi modum, ut Philoſophi exprimerent, attributa illa de humana natura, non per extrinſecam, ſed intrinſecam denominationem prædicari dixerunt, qvod tametſi formaliter carni non ineſſent, ad formalem tamen ineſſentiam qvam proximè accederent.

XXVI. In tertio genere, ſqvod in Form. Conc. ſecundum eſt) participat totum compoſitum de concurſu operum utriuſqve naturæ in operibus officii. *Filius Dei condemnavit peccatum in carne per peccatum.* Rom. VIII, 3.

XXVII. Principium igitur ἐνεργητικὸν eſt utraqve natura, à qvib. duplex fluit ἐνέργεια ſeu actio cuilibet naturæ propria, qvæ terminatur immediate in opus utriqꝫ pariter naturæ proprium, ἐνέργημα dicitur, & ultimo in ἀποτέλεσμα ſeu effectum, utriqꝫ naturæ cõmunem. Qvæ licet doctrinæ cauſa à veteri Eccleſia ita diſtinctè proponantur, neqvaqvã tamen ſive naturarũ inter ſeſe ſive actuum indefluentiũ ulla cogitari debet in ordine ad effectum vel ſeparatio vel diſtantia.

Qvippe

Qvippe ne mentis qvidem ἐπινοίᾳ fingi potest, esse in salutis nostræ negotio aliqvid, qvod sive à Divinitate præcise vel nude ab humanitate, absqve utriusqve inseparabili communicatione & appropriatione procedat. Qvælibet actionis ἰλεστικῆς particula, ubiubi humana est, divinitatis est oleo infecta, ubiubi divina est, humanitatis est infirmitate colorata. Atqve illud est, qvod veteres dixerunt: *qvælibet natura agit, qvod sibi proprium est, cum communicatione alterius.*

XXVIII. Admiranda hujus unionis & communionis hactenus delineatæ finis est officii executio, qvod tergeminum esse suffulto qvibusdam argumentis usu obtinuit. Nonnulli forte fine gravi causa ad duo revocant, ut Sacerdotali Propheticum, tanqvam pars adjungatur; nobis recepta placet distinctio, qvanqvam non adeo antiqva.

XXIX. Propheticum officium id est, qvo tum à mundi exordio partim in suamet persona forma Angelica vestita, partim per Patriarchas atqve Prophetas futuro muneri qvasi præludendo: tum sub finem mundi, partim immediatè in assumpta carne, partim mediatè per Evangelistas & Apostolos voluntatem divinam lege & Evangelio comprehensam, omnibus, qvantum in se erat, hominibus revelavit, vi qvadam docendi efficacissima, qva & adversarios felicissime prostravit & salutarem doctrinam animis, haud pertinaciter reluctan-

luctantium, implantavit. *Spiritus Domini super me, qvi unxit me & misit ad annunciandum Evangelium pauperibus, ad sanandum corda contrita, ad concionandum captivis libertatem, cœcisq; visum,* Es. LXI, 1.

XXX. Sacerdotale officium versatur circa reconciliandum DEO per plenariam pro peccatis satisfactionem & non interruptam pro nobis intercessionem genus humanum. *Sicut infantes communicant carni & sanguini: ita similiter participavit iisdem, ut per mortem adimeret potestatem ei, qvi mortis habebat imperium. h.e. Diabolo & redimeret eos, qvi metu mortis per totam vitam servi erant.* Hebr. II, 14. 15.

XXXI. Cujus officii duæ sunt partes: Satisfactio & Intercessio. Satisfactionis autem vocabulum paulò latius hic capitur, prout & meritum includit.

XXXII. Principium, qvod satisfacit, sive Sacerdos, solus est Christus, nulla, ne angelica qvidem creatura in operis consortium veniente. Es. LXIII. 1. isqve secundum utramqve naturam consideratus. Rom. V. 10. Objectum, cui satisfactum est, Deus trinunus, peccatis læsus. Psalm. LI. 6. Objectum, pro qvo satisfactum, reale, omnia sunt singulaqve hominum peccata, 1 Joh. I. 7. Omnesqve peccatorum pœnæ, ne infernali qvidem exclusa. Es. LIII. 5. Personale vero non angeli. Hebr. II. 16. neqve Christus ipse. Hebr. VI. 26. 27. Sed homines, iidemqve, qvotqvot ex Adamo vitiosum

sum sangvinem traxerunt, omnes. Joh. I, 29. Medium, per qvod satisfactum, obedientia Christi legi patiendo & agendo præstita. Psal. XL. 7. 8. 9. Forma satisfactionis in persolutione & merito alieni consistit. Ps. LXIX, 6. Act. XX, 28. Finis deniqve ex parte Dei gloria justitiæ. Rom. III, 25. 26. Ex parte nostri redemptio. Hebr. IX, 12.

XXXIII. Ad satisfactionem criminalem, eamqve vicariam, tria reqviri in confesso est: ut invicem peccantis innocens succedat: ut innocenti peccantis delictum imputetur: ut innocens pœnam peccantis delicto proportionatam sustineat. Qvæ duo effectus consequuntur, nam judex innocentis facto conciliatur & peccans impunitatem consequitur. Jam verò Christus hominis peccatoris vicem sponte subiit. Rom. IIX, 32. Ei, ex sese innocenti, peccatum hominis imputatum est. 2. Cor. V, 21. Pœnam peccato debitam pertulit. Es. LIII, 5. 6. Qvo facto judex cœlestis reconciliatus fuit. 2. Cor. V, 18. Et homo peccator impunitatem impetravit. Rom. V, 1. Sequitur ergo, Christum vicaria ratione pro peccatis nostris propriè satisfeciisse.

XXXIV. Qvamqvam verò, qvæ Divinitatis persona hoc mediationis atqve satisfactionis opus perficeret, in liberrimo Trinitatis arbitrio positum fuisse dicatur: à persona tamen divina, suppositò, homini peccatori ad recuperandam salutem ex divinâ voluntate subveni-

veniendum fuisse, non ab alia qvacunqꝫ creatura satisfieri potuit. Læsa enim fuerat infinita justitia, cui repugnat qvodlibet, vel minimum, peccatum dimittere impunitum, nisi pœna vel in peccante vel in vade fuerit exacta. Peccatum verò infinitæ malitiæ est, cujus pœna ab homine nudo, qvi finitus est, persolvi sine æterno exitio neqvit. Qvare proprio filio DEUS Pater ad redimendum hominem non pepercit, cujus, si alia ratione eundem redimere potuisset, utiqve pepercisset. Rom. IIX, 32.

XXXV. Cum igitur persona satisfaciens fuerit infinita, infiniti qvoqꝫ precii pasionem & actionem, qvam subiit, fuisse necesse est, non qvod in infinitum ratione temporis illa aut extensa fuerit aut extendi illam oportuerit, sed qvod ex personæ dignitate ipsis actibus precium, qvalis ipsa persona est, accreverit, ut vel una sangvinis effusi guttula, si valorem ejus internum respicias, eluendo peccatorum mari sufficisse dici qveat, nisi providentiæ Divinæ & sapientissimæ dispositioni hunc potius qvam alium pasionis ordinem præscribere ab æterno placuisset. Neqve in se tantum infiniti ponderis isthæc est satisfactio, sed ex voluntate etiam atqve intentione divina ad omnes singulosqve homines, [dæmonum enim cur non eadem ratione misertus sit DEUS, imperscrutabile est] pertinet, toto sacrarum Literarum codice id abundè conte-

conteſtante. 1 Joh. II. 1. 2. Rom. III. 23. 24. 1 Tim. II, 4. 5.

XXXVI. Alteram ſatisfactionis partem intercesſio conſtituit, qva Chriſtus partim generaliter pro omnibus hominibus partim ſpecialiter pro fidelibus & electis, Deo Patri, meritum ſuum qvaſi præſentando, vere qvidem, licet modo nobis incomprehenſibili rogat, ut vel ad fidem convertantur, vel in fide conſerventur. *Rogo pro eis, & non pro mundo, ſed pro iis, qvos mihi dediſti, qvia tui ſunt.* Joh. XVII, 9. *Pater, remitte crucifigentibus me, qvoniam ignorant, qvid faciant.* Luc. XXIII, 34.

XXXVII. Regium deniqve officium id eſt, qvo genus humanum, per redemptionem in regnum ſibi adſertum, potenti manu omnipræſentiſsimus monarcha, ſecundum utramq; naturam regit atqve gubernat, inprimis fideles ex naturali miſeria ereptos contra Diabolum & mundum tuetur, in ipſius gloriam & hominum ſalutem. *Suſcitabo regem Davidi, qvi ſapiens erit & faciet judicium & juſtitiam in terra, In diebus illis ſalvabitur Juda & Iſrael habitabit confidenter.* Jer. XXIII, 5. 6.

XXXIIX. Imperium iſtud velut in triplici regno adminiſtrat. Qvorum primum regnum adpellatur potentiæ, cum omnibus creaturis hominis cauſa imperat, iisqve in ſalutem ejus utitur. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves & pecora campi, volucres cœli & piſces maris. Domine Zebaoth, qvam admirabile eſt*

nomen

nomen tuum in omni terra. Psalm. IIX, 8. 9. 10. 1. Cor. XV, 27. Secundum Regnum gratiæ, cum ministerio verbi & Sacramentorum ex universo mundo per fidem Ecclesiam sibi colligit, collectamqve conservat. *Ipse dedit qvosdam Apostolos, qvosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Eph. IV, 10. 11. 12. Tertium Regnum gloriæ, cum in fide perseverantibus plenarium & incessantem gaudiorum cœlestium perceptionem impertitur. *Tunc dicet Rex his, qvi à dextris ejus erunt: venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et ibunt justi in vitam æternam.* Matth. XXV, 34. 45.

XXXIX. Qvamqvam vero æternum sit atqve rectè dicatur regnum Christi, Luc. I, 33. non tamen ab æterno id administravit, cum nec ab æterno subditos imperio suo habuerit, nec humana gavisus fuerit natura: Sed ab æterno ad id DEI decreto destinatus, in Veteri Testamento externis se formis sociando ei præluſit, à momento unionis imperium qvidem & summam in res omnes potestatem ad possessionem accepit, sed plenario usu ad tempus usqve sessionis ad dextram sese abdicavit. Postqvam autem in cœlum ascendens imperio, ejusqve interminabili usu potitus est, in omnem æternitatem sine omni fine re-

bus dominatur, sicut de his amplius postea dicetur.

XL. Perfunctus est Servator noster his officiis in duplici statu, qvorum prior exinanitionis, alter exaltationis vocatur. Cui, ut tertius seu intermedius addatur, neqve Sacra Scriptura, neqve necessitas alia reqvirit. *De torrente in via bibet, propterea caput exaltabit.* Psal. CX, 7.

XLI. Exinanitionis status is est, cum Christus secundum humanam naturam, qvæ divina idiomata primo conceptionis momento per unionem ad possidendum accepit, eorundem plenario & nunqvam interrupto usu verè realiterqve, voluntariè tamen & ad tempus eum in finem sese abdicavit, ut pro tentato à primis parentibus nostris Deiformitatis raptu justitiæ divinæ satisfacere, nosqve in æternam salutem asserere posset. *Christus Jesus, cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqvalem DEO, sed sese exinanivit, formam servi accipens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus, ut homo. Humiliavit se ipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. II, 6. 7. 8.

XLII. Sunt autem hujus exinanitionis qvidam five gradus five species: *Conceptio* cum Filius DEI in utero Mariæ semini miraculosâ Spiritus Sancti ἐπιλεύσει ab omni impuritate præservato instructoqve animâ ex anima Mariæ ducta sese ad unius suppositi exi-

existentiam conjunxit, ut effigiari inter dolores corpus organicum & ad futuram nativitatem elaborari posset. Luc. I. 35. *Nativitas*, cum infans ex utero materno, rupto sine dubio virginali claustro & modo ordinario egressus, vitam miseram & ærumnosam hausit. Hebr. II. 14. *Passio*, cum per totum vitæ tempus, inprimis sub ejusdem finem, varias corpore animoqve calamitates, insidias, persecutiones, vincula, verbera, scommata, voluntariè qvidem sed verè proprieqve sustinuit. Esa. LIII, 2. f. *Mors*, cum corpus tot fatigatum passionibus, verè localiterqve ab anima separatum fuit. Luc. XXIII, 43. 46. Deniqve *sepultura*, cum curante Josepho & Nicodemo corpus exanime è crucè translatum in hortum inqve sepulcro repositum, in eo per triduum permansit Matth. XXVII. 57. f.

XLIII. Memorabilis in pasfione Salvatoris inprimis est derelictio à DEO, dum qveritur: *DEUS meus, DEUS meus, qvare me dereliqvisti?* Matth. XXVII. 46. & ἀγωνία in horto dolorqve sangvineum sudorem exprimens. Luc. XXII. 44. Deserit autem Deus Pater, [non tamen excluso λόγῳ, solatium ac auxilium unitæ carni subtrahente,] Christum secundum humanam naturam, ut totum genus humanum repræsentat, inprimis animam secundum partem inferiorem

pariter ac superiorem non deliqvium divinitati ipsi, qvæ ἀπαθὴς est, inferendo, nec unionem personalem, qvæ indissolubilis est, aut idiomatum communionem solvendo, neqve fiduciam in DEUM, qvod contra legem est, subtrahendo, sed gratiâ cœlesti & oriundis ex inhabitante Deitate solatiis privando. Qvam sponte insequitur exqvisitissima dolorum infernalium passio, qvi licet æterni non fuerint duratione, si tamen intensionem eorundem & personæ patientis infinitatem respicias, æternis non tantum æqvipollent, sed longissimè eosdem supergrediuntur. Hæc peccatorum fuerant supplicia, qvæ dum in sese susceperat Christus, non poterat non à DEO patre tanqvam κατάρα & peccatorum omnium maximus, imò ut peccatum ipsum tractari, dicente Apostolo, Gal. III, 13. 2. Cor. V, 21.

XLIV; Ut ita concipi, ut nasci, ut pati, ut mori posset, ut sepeliri & verbo, infinitam peccatorum pœnam sustinere, Christus, opus fuerat, ut non nudè tantum occultaret, sed prorsus deponeret τὴν μορφὴν τῦ θεῦ, *statum DEI gloriosum*, seu plenarium & non interruptum divinæ majestatis usum; qvem si duntaxat occultasset, revera autem exercuisset, putative tantum & secundum opinionem hominum isthæc omnia subiisset, qvi tamen *verè* passus est. Es. LIII, 4.

XLV.

XLV. Nominatim semet abdicavit Christus usu *opulentiæ*, cum nostri causa non quidem mendicus, sed pauper tamen revera factus, neque sibi neque aliis divitias ullas prodegit. 2. Corinth. VIII, 9. *Omnipotentiæ*, cum factus infirmus illatas ab hostibus injurias non propulsavit, licet patientem naturam sustentaverit, ponduseque ei addiderit infinitum. Luc. XXIII, 33. 35. *Omnisapientiæ*, cum à puero sicut ætate ita sapientiæ profectibus quotidie crevit. Luc. II, 52. *Omniscientiæ*, cum extremum diem verè proprieque ignoravit. Marc. XIII, 32. *Cultusq; religiosi*, cum infra angelos dejectus, confortari ab angelo debuit. Hebr. II, 7.

XLVI. Sed & omnipræsentiæ actu secundo ita semet exinanivit, ut secundum carnem nullis aliis, præterquam quæ corpore suo subinde occupaverat, locis ad extra ordinariè fuerit præsens. Id quod inprimis ex triduano mortis spatio, ubi juxta animam in paradiso, non sepulcro, juxta corpus in sepulcro, non paradiso fuit, illæsa utrobique manente personali unione, elucescit. Quæ tamen ad extra præsentia, quam externam seu extimam nonnulli vocant, dum de carne Christi illo in statu negatur, ad interioris tamen, quæ est λόγῳ ad carnem & carnis ad λόγον, in omnibus, quæ fingi possent, locis negationem inde non rectè concluditur. Marc. XVI, 6.

XLVII. Qvamqvam verò, ceu diximus, plenario & inceſſante donorum ſibi collatorum uſu ſeſe in diebus carnis ſuæ abdicaverit Chriſtus, ſubinde tamen, qvando, ubi & qvoties viſum fuit, ſingulatim vel conjunctim ea exercuit, ſicut exemplis, qvæ brevitatis cauſa non adducimus, paſſim conſtat.

XLIIX. Seqvitur ſtatus exaltationis, cum è paſſione ad gloriam, ex humilitate ad majeſtatem, ejuſqve plenarium, nec unqvam interruptum uſum, per qvosdam qvaſi gradus ſecundum carnem evectus, hodieqve in perpetuum univerſo dominatur mundo, ab omnibus ideò creaturis religiosè adorandus. *Exaltavit Deus Chriſtum & donavit ei nomen, qvod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum & omnis lingva confiteatur, qvod Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Phil. II. 9. 10. 11.

XLIX. Primus igitur gradus deſcenſus eſt ad inferos, ubi Chriſtus ſpiritu vivificatus ſecundum carnem, anteqvam reſurgeret, ad carcerem infernalem verè proprieqve deſcendit, ut triumphum duceret de hoſtibus, poteſtatemqve ſuam cœlo & terræ incumbentem manifeſtaret. Eph. IV. 8. *Qvomodo autem Chriſtus id effecerit, non eſt, ut argutis & ſublimibus imaginationibus ſcrutemur. Conſulimus enim, de hac re non eſſe diſputandum, ſed qvam ſimpliciſſimè hunc articulum credendum & docendum eſſe*, ait Form. Conc. loc. de hoc Art.

L. Se-

L. Secundus est Resurrectio, cum corpore cum anima propria virtute redunito è clauso sepulcro tertia die egressus, variis se apparitionibus vivum præsentavit, eum in finem, ut meritum præcedens & beneficia per id parta credentibus applicaret. Rom. IV, 25.

LI. Tertius deniqve est Adscensio, cum è monte oliveti sec. carnem vera realiqve loci mutatione, atqve in sublime elevatione, non tamen secundum modum corporis naturalis sed per œconomiam singularem per aërem primo ad nubes, deinde à nubibus ad cœlum sidereum & ab hoc ad ☌ beatorum elevatus, clausum nobis reseravit paradisum. Act. I, 9. 11.

LII. Immediatum adscensionis consequens est sessio ad dextram, cum in plenarium divinorum attributorum usum, inprimis dominium rerum omnium universale & omnipræsentissimum ideò secundum carnem intromissus est Salvator noster, ut pro nobis perpetuo apud Patrem interpellet & Ecclesiam suam gratiose protegat atqve defendat. Neqve enim dextra Dei peculiaris in cœlo locus est, sed potentiam majestatemqve divinam in sacris signat, sicut sedere non est locum occupare sed infinitum obtinere dominium. Eph. I, 20.

LIII. Adscensio isthæc & sessio omnipræsentiam carnis Christi ad creaturas omnes, inprimis Ecclesiam, adeo non destruit, ut potius confirmet. Ideò enim adscendit & ad

dextram consedit, ut omnibus dominari creaturis, omniaqve in omnibus implere posset. At nec dominari absens, qvod impotentiæ & infirmitatis est, nec omnia implere sine sui ad res implendas præsentia potest, Jer. XXIII, 24. Neqve verò localis hæc est præsentia, sed divina & illocalis, qvæ diversos admittat gradus, modosqve. Potenter enim præsens est creaturis omnibus. Ephes. I, 23. gratiosè fidelibus, Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. sacramentaliter symbolis externis. Matth. XXVI, 26. singulariſſimè suæ carni. Col. II, 9. Qvare rectè Formula Concord. *Credimus superioribus Scripturæ testimoniis majestatem Christi hominis declarari, ut secundum assumptam naturam & cum ea præsens esse possit & qvidem præsens sit, ubicunqs velit, præsertim verò sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris, ut mediatorem, caput, Regem & summum Sacerdotem præsentem esse.*

LIV. Atqve hic hactenus descriptus, talisqve Servator, his in officiis, his in statibus, isqve solus, genus humanum universum ob crimen læsæ majestatis divinæ æternis carceribus mancipandum, ab ira justissimi DEI, peccatorum severissimi vindicis, ejusqve ministro, infernali dæmone, obedientia sua cum activa tum passiva, jure sangvinis, cum ex patribus nostris genitus esset, viribus ad id infinitis & voluntate nos juvandi propensissimâ instructus, legis maledictioni ad sanguinem usqve mortemqve se subjiciendo, ean-

eandemqve perfectè implendo redemit, inqve gratiam divinam & salutis æternæ spem asseruit, rediturus in extremo die ad judicandum vivos & mortuos; qvicunqve verbis ejus fidem denegant & carnis opera perficiunt, ad infernales æternasqve pœnas detrusurus, qvi verò tot tantaqve merita & fideli manu apprehendunt & vita fide digna æstimant, ad gaudia nunqvam terminanda introducturus.

EXERCITATIO IX.

ARTICULI De DEO & SS. TRINITATE

Compendiariam per Theses delineationem complectens.

I.

DE DEO in principio Augustanæ Confessionis ita sentiunt docentqve Ecclesiæ Lutheranæ: *Decretum Nicenæ Synodi de unitate essentiæ Divinæ & de tribus personis, verum & sine ullâ dubitatione credendum esse. Videlicet, qvod sit una essentia Divina, qvæ & appellatur & est Deus æternus*

incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate; creator & conservator omnium rerum visibilium & invisibilium: & tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Et nomine personæ utuntur eâ in significatione, qvâ usi sunt in hac causa Ecclesiastici Scriptores, ut significet non partem aut qvalitatem in alio, sed qvod propriè subsistit.

II. Qvamqvam verò iidem Confessores errorum etiam, qvi præsentem articulum sive in antiqvitate sive ætate recentiori oppugnarunt, nominatim mentionem faciant: *Damnant*, inqviunt, *omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qvi duo principia ponebant, bonum & malum; Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & Neotericos, qvi, cum tantum unam personam esse contendant de Verbo & de Spiritu S. astutè & impiè rhetoricantur, qvod non sint personæ distinctæ, sed qvod verbum significet verbum vocale & spiritus motum in rebus creatum;* nobis tamen pro instituto nostro, ut omnes norunt, Thesi simpliciter inhærendum est, antithesi ad alias occasiones dilata.

III. Dei vocabulum, cum impropriè sumitur, vel eum notat, qvi DEI personam & majestatem certa ratione in his terris repræsentat, utpote magistratum, Ps. XXCII, 1. vel qvi ex errore putatur esse Deus & pro tali habetur. 1. Reg. XIIX, 27. Propriè sumtum notat id, qvod à nullo est, ab eo verò cætera omnia descendunt.

IV. Etsi

IV. Etsi verò incomprehensibilis sit Deus, *cum inaccessam inhabitet lucem*, in qva multa neqve intueri ob splendorem, intellectus nostri oculis intolerabilem, neqve comprehendere ob infinitatem ejusdem valemus, I. Tim. VI, 16. Et ideò ineffabilis, cum *summus spiritus*, dicente Augustino, *sicut à nullo intellectu, valet propriè cogitari, ita nulla definitione possit propriè definiri vel determinari*: in tantum tamen cognosci potest, in qvantum ipse semet revelavit. *Nunqvid enim ideò negandum est, qvod apertum est, qvia comprehendi non potest, qvod occultum est*? ait *Augustinus*. Et pulcrè *Cyrillus* Hierosolymor. Episcopus: *At dicet qvispiam, si comprehendi neqvit essentia Divina, qvid est, qvod tu de his enarras? utrum, qvia totum fluvium ebibere neqveo, qvod commodum & utile mihi est, moderatè non sumam*?

V. Principium, unde de Deo aliqvid cognoscitur, duplex est: Natura & Scriptura.

VI. Dari de Deo naturalem qvandam notitiam, constat non expresso tantum S. Literarum testimonio, Rom. I, 19. II, 15. sed sensu qvoqve & experientia, in iis, qvi revelato lumine destituti aliqvam tamen de Deo & Divinis rebus habuere cognitionem.

VII. Ex sola tamen revelatione innotescit, hanc notitiam esse duplicem, innatam & acqvisitam. Qvarum illam appellamus innatum homini naturæqve a nativitate insitum de DEO conceptum, secundum qvem infantes etiam, modo nobis imperscrutabili, Deum

DEum esse norunt. Rom. I, 19. *Id qvod cognoscitur de DEO, manifestum est in gentilibus.* Rom. II, 14. 15. *Id enim DEus per ipsammet naturam in cordibus ipsorum scripsit.* Id autem, qvod cognoscitur de DEO, sunt conceptus & propositiones de DEO formatæ, qvæ hoc ipso non potentia tantum intellectui hominis recens nati inesse possunt, sed actu inesse debent, qvia manifestæ sunt, qvia scriptæ sunt. Sicut qvod manifestum & scriptum est in tabulâ nigrâ, non potentia ei sed actu inest.

VIII. Acqvisita verò est, notitia partim ex primis illis naturæ insitis principiis, partim collectione ex operibus, aut argumentis aliis, innatis illis conceptibus superaddita, illoqve instar habitus perficiens. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suas, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Rom. II, 15. Qvamqvam nonnulli eam, qvæ ex innatis principiis oritur, insitæ adnumerent & acqvisitæ nomine eam duntaxat, qvæ ex creaturis argumenta sumit, adpellent.

IX. Ita autem progreditur in cognoscendo DEO ratio, ut partim ex causarum subordinatione, qvæ natura duce infinitæ esse non possunt, sed in unâm aliqvam supremam, qvæ Deus est, tandem necessario terminantur, Deum aliqvem dari evincat; qvæ dicitur *Via causalitatis*: partim ex relatione creatoris ad creaturam, vel imperfectiones creaturarum à DEO remo-

removeat, qvæ dicitur *Via negationis*; vel perfectionis earundem DEO, eminentiori modo convenire colligat, qvæ *Via eminentiæ* vocatur: partim ex conscientiæ stimulo, in male factis occultum & supremum judicem timentis, Deum esse, eundemqve justum & mali vindicem esse, argumentetur. Qvibus accedit consensus tot gentium hominumqve. Nam *veritatis argumentum est, videri aliqvid vel omnibus vel pluribus vel sapientioribus*, ait Seneca.

X. Ex qvo simul id patet, Naturalem de DEO notitiam non excedere existentiæ & essentiæ Divinæ considerationem, adeoqve nec salutarem esse; sed etsi essentiam DEI ultimato & personaliter subsistere cognoscat, neqvaqvam tamen cognoscit, eandem sub tribus personis subsistere. Id qvod patet, ex defectu cujusvis idoneæ probationis. Nam qvæ à veteribus qvibusdam pro Trinitatis mysterio argumenta adducuntur, vel vestigia tantum sunt Trinitatis in creaturis comparentia, vel argumenta κατ' ἄνθρωπον: qvæ verò à qvibusdam recentioribus, solvi facile & instantiis elidi possunt.

XI. Ergo DEUS duplici ratione considerari potest, qvoad Essentiam & qvoad Personas.

XII. Qvoad essentiam DEus est Spiritus independens.

XIII. Genus hujus definitionis est spiritus, in qvo conceptu cum spiritibus creatis, angelis

gelis & anima humana convenit, Joh. IV, 24. Spiritus autem substantia est materiæ omnis & formæ physicæ expers. Luc. XXIV, 39. Qvicqvid igitur Deo corporei in Scriptura tribuitur, id per figuram, qvæ ἀνθρωποπάθεια vocatur, exaudiendum esse, ex se intelligitur.

XIV. Differentiæ locum occupat independentia. Qvi conceptus Dei proprius partim hinc probatur, qvia primo in Deo concipitur, Exod. III, 14. & ex eo attributa omnia consequuntur: partim qvia oppositum Dei, creatura in esse creaturæ per dependentiam constituitur. Rom. IV, v. 17. Id qvod amplius ita ostenditur: In creatis, qvo aliqvid magis à positione causarum recedit, eo ad essentiam Divinam propius accedit. Jam vero independentia est causarum omnium negatio. Ergo essentiam Divinam formaliter constituet. Porrò qvamdiu 'aliqvid causam habere concipitur, tamdiu non est primus ejus rei conceptus. At omnia attributa Divina præter independentiam causam habere concipiuntur. Ergo. Deniqve creare nihil est aliud, qvam ex nihilo aliqvid facere. Ergo creatura factura est ex nihilo. Factura autem seu id, qvod factum est, formaliter est id, qvod causam habet. Ergo id, qvod creaturæ opponitur, formaliter erit id, qvod causam non habet. At causam non habere & independens esse sunt idem. Accedit ad hæc argumenta, qvod cum Deus à Mose discretivum ab omni-

omnibus Diis creatis nomen interrogaretur, nomen יהוה *Jehovæ* sibi imposuerit, qvod ens independens significat. Neqve enim aliter intelligi possunt verba: אהיה אשר אהיה, *Ero qvi ero.* Exod. III, 14. q. d. ita sum, ut à nulla causa fieri possit, ut non sim, h. e. independenter. Qvare & incommunicabile est hoc nomen. Psal. LXXXIII, 19.

XV. Attributa verò ideò hanc definitionem non ingrediuntur, qvia sunt conceptus tantum secundarii, ex primo essentiali, qvi independentia est, profluentes; qvales accuratis definitionibus inferri non consueverunt. Differuntqve hæc attributa à Deo non realiter, qvia, qvod ens simplicissimum est, id omnem respuit compositionem. Qvicqvid autem unum est, ex pluribus realiter distinctis constans, id compositum est. Posito igitur, Deum ex pluribus realiter distinctis rebus, (personæ enim, qvia formaliter non res, sed ultimato subsistendi modi sunt, compositionem non faciunt) constare, qvæ tamen unum sunt, necesse est, id per unionem fieri, adeoqve Deum componi, qvod absurdum est.

XVI. Differunt igitur attributa Divina ab essentia & inter se sola ratione ratiocinata, ut vocant, hoc est, qvandam differentiam, cum fundamento tamen, nudè concipiente. Qvicqvid enim nonnisi cogitante intellectu differt, id nonnisi ratione differt. Et qvicqvid in connotatis suis realem differentiam habet

habet, id cum fundamento qvodam differt. Est autem hoc connotatum id, qvod attributum qvodlibet ad extra respicit, ut peccatum misericordia, pœnam justitia, possibile omnipotentia, scibile omniscientia, & sic porrò. Attributa igitur in se considerata, ταυτό τι sunt cum essentia Divina, in connotatis autem spectata, non tam attributa qvam eorum connotata differunt realiter.

XVII. Sunt autem attributa illa; Unitas, simplicitas, perfectio, intellus, ad qvem omniscientia & veritas; voluntas, ad qvam sanctitas, bonitas, justitia, & ad hæc affectus, amor, misericordia, odium, pertinent; vita, ad qvam immortalitas; immutabilitas, ad qvam æternitas; infinitas, ad qvam immensitas, ubiqvitas, & omnipræsentia; omnipotentia; ad qvæ omnia, invivisibilitas, incomprehensibilitas & ineffabilitas, aliaqve ejusmodi certâ ratione referuntur.

XVIII. Unitas DEI hic non spectatur absolutè, in qvantum DEus ut in se indivisus concipitur; hanc enim cum cæteris rebus omnibus communem habet, sed respectivè, respiciendo, non plures personas, sed essentias divinas plures, easqve excludendo atqve negando. Qvæ unitas DEO adscritur Deuter. VI, 4. IV, 35. XXXII, 38. Esai. XLIV, 6. XLV, 5. Marc. XII, 29. Eph. IV, 6. 1. Cor. VIII, 6. Eaqve ex ratione qvoqve tam manifestè constat, ut saniores etiam gentiles agnoverint, contradictionem

ctionem implicari, si dicantur plura dari, qvam unum independens, unum infinitum, unum omnipotens, unum simpliciter perfectum. Si enim concipias plura infinita & perfecta, tum unum eorum non habebit omnem perfectionem, qvia non habebit eam, qvam habet alterum. Et per consequens non erit Deus.

XIX. Sed & II. simplicitatem Deo sacræ non minus literæ qvam rationis dictamen tribuit. Illæ qvotiescunqve sub abstractivis simplicissimisqve nominibus de Deo loqvuntur. Joh. XIV, 6. Hoc verò, qvia independens non summè simplex esse non posse ostendit. Compositum enim à partibus suis, ut causis constituentibus, dependet. Præterea, qvicqvid nullo modo compositionis realis est compositum, id ens simplicissimum sit necesse est. Jam Deus neqve compositus est ex materia & forma qvia est spiritus; neqve ex partibus integrantibus, qvia non habet materiam; neqve ex subjecto & accidente, qvia accidens Deum, substantiam in se perfectissimam, perficere neqvit; neqve ex natura & subsistentia, qvia à nullo dependet.

XX. Opponitur autem hæc simplicitas non pluralitati personarum, qvippe qvæ, non ut plures res ad unum constituendum unjuntur, sed tantum unam rem simplicissimam sub trinâ hypostasi incommunicabiliter, existere faciunt: nec compositioni rationis, qvippe qvæ Deo, perfectionum pelago, qvas uno actu

intellectus humanus comprehendere neqvit, non repugnat: sed compositioni reali, de qvâ antea dictum.

XXI. Porrò III. perfectionem non qvamlibet, qvam cum imperfectione mixtam res cæteræ omnes in suo genere possident, sed absolutam, qvæ omnem omninò perfectionem includit, omnem imperfectionem excludit, Scriptura pariter & Natura Deo adsignat. 1 Tim. VI, 15. 16. Qvod enim à nullo dependet & essentiæ suæ non habet limites, id neqve perfectionis habet terminos & per consequens simpliciter est perfectissimum. Sunt igitur in Deo omnes creaturarum perfectiones vel formaliter, qvæ in formali conceptu imperfectionem non involvunt; vel eminenter, qvæ in certo genere perfectionem dicunt, cum imperfectione mixtam, ubi eminentius qvid est in Deo cum virtute illam producendi. Præterea considerantur illæ vel qvoad conceptum communem, vel qvoad proprium. Illo modo formaliter, hoc eminenter sunt in Deo.

XXII. Intellectum IV. Deo competere, qvia spiritus est & qvia res omnes certo & intelligenti ordine regit, indubium est. Cum autem omnis intellectus vel discursivus sit, qvi ex notiori procedit ad ignotius, à causa ad effectum: vel non discursivus, qvi res in seipso & in seipsis immediatè cognoscit, absqve ulla imperfectione, ex se patet, intellectum non-

nonnisi posteriori modo acceptum esse attributum Divinum. Hebr. IV, 13. Rom. XI, 34.

XXIII. Ab hoc intellectu parum differt omniscientia Divina. Cujus objectum primarium est Deus, secundarium res omnes extra Deum. Ps. CXXXIX, 1. s. Cognoscit enim Deus non tantum sese cognitione comprehensivâ, ut nihil eum lateat ejus, qvod est in Deo, sed etiam res extra sese creatas, easdemqve non præsentes tantum, sed etiam contingenter futuras: Qvod & exempla scripturæ & intellectus Divini perfectio & infinitas confirmant. Es. XLI, 22. 1 Sam. XVI, 7. Hæc tamen ad omnia sese extendens præscientia Dei rerum præscitarum libertatem neqvaqvam tollit. Cum enim prius res fieri & esse concipiatur, qvam sciri, seqvitur, scientiam non posse esse causam rei, qvia id, qvod posterius est, non potest esse causa ejus, qvod est prius. Et qvamqvam DEus non nuda scientia sed operatione qvoqve ad res omnes concurrat, operatio tamen ista illimitata est, reiqve libertatem non auffert.

XXIV. Recipit autem hæc scientia Dei pro vario rerum, in qvas fertur, statu varias denominationes. Cum enim Deus cognoscit res possibiles simpliciter, simplicis intelligentiæ & naturalis; cum præsentia, præterita & futura absolutè, sive necessariò futura sint, sive contingenter, libera & visionis; cum res sub conditione futuras, Media vocatur. Qvæ aliqvid participat de liberâ, qvatenus est

rerum certo modo futurarum, & aliqvid de naturali, qvatenus prior est decreto divino, sicut naturalis. Qvare dum à nonnullis ad naturalem refertur, hæc amplianda est. Probatur autem tum ex locis scripturæ compluribus. Matth. XI, 21. 1. Sam. XXIII, 12. tum ex scientiæ Divinæ infinitate.

XXV. Refertur ad intellectum divinum veritas, duplici ratione: Metaphysicè, secundum qvam Deo nihil deest eorum, qvæ ad ejus essentiam reqviruntur; qvæ ex existentia Dei legitimè deducitur & à sacris Auctoribus Diis fictitiis opponitur. Jer. X, 10. 1 Thess. 1, 9. 1. Joh. V, 20. Et Moraliter, qvâ repugnat esse conceptum in Deo, rei ipsi conceptæ difformem, qvæ immutabilitatis consequens est. Cujus enim essentia mutari neqvit, ejus nec conceptus possunt esse rei ipsi & rerum omnium ideæ, essentiæ divinæ, difformes. Mal. III, 6.

XXVI. Sicut autem intellectu præditus est Deus, qvia spiritus est: ita ex eadem causâ V. voluntatem habere creditur, qvod amplius. ex connexione cum intellectu patet. Qvicqvid enim intellectum habet, id habet & voluntatem 1. Tim. II, 4.

XXVII. Talis autem hæc est voluntas, ut primario feratur in Deum ipsum, qvem necessariò vult & appetit, non voluntate desiderii. qvæ tendit in rem absentem, sed complacentiæ, qvæ rem præsentem diligit. 1. Joh. IV, 8. secnndario in res extra Deum omnes; qvas liber-

liberrimè vel appetit, si sint bonæ, vel aversatur, si sint malæ, qvi duo actus in omni deprehenduntur voluntate. Ad res verò malas moraliter, (qvæ vocantur malum culpæ in oppositione ad malum pœnæ, qvod Deum velle adeò non repugnat, ut illud & physicè & moraliter producat. Psal. XI. 7. VII, 12, 13.] Deus, cujus voluntas summè bona & perfecta est, volendo appetitu nihil prorsus confert. Ps. V, 5. Qvamqvam enim ad materiale actionis malæ, illimitata & indifferenti ratione, cooperetur, ad formale tamen seu actionis ἀταξίαν non aliter, nisi aversando & prohibendo, qvod barbaro vocabulo Noluntas dicitur, concurrit.

XXVIII. Qvare iterum à voluntate Dei parum differunt sanctitas, bonitas & justitia divina, nisi qvod & alios qvandoqve admittant conceptus. Qvicqvid enim nonnisi bonum amat & appetit, id ipsum bonum est, & qvicqvid bonitatem omnem & perfectionem in se habet, id sanctum & justum est. Qvamobrem & bonitas Deo adscribitur. Marc. X, 18. Exod. XXXIII, 19. & sanctitas. Lex. XI. 45. Psal. LXXVII, 14. & justitia. Psal. XI, 8. CXIX, 137.

XXIX. Nam cum sanctitas Deo attribuitur, non tam externa illa intelligitur, qvâ sanctum idem est qvod venerabile & inviolabile, qva ratione personæ, loca, vasa dicuntur sancta. Matth. XXIV, 15. Dan. IX, 24. Qvam interna & essentialis, qvæ externæ venerationis fundamentum est, qva Deus nulli ne

minimæ peccati labi potest esse obnoxius. Psal. CXLV, 17.

XXX. Bonitas verò, qvæ Deo competit qvamqvam & ipsa naturalis sit & moralis, qva & necessario bonus est bonum liberrimè amat; Pf. XI, 8. nihilominus tamen & alio sensu Deo tribuitur, essentialiter, qvâ ea omnia habet, qvæ ad essentiam ejus reqviruntur. Act. XVII, 25. Et per essentiam, qva bonitatem à se possidet, non participatam ab alio. Matth. XIX, v. 17. Nam qvod persona una ab altera, ut essentiam, ita bonitatem, accipit, id ad hanc præsam participandi rationem non refertur, qvia bonitas personæ accipientis, non obstante communicatione personali, eadem numero est cum bonitate personæ illius, à qva eandem accepit. Deniqve & respectivè, qvatenus bonitatem suam creaturis communicat. Gen. I, 31. & olim in vita æterna summum bonum hominis beati bonum erit, gloriose utendum, *cum futurus sit omnia in omnibus*. 1. Cor. XV, 28. Pf. XVI, 11.

XXXI. Porrò Justitia Divina est, qvâ suum cuilibet tribuit; idqve vel vindicando malum, dum nullum ne minimum qvidem peccatum, potest dimittere impunitum, nisi vel in peccante vel in vade exacta sit adæqvata delicto pœna. Pf. XI, 6. vel remunerando bonum, dum actiones legi conformes præmio afficit. Exod. XX, 6. Ubi tamen hoc interest discriminis, qvod remunerativa justitia liberrima est, cum Deus nemini qvidqvam debeat. Rom. XI, 35.

Vindi-

Vindicativa verò necessaria & naturalis. Psal. V, 5. 6. 7. adeò, ut & peccata in innocente punire pœna temporali, supposito peccato originali, tanqvam fundamento, Exod. xx, 5. non tamen ad æterna supplicia detrudere possit innocentem, qvia sic beneficium creationis excederetur à supplicio, qvod justitiæ repugnat. Ezechiel. xiix, 19.

XXXII. Deniqve qvod affectus concernit, illi in duplici sunt differentia. Nonnulli imperfectionem qvandam per se important, ut invidia, desiderium, tristitia, pœnitentia, misericordia, ira, qvi Deo vel prorsus non competunt vel competunt in effectu potius qvam affectu. Alii ab imperfectione in formali ratione liberi sunt, ut amor, benevolentia, odium peccati; qvos Deo propriè competere nihil repugnat.

XXXIII. Inter perfectiores affectus Amor *est affectus unionis*, sec. Scaligerum. Amat igitur Deus, cum res approbat, iisqve benè cupit. Johan. III, 16. Qvod fit vel necessario in iis rebus, qvæ aliter se habere neqveunt, ut in essentia & personis divinis. Joh. III, 35. Matth. III, 17. Vel liberè, in rebus creatis extra se. Idqve iterum vel amore universali, qvo omnes creaturas amat; 1 Joh. IV, 9. vel speciali, qvo certas creaturas ob rationem singularem peculiari modo complectitur. II. Tim. II, 19. Ex. xxxiv, 6.

XXXIV. Inter imperfectiores verò eminet misericordia, qvæ est propensio in Deo succurren-

currendi miseris, si miserationis sint capaces, & media, qvibus ex miseria eluctari qveant, ordinandi. Jer. III, 12. 13. Vel si media non respuant, ex miseria actu liberandi. 1 Tim. I, 16. Illa generalis dicitur, hæc specialis.

XXXV. Ex eo, VI. qvod intellectu & voluntate præditus est Deus, sponte seqvitur, & vitam habere. Nam vita nihil aliud est qvam operatio intellectus & voluntatis. Nisi qvod nonnulli eandem formaliter in intelligendo, alii in volendo simul & efficiendo constituant. Ez. XXXIII, 11. Præterea vivens perfectius est non vivente. Neqve vita ex eorum numero est, qve in formali imperfectionem includunt. Seqvitur igitur nihil repugnare, qvo minus Deo inesse possit. Joh. XIV, 6. Cum verò vita præcisè considerata communis sit Deo cum rebus creatis, ex se patet, vitam hic intelligi, qvæ esta se, qvæqve ex independentiâ fluit. Joh. V, 26.

XXXVI. Neqve immortalitas à vita Dei aliter differt, qvam id, qvod finem principiumq; negat, & id, qvod à fine atqve principio præscindit. Intelligitur autem non immortalitas tantum à parte post, qvæ ob spiritualitatem angelis qvoqve competit, sed & à parte ante, qvæ ex independentia oritur. Estqve hæc immortalitas breviter dicendo: impotentia & repugnantia simplex moriendi. Deut. XXXII, 40.

XXXVII. Immutabilitatem VII. cum expressa Scripturæ litera DEO adscribit,

Jac.

Jac. I, 17. tum ratio probat. Nam si aliqvid in Deo mutari posset, id suæ mutationis causam haberet. At in Deo nihil habet causam, qvia independentia est causarum omnium negatio. Cum autem mutari non posse dicitur Deus, mutatio propriè dicta intelligitur, cum res ipsa aut aliqvid rei mutationem qvandam, h. e. transitum a non esse ad esse vel simpliciter vel secundum qvid patitur, qvalis in Deum non cadit. Mal. III, 6. non impropriè accepta, cum in objecto rei aliqvid mutatur, qvod deinde rei ipsi qvodammodo adscribitur. Ps. CII, 27. 28. Gen. VI, 6. Igitur & qvando humanam naturam adsumpsit Filius Dei, non mutata est divina ejus natura, qvia humanam naturam non recepit per modum subjecti, accuratè dicti, sed eandem tantum terminando, non qvidem per rationem sustentationis tantum, sed per subsistentiæ divinæ communicationem.

XXXIIX. Ex immutabilitate liqvidâ conseqventia procedit æternitas. Qvicqvid enim absolutè immutabile est, illud & secundum modum, nempe durationis interminabilis, est immutabile. Qvare & illa Deo adscribitur. Rom. XVI, 26. Est autem æternitas propriè dicta duratio interminabilis, indivisibilis & independens. Interminabilis, qvia neqve finem neqve principium, h. e. neqve ab ante neqve à post terminum ullum agnoscit. Ps. XC, 3. Indivisibilis, qvia non succedit.

ſicut tempus, ſed tota ſimul exiſtit, totaqve omnibus temporum differentiis coëxiſtit. Pſ. XC, 5. Independens, qvia ab alio ortum non trahit, neqve, qvia initium non habet, trahere poteſt. Mal. III, 6.

XXXIX. Seqvitur IIX. Infinitas. Cum autem infinitum duplici modo dicatur, ratione qvantitatis, cum aliqvid in infinitum vel extenditur, vel dividitur, qvale non actu ſed potentia datur; & ratione perfectionis, qvod omnes perfectiones ſimpliciter tales includit & perfectionum ſuarum nullum agnoſcit terminum vel finem, patet, non priori ſed poſteriori modo dici Deum infinitum. Qvod enim nullam omnino cauſam agnoſcit, h. e. independens eſt, id nec terminos. Pſ. CXLV, 3. Hiob. XI, 8. 9. Neqve aliter hoc attributum à perfectione divina niſi in hoc differt, qvod hæc à locorum intuitu abſtrahat, illud loca & ubi complectatur, qvibus concludi eſſentiam potentiamqve divinam neget. 1 Reg. IIX. 27.

XL. Ab infinitate nullo conceptu ſed mero nomine differt immenſitas. Ubiqvitas verò ipſo vocabulo ſpatia exprimit, qvibus Deus vel actu adeſt illocaliter, eadem ſine omni expanſione replendo, vel adeſſe poteſt, ſi ſint imaginaria. Pſal. CXXXIX, 7. ſ. Omnipræſentia autem, qvæ nonnullis vi nominis cum ubiqvitate prorſus coincidit, recepto uſu locum creatum & actualem tantum reſpicit, adeoqve ubiqvitatis qvædam ſpecies eſt, ex illâ

illâ pariter & voluntate divinâ, tanqvam adæqvato principio proveniens. Cumqve omnis Dei ad creaturas præsentia in regno vel potentiæ vel gratiæ vel gloriæ versetur, [qvæ singula regna DEUS non sine multis maximisqve operationibus obit] nulla qvoqve Dei præsentia sine qvadam operatione esse intelligitur. Id qvod amplius ex perpetuo S. Scripturæ usu docetur. Jer. XXIII, 23. 24. Actor. XVII, 27. 28. Sap. I, 6. 7. 8.

XLI. Ex eadem independentiâ IX. & omnipotentia rectè derivatur. Si enim qvidqvam Deus, qvod sub possibilium numero continetur, non posset, jam ab aliqvâ causa dependeret, à qva, qvo minus id posset, prohiberetur. Deinde cum essentia divina sit infinita, & potentiam ejusdem infinitam esse necesse est. Is autem simpliciter omnipotens est, cujus potentia nullis terminis coërcetur. Qvod amplius ex creationis opere ita probatur: qvi ex nihilo aliqvid potest producere, ejus potentia illimitata est, & ad omnia sese extendens. Deus autem illud potest. Ergo. Ratio seqvelæ est, qvia inter nihil & ens infinita distantia est, neqve major in hoc non ente ad hoc ens, qvam in qvolibet non-ente ad qvodlibet ens potest esse repugnantia. Consonat deniqve scriptura. Gen. XVII, 1. Mat. XIX, 26. Luc. II, 37. Eph. III, 20.

XLII. Cum autem de potentia Dei sermo est, potentia activa intelligitur, nam passiva ob imperfectionem in Deum non cadit; & libera; natu-

naturalis enim, qvæ ad unum oppositorum determinata est, Deo pariter repugnat. Est autem hæc libera potentia vel ordinaria, qvâ Deus agit secundum leges naturæ à se constitutas; Rom. I, 16. vel absoluta, cum extra illas leges agit. Psalm. CXV, 3. Aliqvando autem absoluta ordinatam includit, estqve ea, qvæ ad omne possibile sese extendit.

XLIII. Hujus objectum est omne id, qvod dum fieri contradictionem non implicat, imperfectionem nullam involvit. Ea enim posse, qvæ aut sese perimunt, ut facere Deum, aut, qvæ imperfectionis sunt, ut mentiri & mori, non est posse, sed non posse. Qvare *Deus seipsum negare non-potest*, II. Tim. II, 13.

XLIV. Accensentur deniqve X. attributis divinis, qvæ licet accuratè loqvendo non tam in Deo sunt qvam in homine, fundamentum tamen iis essentia divina præbet. Utpote I. Invisibilitas. Qvæ cum duplici ratione capi possit, respectu vel oculorum corporis vel mentis, priori modo attributum qvidem Dei est, sed non solius, posteriori verò cum incomprehensibilitate coincidit. Esse autem Deum priori etiam modo invisibilem, ex conseqvente absurdo probatur. Omne enim visibile pro objecto habet vel lucem vel colorem. At in Deum neqve lux neqve color cadit. Ergo. Nec dissentit scriptura, qvæ toties Deum videri posse negat. Exod. XXXIII, 20. Joh. I, 18. 1 Joh. IV, 12. Qvamqvam verò visus oculorum

rum spectari possit vel secundum vires naturales; qvâ ratione Deus, qvi spiritus est, ob disproportionem instrumenti recipientis & objecti recepti nullo modo videri potest; vel, ut per potentiam divinam elevatur supernaturaliter; qvâ ratione nonnulli Deum videri posse concedunt; vero tamen similius est, potentiam videndi sensitivam ad recipiendum objectum in sensibilium sphæra non contentum tam elevari non posse, qvam non potest potentiâ gustandi ad gustandum Deum, aut olfaciendi ad olfaciendum eundem, cum omnium sensum eadem sit ratio. Et sicut potentia divina, cum extra possibilia spectatur, potentia amplius non est, ita nec potentia visiva, cum extra visibile progreditur. Qvare Deum per naturam suam *nec videri nec videri posse*, ait Apostolus. 1. Tim. VI, 16.

XLV. Incomprehensibilis autem est essentia divina, non absolutè, secundum omne esse sui, sed secundum qvid in iis, qvæ revelata nobis non sunt. Qvousqve enim Deum lumen sive naturæ sive scripturæ detexit, eousqve qvoqve comprehendere eundem, h. e. cognoscere possumus. Joh. XVII, 3.

XLVI. Ab incomprehensibilitate deniqve non aliâ ratione differt Ineffabilitas, nisi ut ab intellectu sermo. Qvod enim mente totaliter concipi neqvit, id nec eatenus sermone potest enunciari. Ps. CXLV, 3.

XLVII. Cæterum ad cognitionem essentiæ

tiæ divinæ opera qvoqve spectant, de qvibus vero peculiari loco à Theologis agi consvevit.

XLIIX. Hactenus Deus secundum essentiam consideratus. Personæ in Deo plures sunt, nominatim tres; Prima Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus.

XLIX. Cujus mysterii credendi tanta est necessitas, ut, qvi illud vel ignoraverit vel negaverit, æternæ salutis jacturam faciat. 1 Joh. V, 11. 12. II, 23. Joh. V, 23. Nec Veteris qvidem Testamenti fidelibus ab hac credendi obligatione exclusis. Act. XV, 11. Matth. XXII, 43. 46. Qvare & in V. T. licet paulo obscurius, sufficienter tamen, revelatum esse legitur. Gen, I, 2. Ps. XXXIII, 6. Qvicqvid autem revelatum est, id eum in finem à Deo, ut crederetur, revelatum est. II. Tim. III, 16.

L. Persona est suppositum intelligens. Suppositum verò est substantia singularis incommunicabilis. Sumiturqve aliqvando concretivè, prout essentiam & proprietatem personalem simul involvit; aliqvando abstractivè, qvatenus nihil aliud est, qvam proprietas personalis seu modus, ultimato subsistendi. Cumqve hoc posteriori modo persona essentiam non includat, sed eandem hypostaticè tantum terminet, persona multiplicari non multiplicata essentia potest & una numero simplicissima essentia subjici duabus, aut pluribus personis.

LI. Dari autem in Deo qvandam Personarum

narum pluralitatem, probat. I. Nominis divini singularitas. Cum enim Deus plurali nomine אלהים, qvod singularem habet, freqventissimè appellatur, nec cum singulari tantum, sed cum plurali etiam constructur, in Deo plures Elohim esse necesse est. Pluralis enim terminatio plures ejusmodi, qvalem in singulari denotarat, ordinariè & tamdiu significat, donec gravissimis & irrefragabilibus rationibus à pluralitate divellar. At in singulari denotat Deum. In plurali igitur, cum plures Deos, essentia tales, dicere religio prohibeat, plures saltem personas insinuari oportet. Et nullæ in contrarium rationes adeò à proprietate me non abducunt, ut ubiqve S. Literarum, ubi plures personæ divinæ traduntur, proprietas potius roboretur. II. Pluralis de uno Deo locutio. *Faciamus hominem*, Gen. I, 26. *Sicut unus ex nobis*, Gen. III, 22. *Testamur, qvod vidimus*. Joh. III, 11. Jam verò nemo de se in plurali propriè loqvitur, & qvi impropriam hic locutionem esse contendit, improprietatis causas, easqve gravissimas, reddere tenetur, qvæ hic adeò non deprehenduntur, ut apud Hebræos potius nemo unus de se in plurali unqvam loqvatur. III. Plurium personarum ad unum opus divinum cooperatio. *Pluit Dominus à Domino*. Genes. XIX, 24. *Dixit Dominus Domino meo*. Ps. CX. 1. Ubi autem aliqvis ab aliqvo operatur, alius ad alium loqvitur, ibi aliæ aliæqve adeoqve plures sunt personæ.

LII.

LII. Ista verò pluralitas ad numerum Ternarium h. e. Trinitatem determinatur. I. Per expressam literam. *Tres sunt, qui testimonium reddunt in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S.* 1. Johan. V, 7. Quot hic testes, tot personæ. II. Per numeratas totidem personas. *Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Matth. XXIIX, 19. Singula hic nomina sunt personarum. III. Per comparentes in totidem Symbolis personas. *Voce Pater, natus corpore, flamen ave.* Matth. III, 16. 17. Externa hæc symbola supposita arguunt & demonstrant. IV. Per trinam Dei compellationem. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Es. VI, 3. Sic & in benedictionibus. Num. VI, 24. s. II. Cor. XIII, 13. Rom. XI, 36. Exod. III, 15. Cum autem alibi plures personæ divinæ doceantur, in his talibus pluralitatis numerum exprimi manifestum est. V. Per majoris & minoris numeri exclusionem. Qvicqvid enim usqvam divinum est, id tribus in universum personis adscribitur. Ut creatio Patri. Gen. I, 1. Filio. Joh. I, 1. Spiritui S. Gen. I, 2. Qvæ personæ copulantur. Psal. XXXIII, 6. Eductio ex Ægypto, Patri. Psal. CVII, 2. Filio. Exod. III, 2. Actor. VII, 35. 38. Spiritui S. Esa. LXIII, 11. 12. Neqve etiam aut plures aut pauciores in aliis ejusmodi operibus nominantur.

LIII. Harum personarum divinitatem, qvamqvam in singulis personis peculiariter probaturi simus, in genere tamen etiam demonstrat,

monstrat, cum essentiæ earundem unitas; de qvibus enim Apostolus dixerat, tres esse, de iisdem & unitatem prædicat; *Hi tres unum sunt.* 1 Joh. V, 7. At verò tres personæ unum qvid essentia esse neqveunt, nisi divinæ sint; tum cultus æqvalitas; in cujus enim nomen baptizamur, in eundem & credimus & eum, ut regenerationis & salutis nostræ auctorem, colimus. Jam verò in singularum personarum nomen æqvaliter baptizamur. Matth. XXIIX. v. 19. Tum deniqve attributorum & operum divinorum eminentia. Nam singulæ personæ ad baptisandum Christum, hoc est, officio tergemino inaugurandum, ad creationem universi, ad eductionem ex Ægypto & similia prorsus divina opera concurrunt: singulis summa sanctitas & veneratio attribuitur. Ergo nulla earum divinitatis potest esse expers.

LIV. Realem autem earundem differentiam arguit. I. Nominum diversitas. Diversæ enim appellationes communiter & ordinariè personarum qvoqve diversitatem innuunt. At aliud est nomen Patri, aliud Filio, aliud Spiritui Sancto. II. Identitatis personalis expressa negatio. Vocantur enim aliæ aliæqve personæ. Joh. XIV, 16. Ubi autem eadem persona non est, ibi est realiter diversa. III. Proprietatum personalium differentia. Alia gignit, alia gignitur. Alia spirat, alia spiratur. Alia est, qvæ loqvitur, alia, ad qvam loqvitur. Alia mittit, alia mittitur. Alia incarnatur,

alia non incarnatur. Alia loqvitur à seipsâ, alia nihil à seipsa loqvitur. Alia est, à qvâ sunt res omnes, alia per qvam sunt res omnes, At hæc talia realem differentiam important.

LV. Qva tamen in re observari operæ pretium est, realem hic vocari distinctionem, non qvæ est inter rem & rem; in DEO enim sicut essentia, ita res una est, ob summam ejusdem simplicitatem: sed paulo latius, qvæ est inter ea, qvæ nemine cogitante sunt diversa. Qvalia sunt, non qvæ separata aut separabilia existunt, sed & qvæ vera & reali relatione sibi invicem opponuntur.

LVI. Oritur ergo differentia isthæc ex relationibus personarum, non externis, qvibus res creatas respiciunt; sed internis, non qvatenus hæ omnibus personis sunt communes, sed in qvantum cuilibet propriæ sunt. Habent enim singulæ personæ peculiares ad intra proprietates, qvas alterutris non communicant, qvæqve in operibus qvoqve ad extra certa ratione conspiciuntur; de qvibus regula Theologica sonat: *Opera Trinitatis ad intra sunt divisa*: &: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*, servato tamen ordine & discrimine personarum. Sed de his in consideratione singularum personarum speciatim dicetur.

LVII. Qvamqvam autem tres sint in Deo personæ, à sese invicem realiter diversæ, eædem tamen res sunt & essentia simplicissimè

simè una, non qvod ex personis componatur Deus, sed qvod in iisdem subsistat. Atqve hæc unitatis in DEO fides Christianis propria est, non qvâ præcisè Deus essentia unus creditur; qvippe qvam & gentiles ex natura hauserunt, sed qva *Tres UNUM sunt*, hoc est, trina Dei hypostasis, sine omni compositione, in Unam essentiam, numero talem, ineffabili & intima περιχωρήσει copulatur: qvâ *Pater est in Filio & Filius in Patre.* Joh. XIV, 10. & Spiritus S. in utroqve, Joh. XV, 26. adeoqve omnes personæ ὁμοούσιοι, æqvalis essentiæ & æqvalis majestatis, æqvalis virtutis agendi, in qvâ sine læsione magni pietatis mysterii nihil cogitari minus & majus, nihil superius & inferius, nihil dignius & indignius, nulla ulli personæ præ reliqvis ἐξοχὴ, auctoritas, virtus, libertas, dependentia attribui potest, cum omnes ταῦτα καὶ ὁμοίως agant. Joh. V, 19.

LIIX. Progredimur ad personas singulatim expendendas. Prima, Pater, à seipsâ est & ab ea Filius per generationem, Spiritus verò sanctus per spirationem procedit.

LIX. Deum esse Patrem, impropriè accepto vocabulo, ut eum notat, à qvo res omnes qvacunqve ratione proveniunt, qviqve in res à se factas benevolum, h. e. paternum gerit animum nemo Christianorum negat: esse autem in Deo personam qvandam, qvæ propriè sit Pater, ex essentia sua coëssentialem sibi generans filium, eadem opera ostenditur, qva probatur,

Filium qvendam à DEO ab æterno genitum esse; qvam in rem argumenta suo à nobis loco adducentur.

LX. Igitur proprietas ejus characteristica ad intra est, à seipso, [nonnulli incommodo vocabulo ἀγεννησίας exprimunt] ita esse, ut aliam à se personam generet, aliamqve unâ cum generata spiret: qvæ omnia alii unica voce generationis activæ complectuntur. Psal. II, 7. Rom. XI, 36. Joh. XV, 26. Ex qvo sponte sequitur, Patrem esse primam personam, non dignitate aut tempore, qvo læderetur essentiæ divinæ æqvalitas, sed origine, cum ab eo cæteræ personæ procedant. Qvare & primo loco, tanqvam ordine prima, enumeratur. Hanc primitatem, ut ita loqvar, Patres & Scholastici Theologi voce Principii rectè enunciarunt, non qvod cæteræ personæ à Patre, ut causa, dependerent, sed qvod ab eo, ut origine, orirentur, qvod ad rationem principii, Philosophorum consensu, sufficit. Qvinimo ex maximi Theologi sententia ipsa scripturæ phrasi ἀρχὴ τῦ υἱῦ vocatur. Joh. VIII, 25. Et ab antiqvitate Fons Deitatis, nempe relativè consideratæ. Unde & Filius λόγος, Joh. I, 1. atqve à Chaldaico Paraphraste מימרא, ad insinuandum originis modum, appellatur; & Spiritus S. ab utroqve procedit. Joh. XV, 26. XVI, 7. Qva loqvendi formâ, id, qvod à principio est, insinuatur.

LXI.

LXI. Hæc interna Patris proprietas in actionibus & operibus qvoqve ad extra conspicitur. Non enim cogitari potest aut debet aliqva in DEO, ente absolutissimo & perfectissimo, realis differentia, qvin suo modo ad extra procedat & in creaturis sese conspiciendam præbeat, cum videamus attributis divinis, solâ inter sese ratione discrepantibus, diversos attribui effectus. Hac igitur ratione dicitur Pater à se agere per Filium in Spiritu S. qvalis actio ad extra nulli personarum divinarum competit, præterqvam Patri. Rom. XI, 36. Eph. IV, 6. 1 Cor. IIX, 6. Nam nec Filius à se qvicqvam agit. Joh. V, 19. Nec Spiritus S. Joh. XVI, 13. Tales porrò actiones soli Patri sub certa determinatione competentes sunt, *mittere Filium*, Joh. III, 17. *Creare per verbum*. Psal. XXXIII, 6. *Glorificare filium*. Joh. XIII. vers. 32. & similia. Qvæ licet actiones sint externæ & si absolutè spectentur, omnibus tribus personis communes, nihilominus ob involutam in sese personæ ad personam relationem non possunt nisi singulari personæ ea cum determinatione convenire, cum non operationem duntaxat ad extra, ut mittere, creare sed internam personarum τάξιν, qva neqve Filius neqve Spiritus S. à semetipso est, clarissima sententia involvant. Qvæ ne in singularum personarum proprietatibus repeti necesse sit, ideò enucleatius proponimus, ut constet, proprietates personarum, ut

à nonnullis vocantur, externas, nihil aliud esse, qvam ordinem earum internum, in qvantum sese in externis operibus manifestat, adeoqve sicut internus personarum ordo distinctus est, distinctum qvoqve esse necessario externum.

LXII. Hæc proprietatis internæ in opere externo manifestatio alio nomine Appropriatio vocatur. Sed verò hæc duplex est: aliqvando appropriatur id, qvod proprium rei est, adeoqve rei, qvod in se ei competit, actu intellectus attribuitur, hoc est, appropriatur: aliqvando verò, qvando id, qvod rei in se & ex se proprium non est, propter unionem tamen cum re, ei perinde adscribitur, ac si proprium ejus esset, sive ex illius naturâ tanqvam immediatum conseqvens oriretur. Cum igitur Deo Patri appropriatur, τὸ *ex se agere*, prioris modi appropriatio est, ut omnes vident. Posterioris autem generis est, qvando in symbolo qvovis externo sese manifestat, illudqve sibi, licet communi Trinitatis operâ formatum atqve ei unitum, eousqve attribuit, ut in solam Patris hypostasin per realem qvampiam unionem terminetur. Sic solius Patris est species grandævi viri. Dan. VII, 9. f. Et vocis delapsæ. Matth. XVII, 5. Luc. IX, 35. Marc. IX, 7. 2 Petr. I, 17.

LXIII. Ad priorem appropriationem communiter refertur Creatio. Sed qva ratione illud fiat, haud certe unqvam expeditum est.

est. Qvidam igitur in sola freqventiori attributione S. Literarum acqviescunt, neqve causam allegant. Alii creationem Patri, non absolutè, sed sub distincto creandi modo, ut nempe à se creat per filium, appropriari ajunt. Cum verò ita non creatio tantum sed omnia in universum opera ei approprientur, nihil amplius restat, qvam ut dicatur, non alia id de causa fieri, qvam qvia hoc opus externum proprietatem Patris internam qvodammodo repræsentat. Hoc puto velle eos Theologos, qvi ideò creationem Patri appropriari ajunt, qvia in eo opere semet potissimum manifestavit. Sicut enim ad intra Pater sine omni principio est & essentiam suam atqve bonitatem alii à se distinctæ personæ communicat: ita eundem ordinem opus creationis ad extra manifestat, in qvantum illa à Patre, tanqvam à seipso procedit & suam cuilibet rei bonitatem atqve perfectionem admetitur. Patet res omnium clarissimè, si conferamus reliqvarum personarum proprietates. Ideò enim neqve redemptionis neqve sanctificationis opus appropriari potest Patri, qvia utrumqve reqvirit missionem passivam ad rem jam creatam atqve existentem. At verò is, qvi sine principio & ab alio est, mitti neqvit: vicissim neqve Filio neqve Spiritui S. singulari qvadam ratione appropriari potest creationis opus, qvippe in cujus complexu ordo ille principii ad id, qvod à principio est, adeoqve

& missio personalis, ut omnes vident, non involvuntur.

LXIV. Secunda SS. Trinitatis persona Filius est, qvi est à Patre per æternam proprieqve dictam generationem & ab ex Spiritus S. perinde atqve à Patre ab æterno procedit.

LXV. Hujus divinitatem probant qvatuor argumentorum ordines, veteri versiculo comprehensi: *Nomen, proprietas, operatio, denique cultus.* Nam I. expresse nominatur Jehova. Exod. III, 4. Jerem. XXIII, 6. XXXIII, 16. Esa. VI, 3. coll. cum Joh. XII, 41. El. Es. VII, 13. IX, 6. Elohim. Exod. III, 2. 6. Ps. XLV, 8. Θεὸς. Colos. II, 2. Tit. II, 13. Luc. I, 76. Κύριος. 1 Cor. X, 21. 26. 28. Act. X, 36. Neqve id simpliciter, sed cum addito, ad veram proprièqve dictam Deitatem restringente. 1 Joh. V, 20. Rom. IX, 6. Vocatur Filius Dei. Psal. II, 7. 1 Joh. I, 3. idqve cum particulis, univocam filiationem evincentibus. Joh. I, 14. 18. Rom. IIX, 32. Hebr. I, 3. Col. I, 15. Attribuitur ei II. Majestas prorsus divina, Joh. XVII, 5. Col. II, 9. inqve ea omnia singulaqve axiomata divinitatis. Æqvalitas cum Patre. Joh. V, 17. 18. VI, 15. XVII, 10. Immensitas Joh. III, 3. Immutabilitas. Psal. CII, 28. cum Hebr. I, 12. XIII, 8. Æternitas. Esa. IX, 6. Prov. IIX, 22. Mich. V, 2. Apoc. I, 8. 17. XXII, 13. Summa agendi libertas. Joh. V, 21. Matth. IIX, v. 2. 3. Omnipotentia. Apoc. I, 8. Esa. IX, 6. Luc. I, 35. Omnipræsentia. Ephes. I, 23. IV, 10. Omniscientia. Joh. II, 24. 25. XXI, 17. XVI, 30.

Colos.

Coloss. II, 3. Apoc. II, 23. inprimis καρδιογνωσία. Actor. I, 24. Apoc. II, 23. & omnisapientia Prov. IIX, 12. 14. Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. Col. II, 3. Adscribuntur III. Operationes soli Deo convenientes. Creatio. Gen. I, 2. cum Joh. I, 1. Ps. XXXIII, 6. CII, 26. Eph. III, 9. Coloss. I, 16. Conservatio rerum omnium. Joh. V, 17. 1 Cor. IIX, 6. Hebr. I, 3. Miraculorum patratio. Joh. V, 19. II, 11. Redemptio generis humani ex peccato & morte. Ose. XIII, 14. Zach. IX, 11. Actor. XX, 28. Es. XLIII, 11. Admiranda & prorsus Divina Ecclesiæ gubernatio. Matth. XVI, 18. Joh. X, 28. 29. Matth. XXIIX, 19. Mortuorum excitatio. Joh. V, 21. Et fidelium salvatio. Joh. XVII, 2. X, 28. Matth. XI, 27. Actor. XIII, 39. Joh. III, 17. Actor. IV, 2. Phil. III, 20. 21. At hæc talia opera supra vires humanas & angelicas posita esse natura duce qvilibet agnoscit. Tribuitur deniqve IV. ei cultus soli DEO proprius, hoc est, religiosus. Rom. XI, 23. IX, 1. XV, 12. Phil. II, 10. Joh. V, 23. III, 16. XIV, 1. Matth. XXIIX, 19. XIIX, 20. Hebr. I, 6. Ps. II, 12. 1 Timoth. I, 5. 12. Es. XLV, 2. 3. 24.

LXVI. Personam esse Filium Dei, controversia caret; esse autem personam à Patre diversam, inde constat, qvod & diversum ab ipso nomen gerat & Patrem suum perpetuo, ut à se alium compellet. Joh. XVII, 1. s. Deniqve personali à Patre charactere differat. Realiter enim distinguuntur Pater & Filius, gignens & genitus; id qvod paulo post liqvidum fiet.

LXVII. Distinguitur ergò à Patre Filius ab intra per generationem passivam, à Spiritu S. per spirationem activam. Palm. II, 7. Hebr. I. 4. 5. Col. I, 15. Rom. VIII, 9. Joh. XVI, 7. 13. 14. 15. Cum autem spiratio activa Filio cum Patre communis sit, communiter proprietas Filii characteristica ad intra generatio passiva indigitatur. Quæ passiva dicitur, non quod in se passivi quid habeat, sed quod purissimus ille actus, quo generatus est Filius Dei, alio vocabulo exprimi neqveat. Hanc porro proprietatem alii termini vel inadæqvatè exprimunt ut *à Patre esse vel procedere.* Joh. XVI, 27. 28. qvod Philosophi vocant, esse principiatum Patris; vel adæqvatè, ut *à Patre dici.* Joh. I, 1. cum pro locutione hypostatica sumitur; nam tum cum generatione coincidit. Deniqve generationem hanc passivam Filii seqvitur missio ejus passiva in carnem. Rom. VIII, 3. Gal. IV, 4. 5. Et spirationem activam Spiritus S. missio ejus activa in mundum. Luc. XXIV, 49. Joh. XV. 26. *Principium enim processionis æternæ est principium missionis temporalis*, vetus est regula, Scripturæ fundamento & usu subnixa.

LXIIX. Modum autem determinatum, qvo Filius à Patre est, qviqve generali voce *ἔξιτυς* appellatur, Mich. V. 1. generationem esse, probat partim expressa litera. Psal. II, 7. partim æqvipollens in sermone figurato, cum *germen Jehovæ, fructus terræ, ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς*, vocatur. Es. IV, 2.

Hebr.

Hebr. 1, 3. Col. 1. 15. partim deniqve correlatorum expressa mentio. Si enim Pater verè Pater est, verè generat, & si Filius verè Filius est, verè generatur. At verò Pater propriè talis & Filius hic propriè talis est. Joh. I, 14. III, 16. Rom. VIII, 32. Matth. XIV, 33. XXVII, 54. 1. Joh. V. 20. Vera igitur proprieq; dicta generatio intercesserit necesse est. Est autem generatio, qvâ vivens alteri substantiam suam communicat. Hic conceptus ejus formalis est, cui nihil derogant materiales in hoc illove subjecto conditiones. Sicut igitur veritatem hujus generationis non lædit, qvod non fiat mediante semine aut peragatur in utero matris aut terminetur in personam essentiâ à generante diversam: ita nec eandem destruit, qvod sit omni generatione humanâ eminentior, infinities nobilior, æterna & prorsus divina. Psal. II, 7. Mich. V, 1. Qualis enim generans est, talis est & generatio.

LXIX. Hæc interna Filii proprietas in opere ad extra ita progreditur, ut nihil à seipso, omnia à Patre agat Filius. Joh. v, 19. 30. XIV, 10. in Spiritu S. à sese misso. Joh. XIV, 16. Qvi determinatus agendi modus particula διακριτικῆ: Per, freqventissimè designatur. Rom. XI, 36. Eph. IV, 6. Psal. XXXIII, 6. Joh. 1, 3. 1. Cor. VIII, 6. Hebr. 1, 2. Qvid enim aptius Patris in divinis proprietatem exprimere poterat, quæ est, ut principium sit sine ullo principio, qvam dicendo, ex illo esse universa? Qvid Filii, qvi principium est rerum omnium,

sed

sed ex principio, qvam dicendo, per illum esse omnia? Qvid deniqve Spiritus S. qvi utriusqve veluti vinculum est, sine qvo nihil operantur, qvam dicendo, in illo esse universa? Qvamqvam vero hæ particulæ nonnunqvam permutentur, id tamen proprietati earum non obest. Si enim ordini personarum divinarum interno, qvi accurata enumeratione sistitur Matth. XXIIX, 19. non obest, qvod mutato interdum ordine recensentur. 2. Cor. XIII, 13. sequitur, nec externo ordini, qvi per particulas illas infertur earundem permutationem præjudicare. Cujus rei manifesta est ratio, qvia personæ, qvæ particulis illis innuuntur, ὁμοούσιοι sunt, adeoqve illæ essentiam interdum potius, qvam operationes personales respiciunt.

LXX. Præterea Filio Dei in Apostolorum Symbolo & passim appropriatur Redemptio, duplici modo. 1. In qvantum ut ἄσαρκος spectatur, non alia ratione, qvam Patri creatio. Cum enim generatio passiva, eaqve ad imaginem Patris facta, proprietatem Filii ad intra constituat, eadem verò involvatur qvædam ordinis in respectu ad Patrem posterioritas, ex eoqve progressio, consequitur, illud opus ad extra peculiari ratione in Filium Dei competere, ex qvo proprietas interna elucescit. Jam verò ex redemptionis opere character internus duplici sese ratione prodit; primo, qvod opus illud peragi sine missione personæ non posset, at verò mitti ex SS. Trinitatis consor-

consortio Patrem, qvia ille à nullo procedit, impossibile erat. Misit igitur ille in mediationis opus personam mediam, nempe Filium suum in carnem, ut ex carne generaretur, qvi per æternam generationem ab ipso prodierat. Gal. IV, 4. Deinde, qvod is, qvi essentiæ atqve virtutum divinarum imago substantialis esset, ad imaginem divinam recuperandam perduceret eos, qvi ad eam per Filium erant olim creati. Eph. IV, 24. II. In qvantum ut ἐνσαρκος consideratur, per unionem personalem. Si enim Patri ob unionem παραχωρισικὴν & dissolubilem vox appropriatur, multo magis Filio, ob unionem περιχωρησικὴν & indissolubilem, suamet caro & qvæ ex carne prodeunt, affectiones & opera, qvorum complementum est redemptio, appropriabuntur. Sicut igitur solus Filius passus est, ita & solus Filius, hoc determinato modo redemit.

LXXI. Ubi tamen inficiari nolumus, Filium Dei in Vet. Test. & alias species παραχωρισικῶς sibi appropriasse, in iisqve incarnationi suæ qvasi præluisse. Cujus rei veritas ex his principiis arcessenda est. Docet cujuslibet loci contextus, angelos, virosqve illos apparentes non esse personas creatas sed divinas, argumentis prorsus irrefragabilibus, ex attributo nominis DEO proprii & operationum Deo soli convenientium desumptis. Qvæ profecto, si divinitatem personæ non evincunt, nulla excogitari ratio poterit, qva Filii

Dei

Dei Divinitas contra qvemvis adversarium solidè demonstretur. Jam porrò suppositâ illa ἐιδικὰ sermones suos actionesque ita attemperant, ut ab aliâ se personâ missa esse significent, ut de personis Divinis, tanqvam à se aliis, loqvantur, ut cum Jehova ipsa sint, a Jehovâ tamen sese certâ ratione discernant. Qvæ denuò argumenta, si realem personarum distinctionem non probant, nulla supererit probatio, qvâ contra pertinaces hæreticos pro mysterio præcipuo Ecclesia utatur. Ex qvo consequitur, species illas adsumptas â singularibus personis terminatas, ipsarumqve propriæ hypostasi fuisse reali unione appropriatas. Id duntaxat discriminis accuratè tenendum est, non omnem personæ terminationem ad illum usqve gradum fieri, ut res terminata in personæ unitatem, communionem ve immeativam, transeat; ex qvo tamen perperam infertur non posse ad παράσασιν qvamcunqve & appropriationem realem terminari. Exempla hujus appropriationis de Filio legas. Gen. XVI, 7. XVIII, 2. XIX, 2. XXXII, 24. XLVIII, 16. Exod. III, 2. XIV, 19. XXIII, 20. Jud. VI, 11. XIII, 3. Mal. III. 1. Dan. VII, 13.

LXXII. Tertia SS. Trinitatis persona est Spiritus Sanctus, qvi a Patre & Filio ab æterno procedit.

LXXIII. Hujus divinitatem eadem, qvæ Filii, argumenta probant. I. Nomina Divina, 2. Sam. XXIII, 2. 3. cum 2. Petr. I, 21. Esa.

LXIII,

LXXIII, II. cum Deut. XXXII, 12. Zach. VII, 12. cum Esa. I, 2. & Luc. I, 70. Esa. VI, 1. 3. 8. 9. cum Act. XXVIII, 25. Act. V. 3. 4. 1. Joh. V, 7. 9. 2. Cor. III, 17. 1. Cor. III, 16. Joh. I, 13. cum Johann. III, 5. II. Attributa Divina. Æternitas. Gen. I, 2. Hebr. IX, 14. Immensitas & omnipræsentia. Psalm. CXXXIX, 7. Omniscientia & omnisapientia Divina. 1. Cor. II, 10. 2. Pet. I, 21. Omnipotentia. Matth. XII. 28. Psal. XXXIII, 6. Actor. X, 38. Vis vivificandi. Joh. III, 5. III. Operationes Divinæ. Creatio & conservatio rerum omnium. Gen. I, 2, Psal. XXXIII, 6. CIV. 30. Hiob. XXXIII. 4. Missio Prophetarum & Apostolorum. Act. XIII, 2. XX, 22. Matth. X, 20. Joh. XVI, 13. Unctio Christi in tergeminum officium. Esa. XLVIII, 16. LXI, 1. Luc. I, 35. Psal. XLV, 8. Collectio Ecclesiæ. Eph. II, 22. Illuminatio. Joh. XIV, 26. Eph. I, 17. Regeneratio. Joh. III, 5. 1. Cor. VI, 11. Rom. VIII, 14. Sanctificatio. Rom VIII, 26. I, 4. Renovatio. 2. Cor. VII, 1. Salvatio. Tit. III, 5. IV. Cultus Divinus, Es, VI, 3. 8. 9. Matth. XXVIII. 19. XII, 31. Rom. IX, 1. XI, 36. 2. Cor. XIII, 13. Apoc. I, 4. Num. VI, 26.

LXXIV. Personalitatem porrò ejus probant, I. Nomen personale. Spiritus enim primo personam & propriè significat, impropriè rebus aliis attribuitur. Præterea, qvoties DEUS vocatur, nomine personali insignitur. At à proprietate sine gravi ratione non est discedendum. II. Proprietates personales, qvales ex attributis & operationibus Divinis infi-

infinitæ colligi possunt, creare, conservare, mittere, ungere, colligere, illuminare, docere, testari, regenerare, sanctificare, salvare, intelligere, velle, adorari, offendi, scrutari, mittere, intercedere. Qvæ singula toties impropriè & per fictionem personæ intelligere, neqve prima interpretationis regula: *Quælibet vox in proprio sumenda significatu, donec insuperabili ratione è proprietate depellar*; à qva si discedas, pleraqve omnia fidei mysteria labefactabis; neqve cujuslibet textus circumstantiæ ullo modo permittunt.

LXXV. Realem deniqve à Patre & Filio differentiam demonstrant I. Nomen ab iis diversum. Sicut igitur, cum dicitur: *Assumebat Petrum & Jacobum & Johannem.* Matth. XVII, 1. tres realiter à se diversæ innuuntur personæ: Ita non minus, cum dicitur: *baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Matth. XXIIX, 19. II. Diserta hujus differentiæ assertio. *Alium paracletum mittit vobis.* Joh. XIV, v. 16. Ubi autem est alius & alius, ibi non est idem. III. Oppositio relativa. Qvi enim ut spirans & spiratus, ut mittens & missus differunt, illi realiter differunt. Johan. XV, 26. IV. Symboli, in qvo apparuit, discrimen. Qvid enim, si reapse cum Patre & Filio idem esset, ut in distincto ab ipsis symbolo appareret, opus fuisset? Matth. III, 16.

LXLVI. Est igitur interna Spiritus S. proprietas, qva à Patre & Filio distinguitur.

spira-

spiratio passiva seu Processio : qvæ qvalis sit & qvomodo à generatione Filii differat, imperscrutabile est, juxta Bernhardi dicterium: *Digne loqvi de Personis, vim transcendit rationis. Qvid sit nasci, qvid processus, me nescire sum professus.* Ex ordine tamen inter personas Divinas interno constat, sicut Filius primâ qvadam qvasi emanatione à Patre *egreditur*. Mich. V, 1. & ad imaginem Patris, qvem potentiæ cognoscenti repræsentat, juxta illud ; *qvi me videt, videt Patrem.* Joh. XIV, 9. Ita Spiritum sanctum secundâ qvadam & ultimata productione procedere; nempe, ut ὁ λογος & sermo primò ex intellectu, τὸ πνεῦμα & Spiritus secundò per sermonem oritur; qvâ similitudine & inspirati a Deo auctores & Ecclesiæ Patres præsens argumentum qvodammodo illustrant.

LXXVII. Procedit autem Spiritus S. non à Patre tantum, de qvo ob clarissimam Scripturæ literam nullum dubium est. Joh. XV, v. 26. sed & à Filio. Nam & ab eo mittitur, perinde, ut à Patre. Luc. XXIV, 49. Joh. XV, v. 26. XVI, 7. Id autem cum non fiat per imperium, per originem fieri necesse est. Et Filii Spiritus, perinde ut Patris, appellatur. Gal. IV, 6. cum Matth. X, 20. Rom. VIII, 9. Phil. I, v. 19. II Thessal. II, 8. Sicut igitur Patris Spiritus est, qvia ex Patre est : ita Filii Spiritus est, qvia est ex Filio. I Corinth. II, 12. Sunt autem Pater & Filius in respectu ad Spiritum Sanctum unum principium, partim Qvod, qvia

in Divinis omnia sunt unum, inter qvæ non obviat relativa oppositio; inter Patrem autem & Filium' in qvantum spirant, talis non intercedit: partim Qvo, qvia utriusqve eadem est virtus & potentia, per qvam spirant. Qvamqvam si qvis duo principia ideò tantum, qvod sint duæ personæ, a qvibus spiratio procedit, cum actiones sint suppositorum, dicere velit, supposita una numero virtute, per qvam duo isthæc principia influnt, is qvidem haut malè sentire, attamen, cum principiorum pluralitas ex pluralitate influxus æstimetur, non rectè loqvi dicendus erit.

LXXIIX. Isthæc interna Spiritus Sancti proprietas, qva non a se est, sed a Patre & Filio, in opera qvoqve externa ita profluit, ut Spiritus S. a se non agat qvicqvam. Joh. XVI. v. 13. sed a Patre & Filio, qvi in Spiritu S. tanqvam utriusqve vinculo, operantur. Rom. XI, 36. II Thess. II, 13. Qvalis enim est modus subsistendi rei alicujus, talis qvoqve est operandi, secundum regulam vulgarem. At ille distinctus est. Ergo & hic. Ubi tamen sciendum est, modum agendi posse dupliciter spectari, vel in qvantum ille nude personarum in agendo ordinem & conseqventiam significat; qvâ ratione personæ non unimodè, sed ita agunt, ut Pater per Filium in Spiritu S. Rom. XI, 36. Vel in qvantum concipitur modus operandi, respectu virtutis agendi inæqvalis, ab una persona per modum ἐξοχῆς dependens

&

& in cæteras sive posterioritatem temporis, sive dignitatis, virtutis, autoritatis, libertatis inferioritatem inducens; qvalem Christus inter se & Patrem, consequenter & Spiritus S. inter se & Patrem atqve Filium, intercedere negat. Joh. V, 19.

LXXIX. Hanc internæ proprietatis ad extra manifestationem imitatur qvodammodo ea loqvendi ratio, qvâ Spiritui S. tum frequenti S. Literarum usu, I Cor. III, 16. VI, 11. 19. II Cor. VI, 16. II Thess. II, 13. I Petr. I, 2. 22. Eph. IV, 23. V, 26. & alibi, tum in vetustissimo, ut vocatur, Apostolorum symbolo, sanctificationis nostræ negotium, qvod alias ipsi cum Patre & Filio commune est, Joh. XVII, 11. Hebr. X, 10. ob distinctionem tamen ordinis interni, qvi ad extra prodit, ibiqve per evidentia indicia sese manifestat, & ob operis externi cum illo congruentiam, non obstante æqvali ejus a cæteris personis dependentia, *ad ministerium peragendæ significationis*, ut ἀκριβῶς alicubi loqvitur *Augustinus*, adscribitur & appropriatur. Nempe sanctificationis opus sua natura ita comparatum est, ut sit ordine & creatione & redemptione posterius. Vel in tantum igitur in hoc nobis opere sese repræsentat peculiariter persona Spiritus S. qvæ & ipsa intra SS. Trinitatem juxta ordinem subsistendi tertia esse deprehenditur. Deinde vero sicut ad deperditum genus humanum mitti erat necesse illum, per qvem primitus creatum fuerat, ut

'llius operâ ad recuperandam dignitatem pristinam reduceretur: ita ad applicanda redemptionis beneficia reqvirebatur alius ex SS. Trinitate personæ missio, qvæ alia esse non poterat, præter tertiam, qvia alia præter tertiam à Patre & Filio non procedit. Qvare cum hæc missio in ipsamet sanctificatione involvatur, ex se patet, non posse sanctificationis opus sub hoc conceptu alii nisi Spiritui Sancto appropriari. Sanctificationis autem voce omnis is gratiarum Divinarum chorus, qvi suppositâ redemptione in genus humanum tendit, designatur.

LXXX. Supereſt illa appropriationis ſpecies, qvæ unione nititur, cujus exemplum eſt deſcendentis ad Jordani ripam ſub columbæ ſpecie Spiritus Sancti. Matth. III, 16. Et ejusdem in linguis igneis ſub primam Nov. Teſt. pentecoſten apparentis. Actor. II, 3. Qvâ de re idem tenendum eſt, qvod de aliarum personarum approbationibus παραστατικαῖς in ſuperioribus fuit diſſertum. Addemus ſuffragium Megalandri noſtri: Am Jordan da S. Johannes den HERREN tauffet / thut ſich der Himmel auff und fuhr der heilige Geiſt hernieder leiblich in einer Tauben Geſtalt. Hie iſt die Taube eine Creatur / welche nicht allein der heilige Geiſt geſchaffen hat / ſondern auch der Vater und Sohn. Noch hieſſet die Taube allein der heilige Geiſt / oder wie Lucas ſagt / iſt allein der heilige Geiſt hernieder gefahren in

der

der Tauben Gestalt. Und würde in keinen Weg der Christliche Glaube leiden / daß du wolteſt sagen von der Tauben / das ist GOTT der Vater / oder das ist GOTT der Sohn / sondern muſt sagen: Das ist GOTT der heilige Geist. Obwohl GOTT der Vater / Sohn und heiliger Geist ein einiger GOTT ist / daß du gantz recht sageſt von der Tauben; Das ist GOTT und kein ander GOTT mehr; Und doch unrecht sageſt: Das ist GOTT der Vater oder Sohn / sondern muſt sagen / das ist GOTT der heilige Geist. Hæc ille prorsus egregiè atqve præclarè.

LXXXI. Atqve hæc hactenus in Theſi de Deo ſecundum eſſentiam & perſonas, easqve in univerſum & ſingulatim conſideratas dicta ſunto. De qvo ſub initium Apologiæ ita ſentiunt Auguſtani Confeſſores: *Primum articulum confeſſionis noſtræ probant noſtri adverſarii, in qvo exponimus nos credere & docere, qvod ſit una eſſentia Divina & tamen tres ſint diſtinctæ perſonæ ejusdem eſſentiæ Divinæ & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Ita qvidem illi de articulo hoc paulò generalioribus verbis propoſito, cum, ut ex Theſi hactenus adornatâ patet, multis modis, ſi ad controverſiarum in ho dogmate ſpecialiorem determinationem progrediamur, & nos ab illis & illi à nobis diſſentiant: de qvo tamen articulo, ita enucleato, nos perinde ac illi, cordatè pronunciamus: *Hunc articulum ſemper docuimus ac defendimus & ſentimus eum habere firma & certa teſtimonia i*

Sripturis sanctis, quæ labefactari non queant. Et. constanter affirmamus, aliter sentientes extra Ecclesiam Christi & Idololatras esse & Deum contumelia afficere. Quibus consona sunt Athanasiani Symboli verba, quod & ipsum partem librorum nostrorum symbolicorum constituit: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc est, ut unum DEUM in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus S. una est Divinitas, æqualis gloria & coæterna majestas.*

LXXXII. Concludimus veteri εὐλογίᾳ, quâ verendum mysterium SS. Trinitatis adorabatur: *Gloria sit Patri, & Filio & Spiritui Sancto, nunc & in seculorum secula,* Amen.

EXER-

EXERCITATIO X.

DE

FORMA FACIEI CHRISTI,

DUM IN HIS TERRIS VIVERET,

Libro FRANCISCI VAVASSORIS, Galli de hoc Argumento edito oppoſita.

Præloqvium.

EDidit ante complures annos Franciſc. Vavaſſor, Theologus de Societate Jeſu Gallicanus, librum, cui titulus eſt: *de forma Chriſti, cum in his terris viveret:* qvam Clariſſimus Vir, Joſua Arndius, ſex abhinc annis, cum exempla in Germania noſtra paſſim diſtracta eſſent, Roſtochii denuo edidit, & præfatione *de facie Dei, breviqve mantiſſa obſervationum* auxit. Fuit autem Jeſuita hic ſine dubio ex doctiſſimis noſtro ſeculo Galliæ viris. Nam in argumento, qvod rariſſimâ induſtriâ à Theologis excultum eſt, tantâ accuratione, tantâ facundiâ, verſatur, ut ſimile qvicqvam alibi fruſtra qværas, nunqvam invenias. Cumqve univerſus tractatus qvatuor capitibus abſolvatur; in primo qvippe diſqvirit: *utrum Jeſus Chriſtus deformis corpore atq; oris ſpecie fuerit?* negantemqve ſententiam argumentis corroborat; In ſe-

cundo ea diluit, qvibus deformitas Christo affingitur; In tertio nonnullis propositionibus formam Christi, qvam excellenter pulchram non fuisse disputat, adductis in medium variis rationibus, exponit; In qvarto deniqve considerat, *qvam ea vim habeant, qvibus Christus formosus præter cæteros inducitur?* Cum oculis meis & lectioni objiceretur haud ita pridem elegantissimus libellus, recordatus, qvod diversam a Vavassore sententiam sub Amplissimi Præceptoris mei & primarii hodie Ecclesiæ nostræ Theologi, D. SEBASTIANI SCHMIDII, præsidio, in qvadam ad c. LIII. Esaiæ Disputatione exercendi ingenii causâ qvondam defenderim, cœpi argumenti hujus veritatem paulò accuratius inqvirere, cumqve oratorio stylo svaviss imè omnia a Jesuita dicta essent, qvam veritatem haberent, si analysi Logicâ resolverentur, expendere; motus inprimis communi Theologorum opinione, qvæ formam Christo præ cæteris mortalibus pulcherrimam adscribit, qvam nec pro se, qvamqvam de cætero Vavassorem *sanum per omnia & sincerum de re ipsâ judicium interposuisse*, in Præfatione testetur, reticuit in notis Excellentissimus Arndius. Pertinet autem, ut omnes norunt, hæc de formâ corporis Christi disqvisitio ad istud articuli de Christo punctum, ubi de humana ejusdem natura, ejusdemqve tum essentiali perfectione, tum qvalitatibus accidentalibus, qvas inter & optimum corporis temperamentum, & forma tanto hospite digna numeratur, solet tractari.

Igi-

Igitur, hanc materiam de qvâ certè citra fidei periculum in utramqve partem disputari posse omnes nobiscum confitebuntur intra modestiæ terminos excutiendam ita sumpsimus, ut nostram sententiam idoneis argumentis firmaremus, & contrariam, qva potuit fieri brevitate, refelleremus. In qvo sicut freti sumus auxilio divino, ita qvoqve benevolentiam æqvi lectoris nobis eò certius promittimus, qvod sententiam nostram neq; cuiqvam obtrudimus, nec ita asseveranter eidem inhæremus, qvin rectiora monentibus facile cessuri simus. Liceat nobis in argumento, *raro qvidem nec in publico hactenus pertracto, pio tamen inprimis*, [ut judicat doctissimus Arndius] vel ingenii vel devotæ in Servatorem pietatis vires periclitari & vel saltem aliis occasionem suggerere, vel certiora docendi, vel ad publicam ædificationem utiliora.

CAPUT I.

Proponens statum controversiæ.

I. CUm formosum aliqvid dici vel pulchrum variis modis usu veniat, removenda nobis sunt initio statim ea pulchritudinis genera, qvæ in hac qvæstione non attenduntur. Est autem omnis in universum pulchritudo [humanam enim pulchritudinem solummodo hic considerari, controversia caret] duplex, animi & corporis, qvarum illa, cum hæc, ubi sola est laudem, qvalis virtuti competit, non mereatur, per figuram qvandam pulchritudinis nomen sola sortitur. Clemens Alexandrinus l. 2. Pædag. c. 12.

p. 43. *In solâ animâ*, inqvit, *pulchritudo apparet & turpitudo, & ideò is solus, qvi est virtute præditus, is verè est pulcher, bonus & honestus: & solum qvod pulchrum est & honestum, bonum statuitur. Solum autem virtus vel per pulchrum corpus apparet, & in carne efflorescit, moderationis speciem amabilem ostendens, qvando mores tanqvam lux qvædam in formâ resplenduerint.* Igitur cum in Christo partim anima propriè dicta, partim qviddam animæ analogum, nempè divinitas, inveniatur, & verò tam anima qvam divinitas, hæc autem præcipuè pulchra sint: Divina qvippè natura fons est omnis pulchritudinis; Ergo & ipsam in se pulchram esse necesse est, neqve anima peccati vitiique omnis expers deformis ullâ ratione esse potest; de hac utraqve pulchritudine nullam cuiqvam litem moveri, sponte intelligitur.

II. Eqvidem dubitari non debet, pulchritudinem propriè & primò rebus tantum corporeis, iisdemqve adspectabilibus, qvorum proportio oculis usurpari & perspici possit, competere. Nam illam huic termino notionem freqventissimus usus, penes qvem est vis & norma loqvendi, & primus, qvi vulgo auditâ voce ab omnibus statim apprehenditur atqve exauditur, conceptus impressit. Qvæ verò de cætero ab ornatu suo describere atqve commendare cupimus, decora potius & egregia atqve præclara majori proprietate vocamus. Ex hac itaqve corporum pulchritudine deducta figura est, qvoties cætera, qvæ corporeæ

rex molis sunt expertia, veluti qvæ vel ad spirituum vel ad morum doctrinam pertinent, pulchritudinis appellatione cohonestamus. Qvemadmodum itaqve, dicente Cicerone, pulchritudo corporis *apta compositione membrorum movet oculos & delectat hoc ipso, qvod inter se omnes partes cum qvodam lepore consentiunt*; ita cætera, extra corporum sphæram posita, concinna vel partium vel virtutum conjunctione animum movent & mentem delectant. Neqve etiam vel Deum ipsum, qvi pulcherrimus est, vel virtutem, qvæ proximo a Deo gradu pulchritudinem participat, pulchra imaginari animo nostro possumus, nisi ad modum corporum aptam nobilitatum Divinarum aut partium virtutis figuram, cum qvadam naturæ eorundem suavitate, intellectui qvasi præsentemus. A solo qvoqve pulchritudinis effectu, qvi est, animo nostro placere & amorem sui conciliare, complura pulchra atqve formosa dici, extra dubitationis aleam collocatum esse existimo. Hoc certè sensu proverbialis locutio apud Ciceronem in Tusc. Qvæst. exaudienda est: *Suum cuiq; pulchrum est: te tua, me delectant mea.* Nec aliter pulchra dicuntur, qvæ in alio qvam videndi, genere, sensus oblectant, ut cum vel vinum vel delicatum qvempiam cibum, qvæ in proprio significatu vel suavia vel mollia vocamus, etsi de cætero ob particularum, ex qvibus coalescunt, & colorum confusionem nihil minus, qvam pulchra dici mereantur, pul-

pulchra esse, vel pulchrè nobis sapere dicimus. Adeò sæpe vocabulorum vim ob unius alteriusqve rei convenientiam ampliamus, utpote qvando splendidum & illustre, qvicqvid magnificum & amplum & celebre est, ideò appellamus, qvia lux, qvippe qvæ sola propriè illustris est & spendet, amplè sese diffundit & obusus sui magnitudinem insignem ubiqve excitat sui existimationem. Ita *venustè sibi cecidisse* Cicero ait, qvod commodè accidit, & *dicendi vim venustam*, qvam alias suavem & festivam appellamus; Horatius, *Pulchra poëmata*, Terentius, *pulchrè sobrium*, iterum Cicero, *pulcherrimè stare*, dixit, & in universum Qvintilianus, libr. VI. *Venustum est omne, qvidqvid cum gratia qvadam & Venere dicitur.*

III. Ex qvibus intelligi datur, pulchritudinis vocem extra nativam sibi proprietatem accepisse, qvi primò Deum, deinde virtutem, deniqve externam hominis faciem aut reliqvorum corporum concinnam dispositionem pulchram esse, adseruerunt. Prorsus eo sensu, qvo nonnulli lucem propriè & primò de DEO dici, secundo autem de rebus materiatis, analogiam qvandam hic fingentes attributionis intrinsecæ, disputarunt. Neqve enim licet à luce, qvæ in definitione suâ & conceptu essentiali qvalitatem materialem involvit, ideò, qvod aliis qvoqꝫ rebus haut materiatis, per similitudinem qvandam & analogiam proportionis extrinsecæ qvandoqve attribuatur,

tur, generalem &, ut in simili qvondam materia Sam. Bohlius locutus est, formalem qvendam abstrahere conceptum, qvi inferioribus ex æqvo propriè, licet inæqvali prædicandi modo, conveniat. Qvemadmodum fas non est, a brachio, qvod & Deo & hominibus tribuitur, communem abstrahere notionem, qvæ vel fortitudinem vel directionem significet, atq; eadem immò majori proprietate, primò nempe, Deo qvam creaturis adscribere. Res certè, qvæ per lucem modo propriè, modo impropriè sumptam enunciatur, in generali conceptu & Deo & rebus materiatis propriè convenit; ex qvo tamen perinde non seqvitur, lucem ipsam Deo propriè tribui, qvam non seqvitur, vitem Christo, qvia res per vitem designata, nempe fœcunditas, & Christo & viti materiali in generali illo conceptu propriè competit, propriè convenire; cum ob analogiæ adæqvationem, sicut de Deo lucem cum addito veritatis: *hic est vera lux*; Joh. 1, 9. ita de Christo vitem cum eadem additione: *ego sum vitis vera*. Joh. xv, 1. enunciari conspiciamus. Eadem prorsus ratione res per pulchritudinem significata, & qvidem in notione duntaxat generaliori, utpote bonitatis, amabilitatis, suavitatis, perfectionis, primò Deo competere & virtuti, concedere utiq; possumus, ut tamen pulchritudinis vox, propriè sumpta & res ejusdem conceptu specialiori & determinato, qvi tamen pulchritudini nativus & proprius sit, significata in res corporeas atq; materiatas tantummodo qvadret

dret. Pulchritudo enim prima imponendi significatum intentione ad notitiam atqve sensum videndi refertur, qvo proportio partium, qvantitate gaudentium, & color nitorve percipitur, atqve hac ratione a bonitate, latius patente, secernitur. Qvod illi qvoqve, qvi vel Divinitatem vel virtutem primò pulchram esse dixerunt, haud obscurè indigitarunt, dum ut rebus illis pulchritudinem, ita & lucem & colorem, eadem ἐμφάσει adscribere non sunt veriti. Clemens Alexandrinus, è qvo aliqva jam supra produximus libr. III. Pædag. c. XI. p. 182. Ed. Heinf. *Pulchritudo optima primum est pulchritudo animæ, ut sæpe significavimus, qvando fuerit sancto spiritu & iis, qvæ ab eo oriuntur, ornata lætitiis anima, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, qvo nullus color nitidior unqvam visus est.* (Vides ergo in pulchritudine virtuti asignanda metaphoram a coloribus, eorumqve nitore, duci) *Postea autem exerceatur qvoqve pulchritudo corporis, aptâ membrorum competentia & partium cum bono colore.*

IV. Nec minus inpropria hæc pulchritudinem rebus immateriatis attribuendi ratio apparebit, si meminerimus, eò qvod ob pulchritudinem cumprimis res oculis obvias amemus & laudibus proseqvamur, ideò & rebus sensus expertibus pulchritudinem nos vel maximè, & primò admetiri, qvod hæ, utpote Deus & virtus, & similia laudem ante cætera omnia & primo mereantur. Qvippe virtus, qvo-

qvocunqve demum in corporis ergastulo, qvâcunqve in animâ, qvantumlibet deformi, habitans, laudabilis atqve amabilis est, cum pulchritudo sine virtute neqve amorem sui neqve æstimationem pariat aut parere meritò debeat. Qvamqvam enim in genere naturæ, qvo qvid in se magis complectitur perfectionis, eò majori qvoqve laude dignum sit; atqve ideò pulchritudo, qvacunqve in materiâ, & qvascunqve in vitiorum moralium conjunctione spectata, laudabilitatem in se, ob insitam sibi perfectionem & bonitatem, non amittat; qvia tamen dona naturalia, qvantumvis egregia & magnifica, si vitiorum moralium sordibus commaculentur, non tantum brevi tempore evanescunt, sed ea qvoqve pœnæ commeritæ sive in hac sive in altera vita insequuntur, cum è contrario animi virtutes, si in sordidissimo etiam atqve deterrimo corpore existant, nunqvam peritura præmia expectent, sit, ut æstimatione morali, qvæ precium rebus, non ab innata tantum bonitate, sed constantia etiam & ubertate atqve abundantia fructuum, qvos progenerare aptæ sunt, imponit, virtutem vel ante cætera omnia, vel solam, [in qvantum nimirum in ordine ad procuranda præmia, qvæ illa sola producit, consideratur] amemus atqve commendemus. De Alexandro M. igitur Jo. Freinshemius, in Suppl. Curt. lib. I. c. II. n. 8. ex Æliano, Arriano & Solino; *Excellens nativa & genuinâ venu-*

state

ſtate corporis, cultum aſpernabatur; anxiam formæ curam fœminis convenire dictitans, qvæ nulla alia dote æqvè commendarentur: ſi virtutis potiri contigiſſet, ſatis ſe ſpecioſum fore. De Socrate Clemens Alexandrinus, lib. V. Strom. p. 434. *In Phedro precatus: O Pan & Dii alii, date mihi, ut intus ſim pulcher & honeſtus. In Theæteto autem apertè dicit: qvi enim pulchrè dicit & honeſtè, is pulcher eſt, bonus & honeſtus. Et in Protagora fatetur Protagoræ familiaribus, ſe eum conveniſſe, qvi eſſet pulchrior Alcibiade; ſiqvidem eſt pulcherrimum id, qvod eſt ſapientiſſimum. Dicebat enim, virtutem eſſe animæ pulchritudinem, contra autem vitium animæ turpitudinem.* Non qvod pulchritudinem corporis, tanqvam in ſe laudabilem, contemneret, ſed qvia præſtare moraliter arbitratus eſt, corporis qvam animæ pulchritudine, ſi alterutrius jactura facienda eſſet, carere. Idem Divinus veteris Eccleſiæ Doctor, Clemens, graviter in Imperatorem Romanorum, Adrianum nempe, ut ex Xiphilino & Chryſoſtomo in Annotat. ad h. l. docet Fr. Sylburgius, invehitur, qvod Antinoum, amaſium ſuum, inter formoſiſſimos numerandum, ita in Deum conſecrarit, ut Ganymedem Jupiter; in Admon. ad Gent. p. 24. *Qvid mihi*, inqvit, *refers in numerum Deorum, eum, qvi ſtupro fuit honoratus? Quare autem & juſſiſti lugeri tanqvam filium? Aut qvare ejus qvoq; refers pulchritudinem? Turpis eſt pulchritudo, qvæ per contumeliam & probrum emarcuit. Ne tyrannidem exerceas, ò homo, in pulchritudinem, ne probrum*

probrum afferas florenti adolescenti. Ipsam mundam conserva, ut sit pulchra. Pulchritudinis rex esto, non tyrannus. Liber maneat. Tunc tuam agnoscam pulchritudinem, quoniam mundum conservasti imaginem. Tunc veram adorabo pulchritudinem, quæ est exemplar pulchrarum. Quo pulchritudinem non in se utiqve turpem, sed ex accidenti à nefando scelere fœdatam innuit, qvo pacto & Diogenes, cum vidisset qvendam decora facie & moribus inhonestum, dixisse fertur: *ò qvam bona domus & malus hospes?* Pulcherrimum itaqve consortium est pulchritudo animi & pulchritudo corporis, juxta Menandri dictum:

ὡς ἡδὺ κάλλος, ὅταν ἔχει νοῦν σώφρονα;
Qvam suavis res est pulchritudo, qvando habet mentem sapientem?

Et Socrates apud Plutarchum, ut se in speculo adolescentes intuerentur, suadere consuevit, ut deformes virtute corrigerentur, pulchri, ne deturparenrur vitio. *Matrona qvoqve*, ajebat, *cum in manibus speculum habet, secum ipsa dicere debet, si deformis est: qvid si temperans & pudica sim? Pulchra verò: qvid si præterea sim honesta? Nam deformis, si propter mores, pulchra verò propter formam diligatur, veneratio qvædam accedit.*

V. Deinde eam qvoqve, qvæ corpori competit, pulchritudinem duplicis pariter generis esse constat; ἔμφυτον i. e. *connatam* & naturalem, qvalis Adamo competit, qvando divinis manibus formabatur, qvalemqve necesse est omnibus iis competere, qvi naturali generatione ci-

tra vitium naturæ adhærens & deformitatem qvandam ex accidenti inducens, cum natura sibi relicta & perfecta perfectum perpetuò intendat, &, nisi impedimentum aliqvod interveniat, assequatur, à Parentibus descendunt: & ἐκτὸς κτητον, id est, *acqvisitam*, qvalis ea est, qvæ fucis, cerussâ, purpurisso, creta, stibio & similibus conciliatur; qvando apud Prudentium

- - - non contenta decore
Ingenito externam mentitur fœmina formam,
Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, qvod adhuc res exigat, ut res hyacinthis
Pingeret, &c.

Et hodie complurimæ, qvæ alias præterqvam formæ studendi artes haud addidicerunt, sapunculo faciem diligentissimè illinunt, capillos insolant, aut inficiunt, ut colorem mutent, aut veris crinibus ementitos substituunt, candidoqve pulvere interspergunt, genas deniqve, ora atqve oculos vel coloribus distinguunt, vel atris qvibusdam stellulis, ut cuticulæ candor adspicientium oculis eò se suaviori blandimento insinuet, notant; in qvod seculorum etiam antiqviorum cacoëthes pientissimi Ecclesiæ veteris præsules gravi zelo subinde acerbè invehuntur. Jam verò de illa solum â nobis agi, hac prorsus remota, cum de Servatore nostro, *in cujus ore fraus non fuit inventa*, Es. LIII, v. 10. tale qvid cogitare religio nobis sit dubitari non debet.

VI.

VI. Præterea cum Servator noſter neqve vitam duxerit in delitiis occupatam, neqve eo ciborum genere uti potuerit, qvibus innata pulchritudo conſervaretur potius qvam corrumperetur; Nam in utero qvidem Matris ſuæ ſine vitioſæ materiæ commixtione conceptus, nutritus tamen eſt alimentis maternis, non certè ad pondus temperatis, inprimis poſtqvam editus in lucem eſſet, ad ſumpta ſpontanea paupertate ſæpè eſuriit, ſæpè cibis uſus eſt, non qvi tam temperato corpori conveniebant, ſed qvi in promptu egeno fuerant, injuriis inſuper externis freqventiſſimè per totam vitam impetitus; aſſerere neqvaqvam poſſumus, eadem ſemper formâ, eadem pulchritudinis excellentia fuiſſe. Cum autem hodie in tanta vitioſorum humorum copia & ex ſemine vitioſo progenerari nihilominus venuſtiſſimos liberos, venuſtatemqve longiſſimo ſæpè tempore conſervari videamus, nihil obſtat, qvin dicamus, eò magis cæteris omnibus formoſiorem fuiſſe Chriſtum, qvo minus proprii & nativi vitii, qvo cæteri abundant, in ſeſe poſſedit. Qva in parte Adamo, primo noſtro parenti, ob rationes, qvas infra adducemus, præferre eundem neqvaqvam veremur.

VII. Ad vitandas autem obvias qvasdam difficultates, qvid pulchritudo propriè ſit, nobis diſpiciendum eſt. Cum autem ea ex eorum numero entium ſit, qvæ Ariſtoteles talia

per accidens vel per aggregationem vocat, cum partim ad qvalitatem, partim ad relationem spectet, difficile est eam reperire definitionem, qvæ rei qvidditatem accuratè exhauriat. Marsilius Ficinus, ad Plotini lib VI. cap. 1. pulchritudinem in genere describit, *gratiosum aliqvid, seu gratiam qvandam allicientem nos per visum vel auditum vel rationem, communi notione conceptam.* Sed cum nobis de pulchritudine eà, qvæ corporis est, in specie sermo sit, hanc esse dicimus sive formam corporis sive proportionem ejusdem & συμμετρίαν qvandam gratiosam, ortam ex legitimo colore, magnitudine, figura, situ & numero partium & conformatione cum toto, animum mediante visu afficientem. Ex qvà descriptione apparet, qvanqvam ad veram pulchritudinem ortus ex temperamento legitimus color, justa corporis magnitudo, ne nimis magnum, nimisqve parvum sit, habeatqve partes aptà proportione in unum conspirantes, ut nihil distortum, convexum, depressum, vel aliter à naturæ perfectione devium appareat, figura qvoqve, qvâ erectà peculiari à naturà privilegio homo donatus est, situsqve, qvo singula membra destinatum à natura & decentem locum occupent, membrorumqve numerus, aptaqve ad invicem dispositio reqviratur, non tamen exprimi accuratè posse, qvæ, qvanta, & qvalia singula membra, ut universum corpus pulchrum reddatur, qvantum exempli causa caput, qvales

ocu-

oculi, qvi capilli, qva conditione collum, pectus, manus, pedesqve esse debeant; cum in his judicia vehementer discrepent, & nonnullis hodie, sicut vestes ad modum, ut vocant, i. e. seculi consuetudinem, ita venustas qvoqve faciei, oculorum habitudo, & crinium, & deniqve totius hominis pulchritudo formetur; sed à conseqventi & effectu potissimum agnosci, qvo fit ut illud, qvod pulchrum est, commendemus invicem, admiremur & amemus. Hinc formosa facies muta commendatio est, & Olympias, cum accepisset, Alexandrum adamare fœminam, à qva putabatur amatoriis venenis corruptus, accersivit ad se mulierem, qvumqve præter insignem formam comperisset in eâ mores liberales & ingenium egregie dextrum: *Valeant*, inqvit, *qvi te insimulant veneficii. Nam tute qvidem pharmacum & philtrum in teipsa habes.* Ad qvos deniqve amores & admirationes & rapuerit olim forma, & adhuc rapiat multos, notius est, qvam ut debeat recenseri.

VIII. De qvibus verò omnibus, ut rectius constet, particulatim nobis progrediendum est. Diximus itaqve primò: pulchritudinem esse membrorum partiumqve proportionem, cum qvadam suavitate coloris. Ita è paganis Cicero, qvarto Tusculanarum qvæstionum: *est pulchritudo corporis qvædam apta figura membrorum, cum coloris qvadam suavitate.* E Christianis Clemens Alexandrinus, loco antea

allegato: *τὸ σωματικὸν κάλλος συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας: pulchritudo corporis apta membrorum competentia & partium, cum bono colore.* Nec verò commodius qvalitatis hujus naturam & ingenium præsentari posse, qvam cum qvarumlibet rerum, in qvarum pulchritudinis ratione reqvirenda occupati sumus, mutuum inter partes consensum, cum inducto qvodam splendore sive nitore, aut animo aut oculis concipimus, ex subjectis liqvebit exemplis. Qvi palatium insigni artis architectonicæ laude celebratum inspectat, si rogetur, qvæ præsertim pulchra oculis suis appareant, respondebit: columnas æqvis interstitiis dispositas & marmore polito simillimè nitentes, aream æqvilateram, portas ad numerum patentes, ædificii altitudinem latitudini ac longitudini qvadrantem, conclavia cum januis & fenestris è regione inter se consentientibus, ad symmetriam distincta & sine maculis candentia. Si hortum præ reliqvis pulchrum intueare, sistent, se tibi, ut alieno ore loqvar; *calles ad lineam rectà procurrentes, areæ ad normam qvadræ & molli terrâ conspersæ, intercurrentes aqvarum sulci, arbores ad spatia æqva consitæ, opera topiaria, qvæ mira varietate res etiam animatas effingunt, & viror ille spectatoribus arridens animumqve mirificè delectans & à coepto itinere sæpe detardans.* Si exercitium militari prudentiâ distributum & instructum, sive cum agminibus porrectis viam carpit, sive cum castra

ſtra metatur, ſive cum ad conflictum accingitur: *ille mirus diverſarum functionum ordo, præſcriptæ cuique ſtationes, levioris & gravioris armaturæ diſcrimina, vexilla ſubrecta, ſigno dato penè ad momentum enſes diſtricti, haſtæ infeſtæ, vibrata miſſilia, ad numeros muſicos percrepantes tubæ, ac denique armorum ſplendor* intuentes oppidò movebunt ac oblectabunt. Qvicqvid in his atqve ſimilibus exemplis eſt, qvod animos noſtros permulcet, oculorum noſtrorum adſpectum exſatiat, qvod, uno verbo, pulchritudinis nomine commendari fas eſt, id eſt proportio partium, concinnè diſpoſitarum & harmonicè conſpirantium, cum jucunda qvadam colorum temperie. Qvo verò ipſo pulchritudinem definiri antea ſumus profeſſi.

IX. Deinde monuimus, non poſſe ubiqve ſpeciales & determinatas proportionis illius rationes deſignari, ſed complura hominum judiciis, qvamqvam ſæpe immenſum diſcrepantibus, relinqvenda hic eſſe. Illuſtrabunt hic mentem noſtram verba Moſis Amyraldi, in doctiſſimo certè utiliſſimoqve opere, de Religionibus, contra eos, qvi Chriſtianos promiſcuè vel indifferenter iis uti poſſe perſuaſi ſunt, id eſt, adverſus Galliæ Deiſtas ſeu Epicuræos ſcripto, qvod è Gallico idiomate in vernaculam noſtram transfudit Adrianus Stegerus. Part. I. cap. VI. pag. 143. *Nemo tam cæcus aut tam ſtupidus eſt, qvin de naturali diſcrimine pulchritudinis atq; deformitatis membrorum*

nostrorum judicare & deprehendere possit; qvod præstantia pulchritudinis præ deformitate in ipsâmet naturâ, non in opinione tantum hominum, aut eorum qvi pro tempore invaluerunt, morum consistat; sicut alias vel venustas vel fœditas vestium secundum cujuslibet temporis morem, qvem modum vocamus vulgò, æstimatur. Eqvidem me non latet, opinionis in rebus qvibusdam certis & peculiaribus magnam vim esse, neqve rarò fieri, ut hoc atqve illud pro præsenti tempore in singulari ornamento egregiæ atqve excellentis pulchritudinis ponamus, qvod verò in antiqviori ætate pro tali neqvaqvam reputabatur. Nam & olim aliis fusci Veneris oculi, aliis cærulei seu lividi, qvibus Minerva qvondam superbiebat, magis arrisere. Id verò fit iis in partibus aut rebus, in qvibus naturale discrimen non ita apertum & manifestum est, ubi qvilibet sensu suo sine dispendio regularum rationis abundare potest. De cætero haud mihi persvaderi patior, qvempiam tam bardum esse, aut inficiari posse, qvod juxta Homeri delineationem sive Achilles sive Nereus pulchritudine Thersiten longo intervallo superarit, pulchriorqve hodie sit juvenis erectus, cuiqve singula qvam optimè & pulcherrimè sint disposita membra, qvam procidentibus ad pedum usqve calcaneos brachiis & incurvis brevibusqve tibiis prodigiosus & ridiculus nanus. Qvæ deinceps ad animi pulchritudinem pernoscendam pulcherrimè applicantur. Per figuram autem qvandam à Sev. Boëtio, libr. III. Consol. Philos. Prof. VIII. videri hominem potius pulchrum,

chrum, qvam esse, dictum est: *Formæ nitor*, inqvit, *ut rapidus est, ut velox & vernalium florum mutabilitate fugacior. Qvod si, ut Aristoteles ait, Lynceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum videretur? Igitur tepulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.* Cum enim venustam formam, ut Isocrates ad Demoniacum loqvitur, brevi vel *tempus consumat*, *vel morbus corrumpat*, pulchritudinem videri, qvam esse, qvæ tamen non minus ac res aliæ, qvæ moram tamen non nectunt, revera & per naturam existit, dicere maluit. Eleganter Ovidius, lib. II. de Arte:

Forma bonum fragile est, qvatumq; accedit ad annos
Fit minor, & spacio carpitur illa suo.

X. Deniqve adjecimus, ab effectu potius & conseqventi agnosci pulchritudinem, qvam ab internâ, qvæ sæpe nos latet, ejus indole. Nam pulchritudo partim ad amorem sui vi qvapiam insitâ trahit, partim ad venerationem. Ad amorem, dum corda, qvantumvis generosa subjugat & suavissimo dominatu ducit, qvo vult. Id qvod non minus verè qvam scitè ostendit in Helenæ laudatione, Græcorum facundissimus, Isocrates: *Pulchritudinis vires*, ait ex versione Hier. Wolfii, p. 427. *hinc facile intelliguntur. Multa enim sunt, qvibus plus honoris, qvam vel fortitudine vel justitia vel sapientia præditis habeatur. Eorum autem qvæ pulchritudine*

destituuntur, nihil diligi, sed contemni potius omnia, quæ hujus boni expertia sunt, & virtutem eo potissimum celebrari, quod omnium actionum pulcherrima sit, reperiemus. Quantum autem pulchritudo antecellat omnibus rebus, è nostris affectionibus erga formosos potest intelligi. Nam cæteris rebus, quarum usus aliquis nobis esse potest, tantum potiri volumus, animi verò propensione ulterius haud progredimur: at pulchrorum amor naturâ nobis est insitus, cujus tantò majores vires sunt, quam ut deliberandi spatium præbeat, quanto res ipsa est præstantior. Ac iis quidem, qui vel sapientia vel alia quapiam facultate præcellunt, invidemus, nisi nos quotidianis beneficiis alliciant & sui amorem quasi extorqueant: formosis autem è primo statim aspectu benevolentia conjungimur & solos eos, quemadmodum DEOS, colendo non defatigamur, sed libentius eis inservimus, quam aliis imperamus, majoremque illis gratiam habemus, si multa imperent, quam si nihil faciendum denuncient. Jam si qui alteri cuipiam præcellentiæ obnoxii sunt, eos insectamur & adulatores nominamus; servos autem pulchritudinis elegantes & industrios existimamus. Nimirum è tribus bonis humani corporis, sanitate, robore, pulchritudine, hæc cæteris amabilior est, hominumque demerendi benevolentiam & gratiam efficacior. Omnia quippe pulchritudine capiuntur, quæ suavissimo quodam imperio in omnium animos dominatum tenet, quod per quotidiana experimenta sine ulla

la controversia patet. Atqve hinc Plato eam vocavit *principatum naturæ*; Theophrastus *tacitam deceptionem*, Theocritus *eburneum detrimentum*, Diogenes, *formæ domicilium*, Carneades *regnum ἀδορυφόρητον, sine custodibus.* Cujus simile illud Socratis fertur, appellantis *tyrannidem non diuturnam.* Aristoteles pulchritudinem potiorem omnibus epistolis in commendando esse dicebat. Et interrogatus, cur tam libenter pulchros videamus & cum his loqvamur, respondit: *cæci esse hominis talem interrogationem.* Qvæ singula memorat Diogenes Laërtius lib. V. in Vita Aristotelis.

XI. Sed nec minus venerationis conciliat pulchritudo atqve nescio qvam vel majestatis vel Divinitatis opinionem animis nostris ingenerat. Qvod Isocrates eo ipso, è qvo jam aliqva excerpsimus, loco singulari dicendi gravitate hunc in modum eloqvitur: *Pulchritudine in totâ rerum natura nihil est augustius, nihil preciosius, nihil divinius. Tanta pietate & cura formam complectimur, ut si qvi formosorum malo consilio florem ætatis prostituerint, severiore censurâ notemus, qvam eos, qvi aliena corpora violarunt. Qvi verò ita suam formam custodiunt, ut tanqvam in templum nullus improbis pateat aditus, eos reliqva ætate, perinde ac si toti civitati benefecissent, honoramus. Et qvid opus est humanis opinionibus recensendis immorari. Qvum Jupiter optimus maximus in aliis potentiam*

suam

suam ædemonstret, ad pulchritudinem verò, humili persona susceptа accedendum esse censeat? Amphytrioni enim factus similis, ad Alcmenam venit: in aureum imbrem mutatus, cum Danaë congressus est; oloris figura in sinum Nemeseos confugit. atqve iterum ejusdem avis speciem qvum haberet, Ledam sibi despondit; deniqve semper arte qvapiam, nunqvam vi, tales naturas eum consectatum esse constat. Et apud Deos forma tanto est, qvam apud nos honoratior, ut etiam suis uxoribus, qvum ab iis vincuntur, ignoscant. Multæqve Dearum immortalium proferri possunt, qvæ qvum humanæ formæ succumberent, tantum abfuit, ut ullarem eam sibi dedecori esse putaret, aut clam habere studeret, ut tanqvam re bene & laudabiliter gesta, hymnis celebrari potius qvam sileri voluerint. Cujus rei signum illud evidentissimum est, qvod plures ob formæ præstantiam immortalitatem adeptos esse scimus, qvam propter virtutes cæteras universas. Qvæ qvamqvam ex Theologiâ Gentilium Fabulari deprompta esse palam sit, partim tamen qvam de pulchritudine dignitatis opinionem è paganis sapientiores, natura præeunte, foverint, apertè ostendunt, partim haud dissimilia de ea in sacratiori Philosophia celebrari, qvi rem altius expenderit, facile animadvertet.

XII. Qvippe Divinitatis haud obscura vestigia formæ venustati inesse, vel inde docetur, qvod primum omnium Parentem Adamum, qvi ad Divinitatis imaginem conditus est, hac

qvoqve

qvoqve in nobilitate Deum retuliſſe, nemo ſit, qvi dubitare auſit. Qvare ut à pulcherrimo univerſi ordine, ita qvoqve ab humani corporis venuſtiſſima fabrica, qvi gentiles in veri Numinis notitiam ſingularibus Scriptis deduxerunt, magni nominis argumentum deprompſiſſe, experientia teſtis eſt. Qvam in rem nunc duntaxat M. Minutii Felicis Octavium producemus, qvi, p. 134, ſeqventem in modum loqvitur: *Ipſa præcipuè formæ noſtræ pulchritudo Deum fatetur artificem, ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo, velut in ſpecula, conſtituti & omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti. Longum eſt ire per ſingula. Nihil in homine membrorum eſt, qvod non & neceſſitatis cauſa ſit & decoris: &, qvod magis mirum eſt, eadem figura omnibus, ſed qvædam unicuiq; lineamenta deflexa. Sic & ſimiles univerſi videmur & inter ſe ſinguli diſſimiles invenimur.* Qvibus gemina legi apud alios vetuſtæ Eccleſiæ Patres, Baſilium, Iſidorum, Lactantium, Theodoretum, Cæſarium, Procopium, Origenem, Tacianum, indicatis locis notat Geverhardus Elmenhorſtius. Clemens verò Alexandrinus, lib. II. Pædag. c. VIII. p. 133. *Sicut pulchritudo*, inqvit, *ita etiam flos delectat, dum videtur, & oportet nos eorum, qvæ pulchra ſunt, aſpectu fruentes, laude & gloriâ afficere opificem.* Nec profectò malè Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio Auguſto dicto, cui *felicem patriam, domum claram, FORMAM DIVINAM, ætatem integram, militarium civiliumqve rerum uſum contigiſſe*

tigisse scripserat, exclamat: *O digna imperio nobilitas, ejus esse filium principis, qvi hunc Romani fastigii apicem non solum fortitudine atqve sapientia, sed decore etiam corporis & dignitate potuerit æqvare, velut tua hæc forma venerabilis, qvam fortunæ suæ par est, qvam longè latèqve conspicua commendat imperium, ut planè in ambiguo sit, utrum te magis nostris mentibus, an obtutibus vultus insinuet? Non frustra planè opinione sapientium, qvi naturalium momenta causarum subtilius scisciti arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, augustissima qvæqve species plurimum creditur trahere de cœlo. Sive enim Divinus ille animus, venturus in corpus, dignum prius metatur hospitium, sive, qvum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, sive aliud ex altero crescit, & cum se paria junxerunt, utraq; majora sunt.*

XIII. Isthæc verò de insita formæ pulchritudini majestate persuasio tam altè naturæ hominis insedit, ut *homines barbaros magnorum operum non alios capaces putare, qvam qvos eximia specie donare natura dignata est*, scribat Q. Curtius, libr. VI, c. V. n. 29. sententiamqve hanc, exemplo motus Divini è cœlis judicii, qvod in eligendo primo Israëlitarum Rege, Saule, corporis qvoqve pulchritudinem respexit, I. Sam. X, 23. ita corrigat Petr. Cunæus, I. de Rep. Hebr. cap. XIV. *Qvare profecto non jam barbarorum illud duntaxat, sed hominum etiam exculisimorum est, majestatem corporis venerari, magnorumqve operum illos capaces putare, qvos eximia specie natura donavit. Aristotelis, maximi*

aucto-

auctoris, scitum est, si qvi nascantur tanto aliis corpore excellentiores, qvanto simulacris hominum antecellunt Deorum imagines, dignos videri reliquos, qvi his serviant. In Sacris præter Saulem & Mosis & Davidis & Josephi & Absholomi & Adoniæ forma laudatur, qvi ideò regnum vel ambierunt vel obtinuerunt. In profanâ historiâ Græcorum antiqvissimus, Homerus, Achillem suum atq; Hectora & Paridem pulchritudine præstabili insignivit. Apud Virgilium, Anæas

Os humerosqve Deo similis.

inducitur, id est, majore qvam humanâ pulchritudine gaudet. Apud Cathæos *regem pulcherrimum eligi*, Onesicritus auctor est, apud Strabonem, lib. XV. Qvod & in Æthiopiâ fieri, Athenæus memorat. De Xerxe Herodotus, lib. VII. *In exercitu Xerxis nemo erat, qvi aut specie aut magnitudine corporis cum Xerxe ipso posset contendere.* Cum econtra deformitas humiles qvosq; & abjectos vulgo arguere crederetur. De Philopœmone, Achæorum Stratego, Plutarchus narrat, in vita ejusdem, qvamqvam non adeò deformi corpore fuerit, cultu tamen negligentiori incedere consueviſſe. Cum ad hospitem qvendam Megarensem invitatus accederet, Uxor ipsius, nunciato, Prætorem Achæorum ad se venire, dum parat cœnam, absente forte viro tumultuabatur; ac cum Philopœmenes interea ingrederetur obsoleta, amictus chlamydula, existimans, aliqvem esse ex ministris & antecursorem, oravit eum, ministerio ut manum admoveret.

Ille

Ille abjecta confestim chlamyde cœpit ligna findere. Cum autem superveniret hospes atqve id spectaret: *qvid hoc rei est*, inqvit, *Philopœmene?* tum ille: *qvid aliud, qvam qvod fœdæ speciei pendo pœnas?* Sed verò plura ex historiarum monumentis ad allegatum Curtii locum in hanc rem congessit vir meritis in rem literariam illustris, JOH. FREINSHEMIUS.

XIV. Qvin & istud, qvod severiori censura notati sint, qvi cum pulcherrimi essent, pulchritudinis innocentiam turpiter prostituerunt, majoraqve meruerint præmia, qvi venustatis florem illibatum servarunt, exemplis sacris & profanis comprobatum ire uberrimè possemus, nisi ejus rei veritas omnium oculis ultro pateret. Qvamqvam verò istos gentilium Deorum amores inter spurcas hominum, in tenebris ambulantium, abominationes merito rejiciamus: sanctior tamen historia primogeniti supremi in cœlo Regis Filii qvæsitas in venustissimis Sulamitidis brachiis delicias, ita operosè enarrat, ut ejus se pulchritudine unicè delectare cœlestem sponsum, ab eademqve se vinci, [qvemadmodum τὸ καλὸν καὶ τῆς ῥώμης αὐτῆς ἀρχειν πέφυκεν, juxta Isocr. in Hel. Laud. p. 413.] & deniqve eandem Divinæ suæ gloriæ & beatitudinis participem reddere contestetur. De qvo eqvidem haud inconcinnè, qvidam è monachorum grege Carmelita Discalceatus, Calaguritanus, qvi se Johannem à Jesu Maria vocat, libro de amo-

amore Dei parando atqve tuendo, c. III. p. 33. hunc in modum perorat: *Qvanta sit formæ laus, vel ex hoc solo capite liqvet, qvod Spiritus Sanctus bona illa eximia, vel arcana animæ, in DEI sponsam accitæ, non alia, qvam pulchri corporis imagine in cantico Salomonis adumbravit; qvasi res hæc divina sit, qvæ res Divinas aptè repræsentet, ac Deum amore captum velut in tabula qvadam, humano captui attemperata, spectandum objiciat.*

XV. Qvæ qvanqvam ita se habeant, in pulchritudine tamen, tam universum considerata, qvam speciatim, ut summa & exqvisitissima est, gradus modosqve dari qvosdam, extra dubitationis aleam positum est. Sic alia pulchritudo summa est & exacta, iis frequentius competens, qvi in delitiis sunt & corpori per omnem vitam curando invigilant. Alia stata & mediocris, qvalis in medio vitæ genere reperitur. Alia deniqve humilis seu plebeja, qvæ in rusticorum qvoqve ædibus paulo supra deformitatem exurgit. In summa qvoqve pulchritudine alia forma viris, alia mulieribus competit. Nam utrisqve neqve habitus corporis idem, neqve oculi, neqve manus, pedesqve iidem conveniunt, qvi tamen pariter formæ specie excellere possunt. Svetonius de Nerone: *Vultu pulchro magis, qvam venusto*; qvibus verbis secundum qvosdam pulchritudine faciei colorem, venustate lineamenta corporis; secundum alios pulchritudine formam viros decentem, id est,

gravem, venustate verò speciem muliebrem & delicatam exprimere videtur. Bion apud Stobæum sermone 65. *Forma mulieribus est res decora, viris autem fortitudo.* Quo certè non omnis forma viris, sed mollis tantum & libidinosa abjudicatur, simulque formam viris competere fortem, ubi gravitas temperata cum comitate ex oculis, ex fronte ingenuitas, eloquentia ex labiis velut prominentibus, ex facie veritas & dignitas, ex totius corporis dispositione autoritas pondusque, quæ singula in venustate muliebri non reperiuntur, quasi eluceſcat, innuitur.

XVI. Galatheæ, cujus amore Polyphemus ardebat, venustatem his versibus describit Ovidius; lib. XIII. Methamorph. v. 789. ſ.

Candidior folio nivei Galathea ligustri,
Floridior prato, longâ procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lasçivior hœdo,
Lævior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis, æstivâ gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior altâ,
Lucidior glacie, matura dulcior uvâ,
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto.

Atque hinc ad muliebrem pulchritudinem tria requirit Ben. Pererius, Comm. in Geneſ. Tom. III. c. XX. verſ. 2. Disp. 1. *mollitudinem & teneritudinem carnis, lævitatem corporis, omnes penitus excludentem rugas, præsertim in facie & manibus, & insuper vivacitatem quandam & suavitatem coloris.*

Ut

At qvi hæc singula pulchritudini virili aptaverit, næ is effœminatam ex viro mulierem efficiet & ex rege generoso mollem delicatumqve Sardanapalum. Aliter viri decorem instruit, is, qvi mulieris formositatem descripserat, Ovidius, lib. I. de Arte v. 511. s.

Forma viros neglecta decet: Minoida Theseus
Abstulit à nulla tempora comptus acu.
Hippolytũ Phædra, nec erat tunc comptus, amavit,
Cura Dei Sylvis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit benè conveniens & sine labe toga.
Linguaqve nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxâ pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant & sint sine sordibus ungues,
Inque cavâ nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virqve paterqve gregis.
Cætera lasciviæ faciant, concede, puellæ,
Et si qvis male vir qværat habere virum.

Nec qvi ex aliis auctoribus virorum Principum formam retulerunt, muliebri mollitiei & teneritudini ullum concessere locum. De Augusto Suetonius: cap. LXXIX. *Forma fuit eximia & per omnes ætatis gradus venustissima: qvamqvam & omnis lenocinii negligens & in capite comendo tam incuriosus, ut raptim pluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam: Oculos habuit claros ac nitidos. Dentes raros & exi-*

guos & scabros: capillum leviter inflexum & suffla-vum, supercilia conjuncta, mediocres aures; nasum & à summo eminentiorem & ab imo deductiorem, colorem inter aqvilum candidumqve; staturam brevem, sed qvæ commoditate & æqvitate membrorum occuleretur, ut nonnisi ex comparatione adstantis alicujus procerioris intelligi posset. Formam viri venustam per partes depictam, qvasi in mappâ conspiciendam, præbuit. De Claudio idem Suetonius, cap. XXX. *Auctoritas dignitasq; formæ non defuit vel stanti vel sedenti, ac præcipuè qviescenti.* Ubi virilem in formâ gravitatem notat. De Tito, c. III. *Forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, qvam gratiæ*; eodem fere sensu. Cumqve inprimis candor corporis mulieres vehementer ornet, ille certè, qvamqvam à virorum formâ non sit alienus, sæpe tamen citra ullam pulchritudinis virilis jacturam ab eadem exulat, cum & oblividum, [ita Suetonium interpretatur Is. Casaubonus, p. 176.] in Augusto, & subnigrum in Davide laudari sciamus. Nec insulsè qvidam:

Candidus in nauta turpis color, æqvoris undæ
Debet vel radiis sideris esse niger.
Turpis in agricola, qvi vomere semper adunco
Et gravibus rastris sub Jove versat humum.
Et tu Palladiæ petitur cui fama coronæ,
Candida si fuerint corpora, turpis eris.

XVII. Qvam verò virilem gravitatem ista muliebris ornatus venustas dedeceat, id est, pulchrum viris non sit, qvod in fœmina decus

est

est, non aliunde rectius, qvam ex corruptis præsentis seculi moribus edoceri possumus, ubi cinædi nostri plusqvam muliebres & Veneris è Galliâ parasiti lepidissimi iis se comunt pectuntqve formarum lenociniis, ut, qvum à fœminis, muliebrem qvippe etiam animum induti, ut externo habitui internus non disconveniat mentis color, aut nihil aut parum discrepent, sub Androgyni satyra meritò eos insectetur Petrus Firmianus, in Gyge Gallo: *Hanc*, inqvit, *corporis humani amphibologiam vidit Gyges, cum ad cujusdam juvenis cubiculum perveniisset. Recens adhuc è lecto togam sumpserat, sedebatqve ante speculum, & dum ille vultus suos miratur in vitro, sollicitus servus digitorum habili motu patientissimi Domini caput fingebat, ut vario ordine nunc in breves nunc in laxiores annullos prolixa coma recideret. Qvicqvid primæ barbæ proxima nocte succreverat, jam novacula decerpserat, ut omninò nesciret Gyges, virum an fœminam cerneret? Monstrabant fœminam leves genæ, effusissimum capillamentum & maximè illa animi fortitudo, qvæ mulierum est, cum diu ornantur; hanc enim in viris non videmus ineptissimam constantiam. Non tantopere curat fuos crines generosior sexus, urgetur ad alia, laborem istum non fert. Ergo fœmina est, ajebat Gyges. Defixum in illâ cogitatione in aliâ sententiam avertit comptissimi juvenis, qvi diu silentium tenuerat, vox robustior; nam tonus ille virilis videbatur: mox ad aliqva respondens famulus, calamistrato illi, qvi qvæstionem fecerat, tanqvam viro locutus est, vocavit enim dominum suum. Tum Gyges apud se: Itane? Sic igitur vultus, sic speculum, sic coma venustuli*

illius me fefellerit & malè de sexu conjectarim ex muliebri patientia? Ingens Deorum beneficium existimavit Socrates, qvod vir esset, non mulier & in digniori sexu obtineret rationis principatum. Juvenis hic sponte eviratus, naturæ suæ munus videtur impingere; sexum enim, qvem ab illa accepit, palam abjicit, occultè tantum resumpturus, ubi libidinosa nox, qvid natus sit, admonebit, interdiu propemodum oblitum sui. Talis ille apud Dionem Princeps, qvem cum aliqvis salutavisset, ut Dominum, respondit, se dominam esse: muliebrem enim pallam sumpserat, diffluebant unguentis comæ, gemis articuli fulgebant, & incessu ac voce mulier, ut imperatricem indueret, Imperatorem exuerat..... O certè, dignos, qvi in mulierum senatu honoratiores sedes habeatis! Jus omne muliebre ita didicistis, ut illud à vobis fœminæ petant, qvoties de venustate inter illas controversia oritur. Qvid ad formam, qvid ad mollitiem, qvid ad mendacium oris pertineat, decernite judices, dum fortioribus incumbent, qvi viri sunt & enses in publici hostis perniciem stringent, qvos gestatis innoxios. Hactenus ille.

XVIII. Qvid? qvod & pulchritudo virilis, qvæ sola hujus loci & considerationis est, ubi summa & eminentissima est, pati tamen diversitatem qvandam gradusqve possit. Neminem enim negaturum esse arbitror, aliam sexui virili in ætate puerili, aliam, ubi adoleverit, aliam deniqve, ubi ad senium pervenerit, formam adscribendam esse. Alia qvoqve pulchritudo hominem ornat in regio, alia in vulgari, alia in politico, alia in ecclesiastico vi-

ta

tæ genere versantem. Sic singularis qvædam & extraordinaria proceritas corporis Principem commendat, qvæ forte in alio vitæ genere dedecori esset. De Stilicone Claudianus:

Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas,
Spondebatqve ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumqve modus.

De Trajano Plinius: *Jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris, longè lateqve Principem ostentat.* Qvare Cicero lib. 1. de off. rectè: *Cum pulchritudinis duo genera sint, qvorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem.*

XIX. Qvæ adeò vera sunt, ut & Vavassor noster inficiari non possit, qvi, dum cap. III. §. 2. Prop. I. Anacreontis versus:

Τοῖς ἀνδράσι Φρόνημα,
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν,
Τὶ δ' ἂν δίδωσι; κάλλος;

allegat, fatetur non ita intelligendos esse, ut aut vir omni pulchritudine careat, aut mulier deficiatur omni prudeetia; *hoc enim nimium tam æqvales inter personas discrimen futurum esset: neque tamen isto etiam modo, qvod illi, alter alterum naturæ dono ac munere, vincant, vicissimqve vincantur, graduqve distent; id enim foret inter dispares sexus perexiguum: sed qvod diverso qvodam ac toto genere pulchritudinis excellant:* qvæ singula nobis, ut ex superioribus constat, neqvaqvam adversantur, qvi delicatam, lepidamqve speciem & venustatem muliebrem Christo neqvaqvam

tribuimus sed cum Vavassore dicimus: *hac laude nihil nostro qvidem judicio, fingi potest vitiosius, aut à viro alienius. Sint ista sanè generi deteriori & imbecilliori â Deo arma concessa, qvibus exarmet ferociam virorum, & sævientes roget sine voce, & cogat, dum supplicat, ipsamqve adeo fortitudiuem ab omni re alia invictam, devincat. Næ iste nomine vir indignus suo, & ab omni solida expressâq; gloria infelix, cujus in aliqvâ famæ & existimationis parte id, qvod inchoatum solummodo, & leviter adumbratum, qvodqve muliebre totum est, ponatur.*

XX. Hæc omnia singulaqve, qvæ hactenus de pulchritudinis naturâ atqve indole adduximus, qvamqvam suo loco in præsenti argumento usui nobis futura sunt, nunc tamen ex iisdem de formâ faciei Christi hunc in modum pronunciamus: Christum puerum à nativitate suâ, omnium, qvi unqvam ex corruptis parentibus prognati fuerunt, infantum sine omni dubio pulcherrimum, venustissimumqve fuisse. Eundem in adolescentia, qvamqvam neqve cibis ad amussim temperatis, neqve numero atqve pondere semper debito usum, cæteros tamen sui temporis, suæqve nationis adolescentes, pulchritudinis dignitate atqve decore facile omnes superasse; pulchriorem tamen perseveraturum fuisse, nisi ex spontaneo arbitrio illo jam ætatis tempore multis egere, multa perpeti, qvibus subinde de venustate ejus qvidpiam decerperetur, voluisset. In virilibus denicq; annis venustatem cum dignitate, qvæ atqve qvalis Legatum Dei &

Pro-

Prophetam & Messiam decebat, retinuisse, donec passionum, colaphorum, vulnerum, cæterarumqve injuriarum, qvas ex Divino consilio volens pertulit, furor universum istud formæ ornamentum destruxit. Qvoad pulchritudinis hujus qvalitatem, qvamqvam eandem, ceu jam antea professi sumus, ad muliebris venustatis humilitatem non detrudamus, sed ad virilem auctoritatem, cum singulari gratia junctam, elevemus, dicere tamen non refugimus, splenduisse in facie ejus purissimum ac suavissimum candorem, universo corpori, membris in staturam Dei Filio & Messiâ è Regiâ prosapiâ oriundo dignam usqve qvaqve consentientibus, mixto rubore infusum, emicuisse ex oculorum cœlestibus luminibus, qvæ augustissimum exornaverant caput, plenam Divinitate & gratiâ majestatem, erectum collum, brachia manusqve velut torno ducta, & qvicqvid à pectore ad summos usqve pedum digitos procurrerat, honestissimo venustissimoqve decore luxisse. Hanc autem ejus tam pulchram, tam eximiam, tam serenam atqve excelsam in Divino corpore formam, qvamqvam decorem animæ Christi, qvæ ex Divinæ gratiæ & virtutum omnium ornamentis exurgit, neqvaqvam æqvaverit, [qvanto enim anima corpore nobilior est, tantò interna forma externa perfectior] efficacissimam tamen fuisse, ad demerendum sibi hominum amorem, & conciliandam singularis cujuspiam majestatis & Divinitatis opinionem. Hæc

utiqve ſententia noſtra eſt, qvam veritati & hiſtoriæ, ceu poſthac probabile reddemus, credimus eſſe conformem.

XXI. Ex qvibus omnibus, niſi fallor, ſufficienter patet, qvid formæ & pulchritudinis Servatori noſtro in ſummo gradu adſcribamus.

CAPUT II.

Sententiam propoſitam argumentis probantibus roborans.

I. IN confirmanda hac propoſitione: *Chriſtus ſecundum corpus, non tantum ſupra vulgarem pulchritudinem aſcendit, ſed etiam hac gloria reliqvos mortales ſuperavit*; argumenta noſtra luculentioris ordinis causâ certis claſſibus includemus; Qvarum prima continet clariſſimam Scripturæ literam. Nam Pſal. XLV, 3. Theſin noſtram in terminis fere complectitur, verba hæc ſunt: יפיפית מבני אדם חוצק חן בשפתותיך על כן כרכך אלהים לעולם: Qvæ Vulgatus ita reddidit: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Qvanqvam autem Vavaſſor facilem eſſe ex hoc loco, qvem affirmativa ſententia occupat, depulſionem arbitretur, armaqve ſua magno niſu in id expediat, nos tamen per breves qvasdam obſervationes, qva vi hoc teſtimonium concludat, oſtendendo, Vavaſſorem è conatu ſuo longè facilius ejiciemus.

II. Indubitatum igitur I. eſſe debet, univerſum

versum hunc Psalmum de Christo agere, attestante id viro θεοπνεύστῳ Hebr. I, 8. Qvare nisi Judaizare velis & Spiritui S. in os contradicere, de nemine alio hunc versum exponere licebit. Qvanqvam ne ipsi qvidem Judæi, vi veritatis victi hoc prorsus inficientur, qvorum nomine R. D. Kimchi, Comment. ad hunc locum: וזה המזמור נאמר על המלך המשיח: *& Psalmus hic loqvitur de Rege Messiæ.* Frigidum autem effugium est, solum hunc versum cum Vavassore à reliqvo Psalmi corpore abstrahere, & versui antecedenti dimidiâ sui parte combinare. Hanc enim temeritatem si admittas, nihil amplius tibi certi relinqvetur in toto codice Scripturæ. Ut nunc accentuum dispositionem, aliasqve in textu rationes, confusionam hanc neqvaqvam admittentes, silentio involvam. Jam II. describi Christum hoc Psalmo non à divina sed humana natura, & scopus Spiritus S. qvi Regium Servatoris nostri officium delineaturus est, & pleraqva alia in hoc Psalmo prædicata, & deniqve comparatio cum cæteris hominibus, qvibus pulchrior esse dicitur, aliaqve apertissimé evincunt. Ut paucis dicam, eum alloqvitur David, *qvi unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis*, v. 8. At is est Christus non secundum divinitatem, sed juxta carnem. Porrò III. cum pulcher aliqvis & formosus dicitur, primo intuitu atqve conceptu corporis forma exauditur, ad cujus tantum analogiam animi pulchritudo deno-

denominatur, ceu supra prolixè probatum ivimus, neqve diffitetur Vavassor. Jam literalis, id est, primus, qvi legentis animo illabitur, cujuslibet loci sensus, nisi graviſſimæ rationes obsint, tenaciſſimè consectandus est; qvam literam eâ ratione Vavassor, qvod subseqventes versiculi secundum pleraqve tropicè intelligendi sint, neqvicqvam impugnat, cum absurdum non sit, eundem de Christo Psalmum & propria prædicata & figurata enunciare, exemplo Psalmi XXII, 17. Qvin imò roborat descriptio labiorum ἐπεξηγητικὴ, qvorum eloqventia ne à Vavassore qvidem tropicè accipitur. Cæterum IV. male à Vavassore forma corporis, & animi virtutes per corporis membra aptè disposita relucentes, opponuntur. Utraqve ubi conjunctim occurrunt hominem pulcherrimum faciunt. *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.* Illa sine hac pulchritudo dici non meretur, cum eadem non solum hominibus vivis, verum etiam imaginibus, juxta pulchritudinis regulas sculptis, competat; pulcherrimæ autem animæ dotes per spetiosum corpus profluentes hominem verè pulchrum reddunt. Cum è contra speciosæ formæ corpus ad vitia magis qvam virtutes pronum, simile sit sepulchro dealbato, qvod externè magnam speciem de se promittit, intus verò cloaca est omni fœtore referta. Deniqve V. verbis: *ſpecioſus es præ filiis hominum*, summam pulchritudinem describi, ipsaqve Adamiticâ eminentiorem, ex Hebraismo

mo vocabuli: יפיפית, & comparatione per particulam: מז, qvæ apud Hebræos superlativo æqvipollet, indubium est. R. D. Kimchi, כבר פרשתי בספר מכלול כי כל כפל לחזק הדבר: *Jam in libro Michol exposui, qvod omnis duplicatio vehementiam rei innuat.* Versum verò ipsum ita explicat: אמר אראה אותר שאתה יפה מאוד כצורתך משאר בני אדם וכל כשאתה מדבר דבריך הם דבר יחן: *dicit: Videbo te, qvi valde pulcheres, in forma tua præ reliqvis filiis hominum, & qvæ verba loqveris, illa sunt verba gratiæ.* Qvæ omnia adeò clara sunt, ut nec calculo ipsorum Pontificiorum destituantur. Simeon de Muis, Lingvæ sanctæ qvondam in collegio Parisiensi Professor, vir prorsus eruditus, commentario ad hunc locum: *Profecto*, inqvit, *dubium non est, qvin Christus non animo modo, sed etiam corporis dotibus & venustate, supra cæteros mortales omnes, qvi usqvam sunt, fuerunt aut erunt, qvum etiam in his terris mortalis ageret, excelluerit, qvi virgo de virgine, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus esset.*

III. Intueamur nunc, qvibus nobis machinis præsentis loci Præsidium extorqvere conetur Vavassor. Primô itaqve causatur, unicum tantum locum esse, neqve plura posse produci, qvod nonnullum malæ causæ videatur esse indicium. *Ut enim illi*, inqvit, *qvi deformem Christum obtinere voluerunt, uno duntaxat è S. Literis loco, tanqvam arce munitissimâ, unde eos nihilo secius dejecimus: sic & isti ibidem locum modo unum occupare potuerunt ad perfugiũ, ex qvo facilis est depulsio.*

IV. Qvæ

IV. Qvæ certè qvalemcunqve ſpeciem obtinent in eorum oculis, qvi ſacrarum literarum auctoritati humanorum qvorundam ſcriptorum fidem exæqvant, pari pietatis affectu & reverentia utrumqve traditionis genus exoſculantes. Qvo fit, ut qvemadmodum, cum ex Eccleſiæ teſtimonio argumenta petuntur, numero ſæpius qvam pondere pugnandum eſt, ſimili artificio & indubitatum Dei verbum ſubjiciant, nec tam Divini principii dignitatem, qvam locorum, in qvibus traditur, multitudinem reſpectent. Qvod abeo Spiritu, qvi fallere neſcit & falli, & cujus naturæ repugnat mentiri, ſemel dictatur verum eſſe, id nec minus nec infirmius verum eſt, qvam ſi millies id dicendo ſcribendoqve revelaſſet, cum veritatis Divinæ certitudinem manifeſtationis repetitio neqve majorem reddat, neqve debiliorem; & cum qvid ſæpius repetitâ vice in literas referri juſſit, in eo non tam rerum in ſe certitudini, qvam perſuaſionis humanæ imbecillitati conſuluerit. Nam nec de extremæ unctionis ſacramento, niſi unus, confitentibus adverſariis, in univerſo codice biblico refertur locus, cujus tamen ſacramenti veritas, ſi qva eſſet, graviori longè momento ſalutis noſtræ negotium attingeret, qvam qvod de formâ Chriſti diſceptatur, de qvo nihilominus Romanæ Eccleſiæ tam firma perſuaſio menti inhæret, ut, *ſi qvis dixerit, extremam unctionem Sacramentum novæ legis non eſſe, ei anathe-*

ma

ma dicant Patres Tridentini; Seſſ. VII. can. I. Præterea, qvod ſacræ Literæ conſeqventer & in διανοία dicunt, id perinde revelare, ac ſi totidem verbis dixiſſent, indubitatum eſt. Nam nec ullibi his verbis revelatum eſſe legimus: Filium eſſe ſecundam SS. Trinitatis perſonam, à Patre per generationem procedentem; nec tamen id majori, dubitationi obnoxium eſt, qvam: *Chriſtum eſſe verum DEUM & vitam æternam*; qvod illæ iisdem verbis complectuntur, 1 Joh. V, 20. Qvod ſi dicas: ſaltem per traditionem de propoſitionis ſuperioris veritate nos edoceri; reſpondeo; nec ex illa niſi vel in æqvipollentibus verbis, vel in conſeqventia oſtendi poſſe, qvemadmodum nec hæc, qvæ tamen Romanæ Eccleſiæ de fide eſt; Innocentius XI. legitimus eſt Petri in Epiſcopatu univerſali ſucceſſor; niſi per conſeqventiarum nexus, ex ipsâ Romanenſium opinione, ex eadem poteſt demonſtrari. At verò plura eſſe fundamenta ex Divinâ revelatione petita, qvæ theſin noſtram ſuſtinet, ex iis, qvæ poſtea ſeqventur, apparebit.

V. Sed audiamus porrò Vavaſſorem noſtrum, vim allati in medium teſtimonii impugnantem. Poſtqvam, qvibus vocabulis vel Hebræus vel Græcus textus Servatoris noſtri pulchritudinem exornet, recenſuiſſet, hunc in modum concludit: c. IV. §. 3. *Ex qvâ vocabulorum notatione cum nondum ſatis appareat, qvid & qvantum Chriſti forma reliqvis humanis formis & corpori-*

corporibus antistet, sequitur, ut Psalmi universum argumentum sententiamque videamus. Quasi itaque extra controversiam ponit, ipsa vocabula, seu, ut nos loqui solemus, literam in nativâ suâ significatione nihil pulchritudinis Christo præ cæteris hominibus adjudicare, sed si quid pro venustate formæ Christi ex loco ambiguo exsculpendum sit, id omne ex totius loci consideratione petendum esse.

VI. At verò aut vim argumenti nostri studiò occultat Vavassor, aut certè ita debilem persuasus est literæ virtuti potestatem inesse, ut nihil illa quicquam legitimè concludat, sed omnem consequendi vim circumstantiarum consideratio in solidum possideat. Quâ tamen utraque in re longè opinione suâ falli Vavassorem, haut difficulter demonstrabitur. Nam argumento nostro vires primam obviamque atque adeò propriissimam quarumlibet in Davidico testimonio occurrentium vocum significationem suppeditare, ignorare non poterat: nec verò exiguam, sed valentissimam literæ in cujuslibet, præprimis Biblici, loci interpretatione virtutem esse, partim prima cujuslibet interpretis regula, à quâ in investigando dubio sensu dirigitur: *Cujuslibet vocis primus atque nativus sensus in locorum interpretatione tam diu retinendus est, quamdiu indubitatis rationibus ex proprietate haud depellitur*; partim exemplorum Theologicorum, quæ nullum dubium habent, usus abundè ostendit. An enim infirmum

firmum est, qvod Catholica Ecclesia adversus Socinianorum hæresin, qvæ veram Christi Divinitatem inficiatur, ex Joh. XX, 28. ducit argumentum, qvamqvam solâ literâ τῷ θεῷ, Christo adscripta, nitatur? Non eqvidem, qvantumvis alibi locorum vox isthæc extra proprium significatum reperta de nuncupativa qvapiam Deitate usurpetur, utpote Psalm. LXXXII, 1. Neqve ideò etiam aliis in locis innumeris, ubi literæ nervus qvasi primam perpetuò argumentorum aciem occupat, ejusdem virtus debilitatur, qvia aliis è textus viscribus depromptis argumentis firmatur magis atqve stabilitur. Jam verò sive Hebræa Psalmi nostri vocabula, sive Græcas Latinasqve interpretationes, qvæ, ut rivus, ad illum fontem meritò sunt exigendæ, intuearis, ubiqve prima litera, prima propriaqve verborum significatio; primus, qvi mentem legentis ingreditur sensus, pulcherrimum præ cæteris mortalibus omnibus Christum proclamat, ut neqve diffitetur ἐκόντι ἀεκόντι γε θυμῷ Vavassor. Nam & יפה *pulchrum esse* designat, & geminatio, observante Aben-Esra, incrementum & copiam pulchritudinis exprimit, & particula מן comparationem continet, qvam alia ratione Hebræi enunciare neqveunt. Cum itaqꝫ pulchritudo primo & propriè de corporis pulchritudine, ubiqꝫ hoc nobiscum inculcante Vavassore, prædicetur, qvis amplius addubitare potest, hunc esse primum simplicemqve,

neqve ullo externo artificio corruptum, loci sensum: *Multò pulchior es, ò Rex Sion, corpore tuo cæteris hominum filiis?* Neqve vel Græcus LXX. Interpretum vel Latinus Vulgatæ versionis textus, ab hac litera, qvam uterqve premit, vel hilum recedunt. Græcus enim geminationem Hebrææ vocis geminatione græcarum vocum, eximiâ certè ἐμφάσει gaudentium, elocutus, ὡραίων τῷ κάλλει Servatorem nostrum dixit. ὥρα verò qvamqvam nonnunqvam indistinctè cum τῷ κάλλει ab auctoribus usurpetur, juncta tamen eidem pulchritudinem vel intendit, vel gratiam, decoremqve atqve dignitatem addit. Qvam in rem Basilius: *Hoc τὸ ὡραῖον seu decor τῆς κάλλους à pulchritudine differt, qvod is decor dicatur, qvi perfectus expletusqve est, prout temporis sui ratio postulat;* [qvalis nempe maturis fructibus convenit, qvi inde ὡραῖοι dicuntur & ὥρα in universum *tempus* vel horam designat] *pulchritudo verò in aptâ compositione membrorum, unde lepos efflorescit, consistat.* Qvare cum Vavassor concludat: *qvod si binæ voces istæ jungantur, ut junctæ versu hoc tertio sunt, post eaqvam qvinto junguntur, significant meo judicio & venustatem, qvæ vegetæ & florentis ætatis est, & qvæ in omnes ætatis gradus convenit, pulchritudinem*; qvæ certè verè rectèqve dici omnes animadvertunt, qvî qvæso ex literâ non appareat, qvid & qvantum Christi forma reliqvis humanis formis & corporibus antistet, cum perfectam in omnes ætatis gradus pulchritudinem iis vocibus signarit Græcus,

qvi-

qvibus neqve aptiores neqve significantiores in locupletissimo de cætero Græcæ linguæ penu poterat reperire? Latinus deniqve interpres, qvi præterea Romanæ Ecclesiæ sacrosanctus est, iis vocibus hebræam veritatem transcribit, qvæ, nemine dubitante, in primo proprioqve sensu corporis pulchritudini conveniunt: *speciosus forma*, inqvit, *præ filiis hominum.*

VII. Sed verò evestigio in aurem insusurrat Vavassor, monetqve, satis graves esse, satisqve manifestas recedendi à litera rationes. *Hoc namqve carmen*, ait, *propriè si nuptias Salomonis & Phanuelis, aut alias aliorum continet atqve ornat, est autem sumendum qvasi mutuum & transferendum solummodo ad Christum & sacris aptandum divinisqve mysteriis; actum videtur de pulchrâ Christi pulchritudine, tanqvam tropicè accipi poterit ea, qvæ celebratur hoc loco, forma, qvam accipi debent sagittæ, gladius, bellatoris arma, aut qvam myrrha & stacte & reliqvæ sponsi deliciæ, qvibus in vitâ nullis usum fuisse Christum certò scimus.*

VIII. Qvid hoc rei est? rogo te, Vavassor, aut qvicunqve viri placita vel amplexurus es vel defensurus. I. Meram hic cernimus atqve inanem verborum profusionem. Ea enim nobis responsionis loco inculcas, qvæ neqvè probas ipse, neqve probare te posse invictis roboras argumentis. Qvod ii certè facere solent, qvi in re seriâ vel ludere lectorem vel sciendi desiderium retardare & sufflaminare, vel deniqve chartas bonas, si alia in

promptu non habeant, ſupervacuis multis implere magno niſu laborant. Annon propria vineta cædis, cum ea ſententiæ noſtræ opponis, qvæ neqve veritatis ſoli expoſita ſtare poſſe intra animum tuum convictus es, neqve prodere mentis tuæ perſuaſionem, adductis in medium rationibus, dubitas? Sed, ais, temet ſcilicet refutans, *ex iis, qvæ Pſalmus hic habet, alia in Chriſtum qvadrant aptius, qvam in alium qvemvis, alia ſic illius propria ſunt, ut communicari nullo pacto qveant cum altero.* Qvomodo ergo vel Salomonis vel Phanuelis nuptias canere poterit? Qvod ſi qvis Bellarminus ex Mal. I. 11. probet, dare utiqve in Novo Teſtamento Sacrificium aliqvod propriè dictum, qvia totidem verbis dicatur: *Sacrificandum eſſe omni loco, offerendamqve Domino oblationem mundam*; obvertatqve Chemnitius: ſi teſtimonium hoc propriè liturgiam veteris adhuc Teſtamenti contineat, ſit autem inſtar alicujus tamen typi transferendum ad Eccleſiam novi Teſtamenti, actum videri de verâ ratione ſacrificii Novo Teſtamento aſſerendi; hanc autem reſponſionem poſtea ſuam idoneis argumentis ex Malachiano textu refellat ipſe, neqve locum habere poſſe propugnet: utrum vobis ſive rem ſeriò egiſſe, vel qvidpiam, qvod operæ precium eſſet, reſpondiſſe dicetur? utrum riſus cachinnosqve plurimorum è vobis effugiet? non exiſtimo. Eqvidem nonnunqvam fieri ſolet, ut qvando nonniſi veriſimilibus argumentis de

loci

loci alicujus sensu judicium ferre possumus, neqve certò atqve extra omnem oppositi formidinem, hanc non aliam esse loci sententiam, pronunciare licet, propositis pluribus opinionibus, si vel maximè unam, tanqvam cæteris probabiliorem, præferamus, demonstremus nihilominus, qvamcunqve eligas, nullam tamen vel thesi nostræ obesse vel contrariam nobis thesin firmare: at ubi sensus nostromet judicio indubius atqve talis est, de qvo à nemine, qvin extra Ecclesiam sit & datâ operâ desipere velit, ambigitur, alios pro arbitrio fingere sensus & adversario nostro eosdem, qvibus nec ipse fidem adhibet, nec adversarius habere debet, obtrudere, non tam supervacaneum qvam ridiculum posit videri. II. Cum Vavassor responsionem suam conditionali particulæ adstringit: SI nuptiæ Salomonis intelliguntur, SI per metaphoram illæ ad Christum transferuntur, actum videtur de pulchritudine Christi; repelli facile à primis Logicarum lectionum auditoribus, recitato triviali canone, potest: *conditio nihil ponit in esse.* Qvid enim? qvas ego Bellarm. disputationes eodem argumentandi beneficio non obtundam & redigam ad silentium? SI Mat. XIV, 18. per *petram* propriè Christus intelligitur, SI illa per metaphoram demum ad Petrum, cæterosqve Apostolos transfertur; actum videtur de universali Pontificis Romani dominatione. SI Luc. XXIV. 35. per *panem* pro-

priè panis usualis non sacramentaliter consecratus intelligitur, SI ille per metaphoram tantum ad panem Sacrosanctæ Eucharistiæ transfertur; actum videtur de communione sub una specie, à Servatore ipso usurpatâ. Atqve sic per alia infinita progrediendo. III. Easdem Logicorum regulas audiat Vavassor, cum ideò formam facie pulchram Christo abjudicat, qvia pulchritudo hic accipi POSSIT tropicè, sicut accipi sagittam atqve gladium in confesso sit; nempe: *à posse ad esse non valet consequentia.* Nam qvacunqve ratione consequentiam instruas, nihil usqvam legitimè concluseris. Sive enim hunc in modum colligas: potest vox pulchritudinis vel de corporis vel de animæ pulchritudine intelligi: ergo hoc loco non necessariò corporis pulchritudinem infert, aut de ea exaudienda est; tum qvicqvid argumentorum uspiam ex vocum vel significatione vel earundem proprietate deductum est, in caducum inclinabit parietem, cum ne una vox sit, qvin varias patiatur significationes. Nempe omnis vox æqvivoca stat pro significatu suo proprio, nisi de improprio aliunde evidenter constet, sicut omne analogum stat ordinariè pro significatu potiori. Qvid Socinianis solennius est, qvam ubi clarissima Scripturarum loca, Divinitatem & Personalitatem Filii atqve Spiritus Sancti probantia producuntur, vim eorundem

dem

dem vulgari exceptione eludere: potest Dei vox accipi pro Numine ficto vel certè nuncupativo; possunt actiones personales rebus etiam ἀνυποστατικαῖς per tropum attribui. An ideò abjicienda sunt arma? an ideò desertorum instar cedere ex præsidiis, qvæ occupavimus, & victoriam hostibus nostris acclamare debemus? Sive verò isthac ratione consequendi nervum adstringas: si sagitta & gladius & arma & myrrha & stacte, qvorum mentio in seqventibus Psalmi verbis injicitur, impropriè accipiuntur, tum & pulchritudinem impropriè accipi posse nihil impediet. Nam nec sic ulla consequendi ratio, sive naturale judicium consulas, sive exempla pasim freqventata, apparet. Qvæ enim connexio est: verba versiculi qvarti atqve qvinti impropriè capiuntur; ergo & tertii? Cum si in singulos tantum non Psalmi hujus periodos introspicias, qvasdam voces propriè, qvasdam juxta has & iisdem qvidem ad latus positas impropriè intelligi tam evidens sit, qvam solem lucere, cum in meridie sudum est. Cum itaqve nulla idonea, nedum satis gravis ratio, cur à proprietate literæ recedere debeamus, producta sit, ultrò consequitur; literæ & hujus loci interpreti inhærendum, neqve ad impropriam pulchritudinem, excluſa ea, qvæ primò atqve verè pulchritudo est, & corpori seu faciei competit delabendum esse.

IX. Progrediamur cum Vavassore, & qvid ille de præsenti loco ulterius censeat, auscultemus. *Ex iis*, inqvit, *qvæ Psalmus hic habet, alia in Christum qvadrant aptius, qvam in alium qvemvis: alia sic illius propria sunt, ut communicari nullo pacto qveant cum altero, cujusmodi, qvæ prædicitur regni fore perpetuitas, versu septimo. Neqve tamen id circo omnes ad unum sententias de eo necesse est intelligi.*

X. Scilicet in has te abdis angustias, Vavassor? Non id heic loci qværitur, qvænam in hoc Psalmo prædicata Christus cum aliis vel regibus vel hominibus communia habeat, qvæ verò propria sint ipsius, sed qvænam de Christo, ex mente atqve intentione hoc carmen dictantis, Spiritus Sancti, sive illa communia sint, sive propria, enuncianda sint? Qvalia verò omnia singulaqve esse, qvibus Rex spiritualis à vers. 2. usqve ad 10. describitur, neqve allegatio auctoris θεοπνεύστου, Hebr. I, 8. neqve indivulsa qvoad verba simul atqve sensum qvorumlibet versiculorum connexio, nec dictorum deniqve majestas, ullo modo nos ignorare sinunt. Qvæ verò temeritas est, sententias sensuum necessitate conjunctissimas, qvarum arctissimam copulationem, qvamprimum oculis usurpaveris, illicò & ultro agnoscis, violento qvopiam impetu distrahere, & qvæ de uno eodemqve dicta sunt, diversis, qvos tamen nec nominare qveas, attribuere? Cur autem non necesse sit, omnes ad unum sententias

tias de Chrſto intelligi, ubi nec ullus alius, de qvo intelligi poſſent, in medium adducitur, & ubi in exordio Pſalmi, veluti febriculoſæ objectioni occurrens, occupat auctor: carmen de rege ſe dicturum & decantaturum eſſe ejusdem laudes. In qvibus recenſendis dum continuato ordine verſatur, nec ullum vel leviſſimum indicium prodit, ſe in alius commendationem, qvaſi præcipitato gradu & pœnitentia ejus, qvod promiſerat, ductum dilabi. Evenit nempe Vavaſſori, qvod iis accidit, qvibus, dum capti conſtrictiqve hærent, nec ordinatâ viâ evadere, aut exſolvere ſe qveunt vinculis, nulli tam aſperi atqve inacceſſi ſunt anfractus, per qvorum præcipitem profectionem vel vitam ſibi non promittant, vel ſervare ſeſe non moliantur.

XI. Nunc verò graviori conſilio rem agere videri vult Vavaſſor, cum hunc in modum infit: *ad rem accedendum propius & intrandum magis, num iſtius ſaltem dimidium verſiculi ad eum qvam maximè pertineat? Et qvidem negant aliqvi, referuntq; ad antecedentem verſum ſic, ut linguæ vatis ſit calamus ſcribæ, velociter ſcribentis: ipſe ſpecioſus forma. De qvibus Hieronymus & Chriſoſtomus fecere mentionem.*

XII. Nempe ad rem propius accedit, qvando ſententiam qvandam, in ſeſe falſam atqve erroneam, à non nullis qvidem recenſitam, ſed rejectam, & ne qvidem à ſemetipſo probatam, in jugulum noſtrum violenter intorqvet, atqve

hoc tam pulchro artificio cadere nos causa jubet! Qvid ego simili artificio non effecero? Rob. Bellarminus, lib. I. de Rom. Pont. c. XII. ex Matth. XVI, 19. soli Petro datas esse regni cœlestis claves, atqve ideò eidem soli Ecclesiæ Monarchiam à Christo commissam esse probat. Ego isthac methodo usus primum enarro eorum opiniones, qvi singula eo loco recensita axiomata non Petro in persona, sed officio Apostolico, qvod cum cæteris commune habebat, spectato convenire dictitant, deinde autem propius accedendum & intrandum magis esse ratus, qværo: num saltem hic versiculus decimus nonus, concesso præcedentem solam Petri personam attingere, ad eandem qvam maximè pertineat? Et qvidem, pergo, negant aliqvi, referuntqve ad reliqvos Apostolos omnes, qvorum nomine confessionem suam ediderit Petrus, & qvibus societatis atqve conjunctis dictum alibi fuerit, *qvicqvid solveritis in terris, solutum id erit in cœlis.* De qvibus nempe Cyprianus, Hilarius & Hieronymus fecerunt mentionem. Qvam pulchrè qvam accuratè vobis disputare videbor? An ideo pro tuâ libidine divellere verba ab invicem fas est, qvia nonnulli, cujuscunqve illi demum furfuris sint, quondam disjecerunt? An ideo audiendi sunt illi, qvos adeò monstrosè instar cujusdam molossi, sacratissimarum literarum vincula discerpsisse atqve laxasse, Hieronymus & Chrysostomus testantur,

tur, qvi, qvantumlibet prodigiosè erraverint, qvalecunqve tamen pondus adferunt conceptæ apud animum tuum opinioni? Sanctior nobis esse debet horum Ecclesiæ Doctorum auctoritas, cum divellendi istam audaciam castigant. Religiosior Masoretharum cura, qvæ utiqve, si in ullo probato exemplari istam distractionem inveniisset, cum minutioribus operam impenderit, eandem sine notâ neqvaqvam prætermisisset. Qvid deniqve de accentuum ratione, qvid de sensus concinnitate, aliisqve, qvæ temeritatem istam virgulis ex carmine nostro proscribunt, dicemus? Ut adeò probro non careat, tam frigidam exceptiunculam contra sententiam nostram attulisse, nedum qvodammodo laudasse.

XIII. Sed nunc tandem rem ipsam aggreditur Vavassor, veriqve sensus certitudinem apertioribus documentis indagat: *verum*, inqvit, *hoc qvoqve alterum demus, esse Christi versum hunc*, (qvasi qvisqvam vel ex sanis vel ex eruditis vel ex orthodoxis unqvam de eâ re dubitasset, aut hodie in tantâ luce ambigeret!) *non qvorumlibet aliorum. Adhuc reliqvum est, ut qværatur, qvæ tandem in eo pulchritudo, cum plures intelligi possint, insit; divinitatisne an humanitatis? animi an corporis? Divinum Numen interpretatur pulchrum Basilius in hunc Psalmum; Speciosum forma Dominum appellat, ubi in ejus Divinitatem animum intendit. Cyrillus in Esa. c. LIII. Qvod ad Divinam qvidem summamq; excellentiam & splendidissimum*

mum decorem naturæ, qvæ supra omnia sit, dictus est speciosus formâ præ filiis hominum. Idem placere video Ambrosio, Vigilio, Fulgentio & ei, qvem falsò Hieronymum in Psalmos dici volunt, scriptori non planè contempto. Assignat formam hanc Theodoretus humanitati, statuitq; non jam id, qvod Dei, sed qvod hominis est in Christo, conferri atqve aliis anteponi hominibus: scire autem oportet, Prophetæ orationem res Christi Domini humanas, non Divinas, demonstrari. Itaqve vult à Prophetâ positam esse pulchritudinem Christi in virtute & innocentiâ morum, qvi ab omni labe liber foret, nec vitiorum ullam in se maculam susciperet. Cui Isidorus Pelusiota subscribit, lib. III. Ep. 130. Speciosum præ filiis hominum dixit ob divinam humanæ naturæ susceptæ atqve à culpa & peccato immunem qvandam virtutem. Irenæo visum est interpretari, non de Divinâ prorsus, qvâ semper est, neqve de prorsus humanâ, qvâ hic inter nos cum versaretur, esse potuit, sed de eâ, qvæ nunc cœlo viget, pulchritudine, deqve toto cœlestium statu florente ac beato. Qvidnam amplius desideramus? Pluresne arbitros, qvorum judicio standum putemus, qvi tot Græcos habeamus & Latinos? an antiqviores, qvi ex primis rei Christianæ ætatibus? an qvo alio nomine locupletiores, qvi sanctissimos pariter & doctissimos? ut in errorem neqve inducant nos, neqve inducantur ipsi.

XIV. Hæc ille eximiâ certè cum confidentiâ, qvasi triumphum jam agens contra deploratam eorum causam, qvi Christum corpore suo pulchrum ex Davidico loco propugnant. Sed verò oculum paulò acriorem in hoc

hoc disputandi genus ponamus atqve simili denuo methodo indubiam Vavassori in alio Catholicæ fidei membro sententiam ante cætera, qvæ responsuri sumus, configamus. Ex 1 Petr. IV. 8. ubi Apostolus inqvit: *charitas operit multitudinem delictorum*, Romanæ Ecclesiæ Doctores concludunt: *per charitatem peccatorum remissionem ac proinde etiam justificationem atq; salutem nobis obtingere*; vocatqve hanc *communiorem Enarratorum expositionem* Jo. Lorinus. Hanc verò tu, qvicunqve vel Lorino vel Cornelio à Lapide vel Salmeroni vel aliis te oppositurus es, istoc pacto everte: Necesse est, ut qværatur, qvæ charitas hic ab Apostolo innuatur, Christi an Christiani hominis? Qvæ peccata, propria an proximi? Qvale operire, ut peccata facta irrita reddantur, an ut, ne amplius fiant, prohibeatur? Charitatem Christi Domini interpretatur Bernhardus, Serm. XXIII. in Cant. Cant. & ante eum Clemens Alexandrinus, lib. II. Strom. p. 284. *Hæc beatitudo*, inqviens, qvâ non imputatur peccatum, *facta est super electos à Deo per Jesum Christum Dominum nostrum. Operit enim charitas multitudinem delictorum.* Assignat verò hoc operiendi officium charitati in ordine ad peccata non propria, sed aliena, id est, proximi Chrysostomus, Hom. IV. in Act. Ap. *Charitas* inqvit, *multitudinem peccatorum tegit, inimicitiæ autem etiam eæ, qvæ non sunt, suspicantur.* Qvem seqvitur Augustinus, lib. I. de Bapt. c. XVII.

&

& Bernhardus, Ep. VII. Ambrosio verò visum est interpretari secundum tertium modum, qvo charitas operiat multitudinem peccatorum, impediendo, ne committantur, Serm. XVI. in Ps. CXVIII. *Vide*, inqvit, *qvanta operiat, qvanta corrigat? Si lex immaculatum facit, rectè charitas operit multitudinem peccatorum, qvia plenitudo legis charitas est.* Qvidnam amplius desideramus? pluresne, an antiqviores, an doctiores, an sanctiores arbitros, qvorum judicio standum putemus?

XV. Eqvidem qvid in favorem Vavassoris excipi possit, haud ignoro. Videlicet, tot à nobis non adduci posse Doctores, & eos præterea, qvi pro Lorini sententiâ militant, silentio fraudulenter involvi. At, qvod primum concernit, nec à multitudine Patrum, nec à magnis eorundem nominibus veritatem suspensam esse, & hodierni Romanæ Ecclesiæ Magistri haud inficiantur, & si eò vesaniæ progrederentur, exemplis Bellarmini aliorumqve è cœtu ipsorum nec raris nec exiguis, ubi nonnunqvam plurimorum, nonnunqvam plerorumqve Patrum consPirantem in unum sententiam recensent, & tamen refutant, tanqvam erroneam, coargui facile possent. Ut taceam nec Chrysostomo admirandæ sanctitatis, nec Augustino stupendæ eruditionis palmam qvemqvam unqvam dubiam reddidisse, & si numero vincendum sit, sociari duobus his ex antiqvo Eccesiæ firmamento luminibus

nibus Patres Ilerdensis Concilii qveant, cap. VII. indicante hoc nobis eo, qvem supra adduximus, Lorino. Qvod vero alterum attinet, *qvid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, qvæ in oculo tuo est, non consideras? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Luc. VI. 41. 42. Nam nec deesse gravissimos in veteri Ecclesia auctores, qvi dum pulchritudinem, in loco Psalmi nostri interpretantur, corporis pulchritudinem neqvaqvam excludunt, ex seqventibus manifestum evadet. Origenes, Ecclesiæ Cæsariensis Presbyter, Libr. VI. contra Celsum Philosophum, inter alia & hoc Divinitati Christi objicientem: *Si Divinus inerat in corpore Spiritus, omninò erat necesse, ut immutatum haberet aliqvid id corpus, à cæteris alienum, sive magnitudinem dixeris, sive venustatem, sive vires validiores, sive vocem, sive speciem horridiorem, sive denique suadendi vim aliqvam. Fieri enim non poterat, ut, qvi præter cæteros aliqvid in se haberet Divinitatis, non item ab his longè differet. Id verò corpus ab alio qvovis nihil distabat, nisi, ut ferunt, qvod pusillum esset & visu despectum & fragile*; ita respondet: *Videtur velle se Jesum in his carpere, perinde ac Scripturas in fidem adhibeat, qvæ videantur ei criminandi causam exhibere, & qvæ hic continentur, mox explicat. Cum verò pro earundem Scripturarum sententia videatur qvis contraria pronunciare & his adversantia, qvæ fuerant ad criminandum admissa, hæc sanè nec scire se simulat.* [Hoc vult, ut ex seqventi-

bus patet, dicere: qvæ de deformitate Christi in Sacris Scripturis leguntur, studiosè convertit Celsus, qvæ verò pulchritudinem ejus commendant & deformitati adversantur, turpi silentio occultat] *Qvod autem corpus Jesu visu esse despectius literis proditur, exhilaratus mox suscipit, etsi non ejusmodi, qvale Celsus exposuit, cum nunqvam apertè significetur, qvod pusillum id esset, qvamvis apud Esaiam describitur, qvi vaticinando prædiceret, venturum hunc aliqvando, non decoro aspectu, nec præstanti pulchritudine aliqvâ. Qvis enim is inqvit, credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est? Et adscendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terrâ sitienti. Non est species ei, nec decor, sed species ejus sine honore & deficiens supra filios hominum.* [Ostendit nempe, unde objectionis suæ occasionem arripuerit Epicuri de grege Porcus, scilicet ex Esaiano vaticinio, in qvo, qvæcunqve de formâ Servatoris nostri calumnietur, præterqvam id, qvod de suo mendacissimè addiderit Celsus, naturâ qvoqve parvum atqve contemptum proclamans Christum, citra dubitationem legantur. Ubi simul observare operæ precium est, loqvendi modum, qvo utitur Celsus, cum ad relationem provocat, dicitqve: *ut ferunt*, ab Origene, non tam ad traditionem qvampiam suâ ætate freqventatam, aut historias, qvæ in Ecclesiâ extabant, qvam ad sacrarum literarum testimonia, à Celso detorta, referri.) *Nec Celsus, ac lubens audiebat, qvæ sibi ad Jesum criminandum*

condu-

conducere videbantur, cum tamen ea nondum advertisset, quæ in quarto & quadragesimo Psalmo dicuntur, quemadmodum proferantur: accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede & regna, Quô verô, rogo te, candore Psalmi testimonium Celso obvertisset Adamantius, si credidisset, indicare illud nudam vel Divinitatis vel animæ pulchritudinem? Disputaverat Epicuri Sectarius, Divino corpori Divinam quoque, id est, pulcherrimam, convenire formam; Christum verò à Prophetâ prædicari deformem. Tu jam finge, Philosophorum illum malleum, ad hoc argumentum respondentem, ex aliis Scripturarum locis, Christi animam pulcherrimam esse, studiosè confirmare, qui disputatoris officio adversus eum, qui hoc non negaverat, satisfeciisset? Qualem itaque pulchritudinem Celsus ex loco Prophetico Christo negaverat, talem eidem ex Davidico asseruit certè Origenes. At non animæ sed corporis venustatem impetebat ille. Talem ergo eidem vindicasse Origenem, nullâ specie negari potest.

XVI. Urget hæc opponendi ratio, ut & alios Patres, istos duos Scripturarum locos conciliantes, è laudatâ à Davide pulchritudine corporis formam atque dignitatem non excluisse, persuadeat. Hieronymus, Epist. ad Princ. Tom. III. p. 106. cum interpretationi Davidici carminis à se institutæ locum propheticum objeciisset: *Non stativa*, inquit, *Scri-*

ptura dissonare videtur: qvia ibi ignobilitas corporis propter flagella & sputa & alapas & clavos & injurias patibuli commemoratur: hic pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore; non qvo Divinitas Christi hominibus comparata non formosior sit: hæc enim non habent comparationem: sed absqve passionibus crucis universis pulchior est, virgo de virgine, qvi non ex voluntate viri, sed de DEO natus est. Videri qvidem possit, virtutes nominando, animum ad Divina animæ dona tantummodo advertere; sed virtutes prædicat, non in anima tantum, sed in sacro etiam & venerando corpore relucentes. Qvalis scilicet anima in Christo habitat, tale sibi parat domicilium, fabricatqve corpus, qvod scilicet dignam se pulchritudinem per externam qvoqve faciem ostendat & inhabitantem sibi hospitem primo statim aspectu prodat. Et qvid hoc est: absqve passionibus crucis universis hominibus pulchriorem existere Christum? nisi, si è corpore ejus demas passiones, maculas, livores, sputa, adspersas labeculas, illud cæteris omnibus corporibus pulchrius apparere? Pone denuò, in hac comparatione pulchritudinem duntaxat innui animæ, qvam inficetè, qvam intempestivè dixisset Hieronymus: Tolle passiones crucis & pulchritudine internâ omnes facile superabit anima Christi. Qvid enim? Anne istæ totum mundum redimentes passiones, illæ omnem peccatorum fœditatem mundantes sanguinis guttæ animam Servatoris

nostri

noſtri inqvinant aut deturpant? An potius eandem, inſtar ignis alicujus, qvolibet nitidiſſimo auro defecatiorem & pulchriorem reddunt? Qvam concinnè verò fluit Hieronymianus ſermo, de corporis pulchritudine, non exclusâ animæ, intellectus: Deme paſſiones crucis & tum Divinitas pulcherrima per pulcherrimum corpus, tanqvam per cryſtallum, transparebit? Tum virginem qvaſi intuebere, forma qvippe pariter atqve caſtitate & innocentia virginali conſpicuum, è virgine natum. Qvi enim non ex viro, ſed DEO natus eſt, is & pulchritudinem DEI, ſecundum eam partem, qvâ ex DEO natus eſt, [eſt autem Chriſtus juxta corpus etiam, ἐξ ἐπελεύσεως καὶ ἐπισκιάσεως τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, materiam generandam ab omni ſive naturæ ſive morum labe præſervantis, genitus] ita ſibi attrahit, ut DEI opus ipſa micans in facie majeſtas & oculorum fulgor inſinuet atqve declaret. Qvam Sancti viri mentem amplius manifeſtat, qvæ ſubjiciuntur: *Niſi enim habuiſſet & in vultu qviddam ſidereum, nunqvam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec, qvi ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* Sed de his verbis contra effictam iis Vavaſſoris noſtri interpretationem alibi uberius erit dicendum.

XVII. Bernhardus, Serm. XXIIX. in hæc verba prorumpit: *Expedit, ut unus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati; splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in formâ servi pro vitâ servi. Speciosus formâ, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte. Ex toto non sit ei species neque decor, ut sibi speciosam atq; decoram adquirat sponsam, Ecclesiam sine maculâ & rugâ.* Quod si formæ hic species animi tibi potius qvam corporis decor est, qvem tu præsentibus verbis sensum extorqvebis? Is, qvi speciosus est forma, id est, pulcherrimis animæ virtutibus ornatus, obscurari qvoad corpus in morte & pallere debet in cruce. Qvid istac ratione singulare dixisset Bernhardus? qvam improvidè, qvam frigidè saltem animæ nitorem corporis caligini opposuisset? Qvâ itaqve parte palluit Christus in morte, eâ rubuit in vitâ; eâ qvippe formâ per mortem extinctâ, qvæ viventem decoraverat. Eam verò faciei & externam esse, nemo ignorat.

XIIX. Ergo neqve unus neqve contemnendus veteris Ecclesiæ Doctor est, qvi hoc Psalmi Davidici de Christo testimonium de pulchritudine externâ, qvæ corporis & faciei est, interpretatur. Ex qvibus simul judicari oportet, qvid in recessu habeant ea, qvibus hanc de Patrum circa præsentem locum expositionem concludit Vavassor. *Ad hæc*, inqvit, *§. 5. addere licet, qvod profectò res est, vix ul-*

los

los reperiri, qvi aliter sentiant, interpretandamqve hanc pulchritudinem de corpore existiment; qvod, si qvi fecerint, & obscurè atqve ambiguè locutos esse, ut qvod intelligi ferè nollent, multò minus credi voluerint; nec de sola corporis pulchritudine locum hunc exposuisse, facile ut ostenderent, se non satis huic interpretationi confidere.

XIX. Nam nec ita propriæ assertioni confidit Vavassor, qvin reperiri utiqve qvosdam, qvi nostram sententiam confoveant, non obscurè indicet. In qvibus tamen vel molliendis, vel excusandis vel ad se deniqve raptandis, ita existimationem eorundem prostituit, ut, si ad vitam redirent, lentas certè atqve jejunas se tali interpreti grates debere, professuri essent. Qvam enim indignum Ecclesiæ Doctore est, adeò obscurè atqve ambiguè loqvi, ut nolit intelligi? Id verò facinus iis tenebrionibus objectet Vavassor, qvi nescio qvo fastu turgidi ita ingloriam obscuritatem sectantur, ut succenseant, si qvis è plebe ænigmata ipsorum sine Herculeo labore solvat, dignissimi profectò, qvi æternis obruantur tenebris. Nam qvis isthic stupor est aut furor potius, primam Doctoris virtutem, qvæ in dicendo perspicuitas est, contemnere, & dato studio, cum luci rebus inferendæ natus sit, noctem offundere? Scotum eqvidem, τὸ σκότος amantem, illaudabili isthac suspicione premat, non remotos ab omni versutiæ invidiæqve fuco Patres. Qvanta autem audacia est,

id simplicissimæ eorundem pietati impingere crimen, qvod credi nolint ea, qvæ scripserunt? Qvid ergo eosdem, ut literis res tam improbabiles, tam incredibiles: tam inutiles consignarent, coëgit? Qvam verò candori tantorum virorum convenientius est, id, qvod credi nolunt, rejicere, tollere, reticere, qvam inutiles chartas in dispendiosis doctrinis consumere? Deniqve concedamus, non de solâ corporis pulchritudine locum hunc exposuisse, non tamen ideò diffidere dicendi sunt propriæ interpretationi. Sunt è veteris pariter atqve recentioris Ecclesiæ Doctoribus, qvi tenebras infernales de naturalibus, spiritualibus atqve æternis tenebris; visionem Dei beatificam de corporis simul atqve mentis adspectu, accipiunt, nemo tamen, nisi vim ipsis facturus, dubitationis cujusdam de propriâ sententia reos aget eosdem, aut diffidentiæ. Cur enim diffidere dicendus sim de expositione cujuspiam vocis, qvam in generali significatione amplector, cum per interpretationis, regulam jubear, qvodlibet vocabulum in tam amplo sensu exaudire, qvam id patitur integri loci œconomia aut textus circumstantiæ? Qvid autem pulchritudinis amplitudinem, qvæ sacro profanoqve usu de animi corporisqve formâ dicitur, hoc loco restringit? Qvæ in textu consideratio ad ullam me hic angustiam coarctat?

XX. Re-

XX. Regredior ad Origenem, qvi qvam in loco Davidico pulchritudinem intellexerit, in verbis, qvæ superius à nobis allegata sequuntur, planius aperuit. Ita ergo ille: *Sed concedatur, ut hanc prophetiam nec legerit Celsus, vel eam forte perlectam, per interpretes tam pravè distractam fuisse, ut de JESU nil videatur penitus prædixisse: verum, qvidnam dicturus de Evangelio fuerit, ex qvo illud sat patet, & conscendisse montem altissimum JESUM & fuisse in discipulorum conspectu transfiguratum, cum Helia simul & Mose in gloria apparentibus visum, & hujus fatentibus exitum, qvalem hic esset Hierosolymis habiturus?* Proclive ex his argumentum est: qvalis fuit pulchritudo nitorqve Christi, in monte transfigurati, talis & ille est, secundum Origenem, qvi in Psalmo Davidico celebratur. Nam Celso, pulchritudinem Christi neganti, utrumqve hunc locum æqvè opponit. At ille corporis est atqve faciei. Talem itaqve & hunc esse juxta Origenem, necesse est. Res clarissima est; neqve qvemqvam juvat exceptio: fulgorem, de qvo in Evangelio mentio est, extra ordinem faciem Christi collustrasse, de qvo nihil hic sit controversiæ; eum verò, de qvo in Psalterio, ad ordinarium fixumqve Servatoris nostri statum pertinere. Nam Celso, omnem Christi pulchritudinem neganti, utrumqve pulchritudinis genus, naturale & liberé adscitum, & utriusqve exemplum,

rectè opponi poterat; ut tamen utrumqve in genere pulchritudinis externæ & corporalis, qvippe de qvo qvæstio fuerat, conveniret, Alias enim extra oleas vagaretur, nec adversarium suum, mutato controversiæ statu, justis ictibus adoriretur Origenes. Qvid? qvod Origeni splendor iste, qvo in monte Tabor collucebat facies Christi, iste universus pulchritudinis tam miræ ornatus, creditus est, tanqvam nativum atqve perpetuum decorem corpori Christi insedisse, qvamqvam non omnibus hæc contingerit gratia, ut dum in his terris versaretur, eandem conspicere & oculis usurpare potuerint. Qvam in rem ipsummet loqventem audiemus: *Cæterum, qvi istiusmodi differit: cum enim Divinus corpori inerat Spiritus, erat necesse, ut esset omninò vel in partem aliqvam à cæteris alienus, sive magnitudine dixeris, sive voce, sive specie qvadam horridiore, sive svadendi vi aliqva. Qvo pacto non illud videbat, Jesu corpus pro se spectantium viribus, & ut cuiqve in commodum cederet, & immutari id visum esse? Nec mirum, si natura hoc pacto illi mutabilis inerat, ut ad qvodvis conditoris arbitrium & nutum se verteret, & ut artifici libitum esset qvalitatem qvamcunq; reciperet, juxta qvam nec speciem nec decorem traditur habuisse. Nonnunqvam verò glorioſum & horribilem & mirabilem hunc redditum ferunt, ut in faciem tantæ gloriæ & splendoris procumberent spectatores Apostoli tres illi, qvi cum Jesu montem conscenderent.* Ex qvibus deinde more suo hanc allegoriam promit, ut dicat: verbum

bum Dei infirmis & humi repentibus ſtultum atqve deforme, at credentibus & in montem ſublatis ſpecioſum atqve pulchrum videri. Libro verò II. contr. Celſ. p. m. 589. operoſius hanc ſuam opinionem inſtillat: *Jeſus*, inqvit, *cum unus eſſet aſpectu, ſenſu tamen & mente plures in ſe continebat, nec pari modo ab omnibus viſebatur, ſe intuentibus. Qvod autem ſenſu multiplex eſſet, ex eo liqvet, qvod inqvit; ego ſum via & veritas & vita. Et item: ego ſum panis & ego ſum porta, & hujusmodi pleraq;. Qvod autem non æqvè ab omnibus videbatur, ſe contemplantibus, ſed ut qvisq; capere poterat his profectò patebit, qvi neqvaqvam ignorant, cur etiam, cum eſſet ſeſe in eminentiſſimo monte transfiguraturus, neq; Apoſtolos omnes admiſerit, niſi Petrum duntaxat & Jacobum & Johannem; ut qvi ſoli tunc poſſent ejus gloriam capere & contemplari & Moſen qvirent & Eliam, in gloriâ apparentes, pernoſcere & audire hos colloqventes & vocem cœlitus editam..... Sed vel ex eo perſpicuum eſt, haud qvaqvam hunc ipſum æqvè fuiſſe omnibus viſum, qvia Judas, cum eum eſſet jam proditurus, his qvi ſecum conceſſerant, perinde ac neſciis, qvis Jeſus eſſet, hunc in modum prædixit: qvemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt. Idipſum puto, & Salvatorem, cum illud inqvit, prætendere: qvotidie docens in templo vobiſcum eram & non me tenuiſtis. His itaq; tantis de Jeſu rebus nos ducti, non ſolum pro intima ejus & occulta plerisqve Divinitate, ſed etiam pro ſui corporis transfiguratione, qvando id ei facere libuit, & qvibus, ut tantæ res innoteſceret, placuit dicimus qvidem, viſendi JE-*

SUM capaces omnes fuisse, cum nondum principatus & potestates expoliasset, nec peccato adhuc mortem obiisset. At ubi principatibus ipsis depulsis & potestatibus, jam nihil ei reliquum esset, quod multorum ut se intuentium adspectum admitteret, nequaquam omnes videre hunc poterant, qui antea conspexissent. Quocirca hic parcens, ubi jam resurrexit, non omnibus se visendum præbebat. Sed, quid omnibus dixerim? Quandoquidem cum Apostolis & discipulis ipsis haud quaquam versaretur assiduo, nec appareret, cum minus possent ejus adspectum perpetuò capere. Erat enim Divinitas ejus splendidior, ubi dispensationem omnem perfecit. Equibus omnibus sequentes, pro declarando genuino Patris intellectu, observationes deducimus. I. Non concedere Origenem Celso, ullâ parte corporis sui deformem fuisse Christum. II. Relationem à Celso jactatam ad locum Esajanum, male intellectum, referre. III. Pulcherrimum fuisse Christum, ex Psalmo quadragesimo quinto probare. IV. Idem confirmare ex transfiguratione Christi Taboritica. V. Neque hoc Celso eundem inficiari, quod Divinitatis pulchritudo per corpus CHRISTI splendere debuerit atque reapse splenduerit, quamquam splendorem istum majori gradu exeruisse confiteatur, cum dispensationem omnem officii sui compleviſſet. VI. Causam, cur nativam hanc ejus pulchritudi-

tudinem non omnes vel conspexerint, vel conspicere potuerint, partim in hominum infirmitatem, partim in liberrimam Christi procurationem rejicere. Qvæ verò singula, [sepositâ nunc rerum ipsarum veritate] de pulchritudine solummodo corporis Origeni in universo hoc discursu sermonem fuisse, evidenter evincunt.

XXI. Sed verò, qvanta vis insit argumento ex testimonio Davidico petito, non potest dissimulare ipse Vavassor. Is enim Tertullianum, dictum Prophetæ Isajæ de propriâ deformitate, Davidis autem de pulchritudine animæ figuratâ, interpretantem, ita aggreditur: Cap. II. §. 5. *Qvorsum istud? Cur utroqve loco tropum, cùm posset, non admittit? Aut in illo potius, qvam in hoc qvandam sensus proprietatem agnoscit, cum in utroqve propter repugnantiam non possit?* In priore qvidem loco, nisi contra disserta interpretationis præcepta, citra sufficientem causam, verborum proprietatem deserere velimus, tropum admitti, exclusa proprietate, non posse, ex iis palam est, qvæ hactenus disputavimus. Qvid verò ista Vavassoris interrogatio: *cur in illo potius, qvam in hoc qvandam sensus proprietatem agnoscit?* nisi hoc innuit: majorem esse causam, proprietati in loco Davidico qvam Prophetico inhærendi. Id qvod nos eò confidentius pronunciamus, qvia illo statum Messiæ nostri qvalem

qvalem in tota vita officioqve sustinuit, hic verò illam duntaxat conditionem, in qvâ extremo vitæ tempore, infinitis obrutus miseriis, constitutus fuit, citra ullam controversiam repræsentat; hic autem, consentiente universa Evangeliorum Historia, externarum injuriarum furori ita patuit Christus, ut nihil in eo formosum esse potuerit, ibi verò de formæ fœditate silentium tenet, eoqve ipso haud ullo modo prohibet, Davidicam pulchritudinem propriè intelligi.

XXII. Demonstravimus hactenus, fallacissimà Vavassorem sibi nostrum blandiri, cum universam visus est antiqvitatem in aciem contra nos educere, telumqve, qvod ex Davidica pharetra adversus eundem vibravimus, repellere. Nunc amplius κατ' ἀλήθειαν respondendum est, veterum Patrum in exponendis Scripturæ locis interpretationem sensum verborum non facere, sed supponere. Neqve enim qvisqvam eorum, qvi ex immediata Spiritus S. inspiratione scripserunt, dictorum suorum sententias, eorum intellectui alligatas voluit, qvi multis seculis post victuri erant, neqve similem haud errantis spiritus gubernationem habituri. Si verò non aliis atqve certioribus mediis, qvam ex veterum Doctorum Commentariis, indubius sacrarum literarum sensus menti se nostræ ingerit, unde tandem ipsis Patribus de vero locorum sacrorum sensu constitit? Aut si & illi instrumentis gavisi

sunt,

sunt, se vel saltem primo interprete prioribus, cur ad Patres unicè, sensum cujuslibet loci, qvi tamen in ipsis verbis latet, & à qvolibet, exemplo Patrum, beneficio supellectilis hermeneuticæ, erui potest, indagaturi recurrimus? Et si istud tradendi veri sensus depositum Patribus, veluti Judæis τὰ λόγια τῦ θεῦ, concreditum est, cur illi, non particulatim duntaxat, sed sæpe universi in interpretando ita errarunt, ut & Pontificiæ Ecclesiæ Scriptores eorum sensa cordatè hodieqve rejiciant? Cujus rei locupletissima testimonia congessere, *Jo. Gerhardus*, *Jo. Dallæus*, *Jo. Henr. Hottingerus*, *Jo. Georg. Dorscheus*, atqve hic cumprimis exemplo loci Zachariani, cap. IX, 11. in Th. Zach. Part. I. §. VIII. s. 380. s. Qvemadmodum itaqve nobis privilegium immunitatis ab errore haud qvaqvam arrogamus: ita nec illud vel sibimet adscripsere Patres, vel ut adscriberetur, unqvam voluerunt, non majorem interpretationibus suis auctoritatem attribuentes, nisi in qvantum qvilibet Sacrarum literarum haud perfunctorius indagator convenire easdem cum veritate verbi Divini, aliunde deprehenderit, id est, ex interpretandi regulis didicerit. Hac nos modestia dum Patrum scripta veneramur, sæpe ingeminamus Facundi Hermianensis monitum: *errores Patrum sunt luminarium defectus: qvæ licet nonnunqvam splendoris sui detrimentum sustineant, non tamen admittunt luminaria esse, qvod sunt.*

XXIII.

XXIII. Sed verò presſius adgrediamur Vavaſſorem, cogamusqve fateri, multos cumulando in cujuspiam loci ſenſu Patres vel nihil vel parum effici. Melchior Canus, inter Romanæ Eccleſiæ Doctores omnium luculentisſimè, qvæ atqve qvanta ſit Patrum auctoritas, & ubi atqve qvatenus illa ad concluſionem Theologicam firmandam adhiberi principii loco qveat, in Locis Theologicis exponit. Libro itaqve VII. qvi totus huic argumento enucleando inſudat, poſtqvam præmiſiſſet, venerabilem Patrum canitiem elato ſupercilio à Lutheranis contemni, [qvibus tamen honoris causâ magnum Romanæ Eccleſiæ columen Cardinalem Cajetanum aſſociat] capite ſecundo tertioqve has ponit concluſiones: *auctoritatem Patrum argumentum præbere non poſſe qvæſtionibus philoſophicis; in re Theologica unum tantum alterumqve Patrem probabile, non certum præbere argumentum; in materia Theologica, qvæ citra diſpendium ſalutis poteſt ignorari, etiam omnes Patres non præbere firmum argumentum; in re fidei atqve in expoſitione ſacrarum literarum plurium patrum, reclamantibus cæteris conſenſum non præbere ſufficiens argumentum, præbere autem certiſſimum unanimem eorum intelligentiam.* Cum itaqve qvæſtio de forma Chriſti non ad philoſophicum forum, ſed Theologorum ſubſellia pertineat, qværendum reſtat, an de fide ſit, an vero circa fidem? Nam & ſacrarum literarum expoſitio tum demum Patrum conſenſui, tanqvam

qvam infallibili eruendi sensus principio, inititur, cum materiam in se complectitur, qvæ est de fide, id est, talem, qvæ salva salute nesciri neqvit. Qvod si de fide est, Christum Servatorem nostrum vel pulchrum esse vel non esse pulchrum, infirmum erit, qvod è Patribus ducitur, argumentum, qvippe qvi neqve consensu qvodam in istud fidei dogma conspirant, qvod tamen ad res fidei Patrum auctoritate comprobandas necessarium est neqve in testimonio S. Literarum, de isthoc argumento agente concedente hoc nobis Vavassore, qvippe qvi in diversum euntes eorundem opiniones ipse adducit, interpretando consentiunt. Qvinimo si consensus iste utiqve haberi posset, deficiente tamen Romani Pontificis determinatione, nondum ullam rei certitudinem generaret. Nam, dicente eodem Cano, lib. V. Loc. Theol. cap. V. *pondus* integris etiam *Conciliis dat summi Pontificis & gravitas & auctoritas, qvæ, si adsit, centum Patres satis sunt; si desit, nulli sunt satis, sint qvamlibet plurimi.* Qvamqvam enim secundum ejusdem monitum : *si major pars Patrum verè sentiat, summus Ecclesiæ Pontifex non repugnabit; cum id ad peculiarem Christi procurationem pertineat, semperqve pertinuerit, ne Ecclesia in factiones dividatur*; tamen de veritate, qvamdiu summum Ecclesiæ caput, qvod influxum in cætera membra præstat, eademqve qvasi animat, (ut ostendit hoc exemplo suffragiorum in Tridentino Concilio ab Episcopis

la-

latorum, freqventer *Petr. Svavis*, in Hist. Trid. Conc.) nondum sententiam dixit, perpetuò dubium manet, utrum illi plures verum docuerint, nec ne [Si verò de fide qvæstio nostra non est, probabile tantum argumentum præbent etiam plurimi patres, id est, ut semet alibi Canus exponit, lib. IIX. c. IV. *non plus facium ad fidem, qvam ratio ab iis adducta*: adeoqve sive de forma Christi, sive de loco Davidico pronunciantibus non major fides est adhibenda, qvam fundamenta eorum, qvibus ad interpretationem suam muniendam utuntur, merentur. Qvod si verum est, omni conatu suo nihil effecit Vavassor, neqve efficiet in posterum, nisi argumentis malit, qvam auctoritatibus militare fidemqve suæ opinioni rationibus potius vel ex cujuslibet sermonis natura vel dispositione vel similibus depromptis, qvam nudis hominum, qvantumlibet doctissimorum, sanctissimorumqve testimoniis adferre.

XXIV. Nondum dimittimus Vavassorem. Duo sunt, qvæ præter cætera universa objectis nobis ab ipso Patribus obvertimus. Primum, qvod, dum pulchritudinem Davidicam de Divinitatis pulchritudine interpretantur, non videantur excludere corporis, in primis extra passionis tempus constituti, venustatem; qvin potius eandem in ipsâ Divinitatis pulchritudine, in corporis membra se insinuante & expulcherrima facie elucente, comprehendere. Qvomodo enim Divina Christi

sti natura, *summam in se*, ut Cyrillus loqvitur, *excellentiam & splendidissimum decorem naturæ* possidere potuit, & tamen hæc tanta dona propriæ sibi carni non communicare? Qvo de argumento suo loco dicemus. Alterum, qvod licet adductorum Patrum nonnulli corporis pulchritudinem ex decore atqve specie, qvam Psalmus prædicat, excludant, non tamen ideò proscribant ab ipso Christo. Fieri enim potuit, ut Christus, commonstrantibus id aliis argumentis, pulcherrimus qvoad corporis speciem fuerit, ut tamen crediderint Patres eandem pulchritudinem saltem hoc loco non indigitari. Qvâ in parte veterum Doctorum exemplum imitantur è nostris aliqvi, qvos ad præsentem exceptionem nostram illustrandam ideò adducemus. Felicissimus Ecclesiæ nostræ Reformator, Doct. M. LUTHERUS, Tom. VI. Altenburg. p. 377, Er redet hie nicht von einer natürlichen Schönheit des Leibes. Wiewol ich glaube / daß Christus von Natur schön / eine rechte Proportion und Maaß aller Glieder gehabt habe. Davon aber handelt der Prophet nicht / sondern seine Worte gehen auf die geistliche Schönheit / dieses geistlichen und ewigen Königes. Qvamqvam postea dubitat, utrum cæteros mortales omnes pulchritudinis gloriâ anteiverit. Das ist wol müglich / daß einer am Leib wol also schön gewesen ist / als Christus / wie Sanct Lucas von Stephano schreibet / daß sein Angesicht / wie eines Engels Angesicht anzusehen

gewest. Auch seynd vielleicht wol andere schöner gewest / als Christus. Dann wir lesen nicht / daß sich die Juden fast über des HErrn Schönheit verwundert haben. Quo ipso tamen legem nemini figere potuit, voluitq; aliter sentiendi. D. Nic. Selneccerus, Expos. ad h. l. dieser König / JEsus Christus / ist der Schönste unter den Menschen: das ist / er ist zum ersten wahrer GOtt / darnach ist er auch wahrer Mensch / ohne allen Mackel und Sünde. So jemand auch von der Schönheit des Leibes und der Gestalt reden will / der mags thun / wie Nicephorus des HErrn Christi schöne Gestalt beschrieben hat. Dann er ja schön und lieblich muß gewesen seyn / daran ist kein Zweifel. Wie wir auch am jüngsten Tage und hernach in alle Ewigkeit sehen und erfahren werden. Doct. Mart. Geierus, in illustri opere Commentariorum in Psalmos, Tom. I. p. 876. *Pulchrior redditus es; ex singulari videlicet DEI gratia, omnibus venustatum & gratiarum dotibus te singulariter exornante, tum qvoad externam corporis pulchritudinem, de qvâ Nicephorus, tum præcipuè qvoad egregias animi dotes internas, qvales sunt sapientia, justitia, bonitas, misericordia, sanctitas nativa.*

XXV. Eqvidem haud æqvo animo fert Vavassor, qvod nonnulli audeant, conjunctam animi atq; corporis pulchritudinem, adductis à se Patribus affingere, ac proinde contra illos qvasi indignabundus insurgit: *At enim*, inqviens, *affirmant isti sententiam & opinionem qvisq; suam sic, ut non illicò negent humanam & externam Christi corporis*

poris pulchritudinem intelligi posse. Nobis quidem abunde est, hanc ab iis explanationem omitti, qui tam diversas attulerunt, ut attulisse videantur omnes, quas utcunq; probabiles ducerent, quorumq; reticentiam interpretari possumus improbationem. Sed ejusmodi expositionem non omittunt solum, verum etiam valere negant, aut hic ullo modo de pulchritudine corporis, quæ emineat foras, ac percipiatur sensibus agi. Dic, Basili, quid censes? Non enim in convenientia & apta figura membrorum, neq; in bonitate coloris, qui in corpus cum quadam jucunditate efflorescit, sed in Divina natura, quæ propriè dicta est pulchritudo, mente sola, eaq; cumprimis purgata, agnoscitur, ut Psalmus habet: specie tua & pulchritudine tuâ. Dic, Theodorete? Ejus verò pulchritudinem Psalmus appellat, non quæ corporis sit, sed quæ virtutis. Dic, Cyrille? Nemo autem dubitare potest, quia intelligi debeat ea pulchritudo, quæ in gloriâ naturâq; est supremæ Divinitatis. Neq; enim quisquam corporis gloriationes Christo tribuerit, neq; in ejus partem gloriæ numeraverit; multum abest. Ad summam, ne plures rogem, sunt quasi pedibus in eam sententiam, Eusebius, Hesychius, Apollinarius, Euthymius.

XXVI. Qua de re, quid nobis videatur ordine expediendum est. Itaq; I. non negamus, è Patribus nonnullos & fortasse plures, ita Davidicum dictum explicuisse, ut è sensu loci corporis venustatem secluserint. Neque enim infrequens est, in tractatione Scripturaram diversa sequi Patres instituta, & è sermonis virtute varios pro cujusque studio elicere sensus.

Qvare hæc induſtria relicta iis eſt, qvi ſacrarum literarum adyta hodieqve ſcrutantur, ut, qvis inter tot intetpretes, inter tot interpretum ſententias Divinæ menti propius cenſuerit, qvis ad ſcopum Spiritui ſancto præfixum accuratius collimaverit, id eſt, qvis veritatem ſenſus omnium certiſſimè attigerit, ex præſidiis, [qvæ non minus nobis, ac illis, cum de anteceſſorum ſuorum interpretationibus pronunciarunt, in promptu ſunt] judicent, verioremq; ſententiam ex latibulis qvaſi ſuis extractam ante oculos conſtituant. Nefas itaqve eſt, merâ qvorundam Patrum auctoritate vel cæteros vel cum cæteris veritatem ipſam, qvæ non vi ſed argumentis unicè ſuadetur, opprimere. Eleganter Melchior Canus, lib. XII. Locor. Theol. c. III. *Non omnia*, inqvit, *poſſumus omnes; & Divinæ procurationis eſt, ut priores aliquid poſterioribus relinqverent, in qvo elaborare qvoq; ipſi & exercere utiliter non ſolum memoriam, ſed etiam ingenium poſſent.* II. Neq; tamen etiam inter eos, qvi pulchritudinem corporis vel à loco Davidico vel à Chriſto exulare jubent, ſinguli ſimpliciter eandem excludunt. Alia loqvendi ratio ſimplex, alia comparata eſt. Neqve ſemper, ubi comparationem verbis non inſtituimus, ſenſus ideò noſter comparatus non eſt. *Sacrificium non vis, ſed cor contritum;* ait David, Pſ. LI, 18. 19. Nempe non prorſus rejicit ſacrificium, qvod Deus in lege præceperat, ſed comparando id cum corde contrito, magis hoc Deum velle qvam iſtud aſſeverat. Et exempla in profanis etiam auctoribus ſunt paſſim obvia.

Baſi-

Basilium isto comparandi sensu locutum esse, non dubitabit Vavassor, qvando, si negaret in Christo extitisse τὴν εὐαρμοστίαν τῶν μελῶν καὶ εὐχροίαν ἐπανθοῦσαν τῷ σώματι; utiq; deformem Christum assereret, qvod dicere tam refugit, qvam summè pulchrum esse Christum, Vavassor. An enim non deformis est, cui haud convenit apta membrorum figura & coloris bonitas? III. Porrò si largiamur, neminem laudatorum Patrum, corporis pulchritudinem à Davide voce isthac controversa includi, concedere, præter tamen Theodorerum & Isidorum Peluſiotam, qvi seculo V. vixerunt, nemo unus ad mentem atq; sententiam Vavassoris, interpretatur. Pulchritudinem Divinitatis omnes intelligunt; qvâ in re eos apertè falli, uno ab Hieron. edoceri poterant, qvi scribit ad Principiam: *commemoratur hic pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore; non qvo Divinitas Christi hominibus comparata non formosior sit; hæc enim non habent comparationem, sed absq; passionibus crucis universis pulchrior est, virgo de virgine, qvi non ex voluntate viri sed de Deo natus est:* id est, interprete D. Mart. Geiero, ad h. l. *hac locutione*, pulchrior es præ cæteris filiis hominum, *comparativâ ostenditur, textum loqvi de Messiâ, non ut Deus est, ibi qvippe est incomparabilis, sed qvatenus est homo, nobisq; carne similis.* Qvod cum non abnuat Vavassor, ultro consequitur, tantum Patrum catervam, ab ipso adductam, inficiari qvidem, locum Psalmi de pulchritudine corporis agere, asserere tamen, agere de pulchritudine Divinitatis. Qvorum illud is qvidem veritati con-

sentaneum, hoc autem falsum esse profitetur; nos autem contrarium asserimus. Exqvo denuò sponte sua fluit, novis opus esse argumentis, qvibus alterutrius opinionis vel veritas suspecta reddatur, vel falsitas probabilis. Præterea si in asserenda & exponenda pulchritudine aberrare potuerunt Patres, qvidni & in neganda atqve tollenda? Si falsum docere potuerunt in eo, qvod in loco Davidico pulchritudo Divinitatis, reclamante manifesto textu, intelligatur, qvidni & falli potuerint, cum eandem pulchritudinem corpori Christi competere negarunt? Dum itaqve Vavassori post Isidorum Peluſiotam, scriptorem non adeò celebrem, solus remanet Theodoretus; qværo, utrum is vel ab antiqvitate vel à sanctitate vel à doctrinâ tantopere commendari mereatur, de qvo tam abjectè in materiâ de cultu angelorum judicat Jul. Cæs. Baronius, Tom. I. Ann. LXVI. Sect. XX. *Theodoretus*, inqviens, *haut feliciter assecutus est Pauli verborum sensum*, [cur idem nobis non dicere liceat de sensu verborum Davidis?] *cum in hujus ad Colossenses epistolæ commentariis dicit, hæc à Paulo esse scripta, qvod tum grassarentur hæretici, qvi angelos colendos esse jactarent. Qvinam hi fuerint, dicat ipse, qvi omnium hæreticorum fabulas egregiè perpetuæ memoriæ commendavit. Si ergo errore semel lapsus in alium gravioremimpegit, ut diceret, canonem trigesimum qvintum Laodiceni Concilii de his hæreticis esse intelligendum, qvi angelos colendos esse docerent, qvig, in*

eadem

eadem regione Asiæ oratoria erexissent S. Michaëli Archangelo; incaute nimis, qvæ à Catholicis erant antiqvitus instituta, hæreticis, qvorum nulla esset memoria, tribuens. Qvam Cardinalis κρίσιν in Critic. S. lib. IV. c. XXI. ideò annotavit Andr. Rivetus, ut ostenderet, qvantam sibi in Patrum scripta usurpent autoritatem Romanæ Ecclesiæ assentatores, ut Patrum dignitatem extollerent, si ad eorundem palatum scriberent, cum verò errores redarguerent, audacter atqve imprudenter extenuarent. Deniqve IV. dum Irenæus doctissimus sanctissimusqve in Galliâ martyr, ad testimonium adversus nos dicendum in foro sistitur, ille à nostris potius deprehenditur stare partibus, qvam Vavassoris. Qvi enim corporalem pulchritudinem excludat, qvi eandem non de Divina prorsus, qvâ semper est, neqve de prorsus humana, qvâ hic, inter nos cum versaretur, esse potuit, sed de eâ, qvæ nunc cœlo viget, pulchritudine, deqve toto cœlestium statu florente atqve beato interpretatur? Aut ubi pulchriores erimus, qvam eo loco, ubi corporibus nostris obtinget ea claritas, is venustæ pulchritudinis splendor, qvi solem hodie atqꝫ cætera, qvæ cœlum ambiunt, qvæqꝫ ad stuporem usqve pulchra sunt, sidera vestit? Ubi corpus nostrum angelis simile futurum, *surget in incorruptione, in gloriâ, in virtute, in spiritualitate?* 1. Cor. xv, 42. s. Neqꝫ verò Servatori & capiti nostro eo in statu is decor denegabitur, qvi membra ipsius ornabit, qvemqve is laboribus suis & merito iisdem

olim comparavit; in qvo in conspectu trium discipulorum, specimen scilicet ejus gloriæ daturus, qvæ corpus ipsius inter beatos cœlestis regni incolas qvondam illustratura esset, ita exsplenduit, ut *micuerit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sint alba, sicut nix, qvalia fullo non potest super terram candida facere.* Matth. XVII, 2. Marc. IX, 2. Johannes à Jesu Maria, Rom. Ecclesiæ monachus, non immeritò sequentem in modum nos docet argumentari, libro de arte amandi Deum, c. III. p. 35. f. *Hæc ratio efficit, corpus qvodlibet, jam immortalitate præditum, & perfectissimi status illius nobilitate decoratum, omni mortali pulchritudine antecellere; adeò ut si à qvolibet, qvantumlibet libidinoso ac intemperanti homine cerneretur, repente totius decoris mortalis oblivionem induceret. Qvis enim expendat, qvanta formæ perfectio, qvantus nitor statum illum sublimissimum deceat, qvem deformitas nulla decere potest? Si verò corpora gloriæ pulchritudine conspicua, licet in eo genere postrema, qvicqvid orbis noster admiratur, excellunt & Divinum qviddam spectandum exhibent: qvid de absolutissima Jesu Christi formâ sentiendum erit? Purissimus ille ac suavissimus candor formosissimi corporis, membris in staturam rege dignam consentientibus, infusus, pulchritudo illa, majestatis plena, qvæ augustissimum caput exornat, oculorum cœlestia luminaria, urbem totam intuitu perlustrantia & exhilarantia, erectum & qvasi ex ebore politum collum, brachia manusq; velut torno ducta; & qvicqvid à pectore ad summos pedum digitos procurrit, honestissimo decore*

lucens,

lucens, qvantam obſecrò pulchritudinem componant? Immenſam certè, ut beatorum oculos corporeos amplâ mercede remuneret. Nihil enim æqvè formoſum ac jucundum corporis oculi, gloriæ luce illuſtrati, poterunt intueri. Qvod ſi verum eſt, qvomodo Irenæus, pulchritudinem à Davide celebratam de totâ cœleſti gloriâ exponens, corporis venuſtatem excluſit, & non intimè potius arctiſſimeqve incluſit?

XXVII. Nunc tandem eluctari ex plicis tricisqve, qvibus nebulas obducere clariſſimo Prophetæ Regisqve teſtimonio conniſus eſt Vavaſſor, integro cujuslibet judicio reliqvimus, ſatisne graves adduxerit, deturbandi nos ex literæ, qvæ primum cujusvis interpretis præſidium eſt, primo naturaliqve ſignificatu, cauſas?

XXIIX. Qvanqvam & alia ex Salomoneo cantico huic Davidico prorſus parallela teſtimonia, pro confirmandâ ſententiâ noſtra adferre poſſemus, qvia tamen vel eandem in totum vim poſſident, vel prolixioris forent tractationis, huic labori ſuperſedemus, & progredimur ad argumentum ſecundum, qvod nobis præbet unio perſonalis. Illa enim ſi dona increata & infinita carni ſuæ ad poſſeſſionem communicavit, & communicaſſet etiam ad uſum, ſi paſſa fuiſſet redemptionis & exinanitionis œconomia, multò verius formæ elegantiam utendam fruendam in carnem ſibi propriam contulit, cum ejus uſurpatio negotium perficiendæ ſalutis adeò non impedive-

rit, ut potius promoverit. Præterea si, qvibus Deus aliqvando ad pauxillum temporis spatium arctius conjunctus fuit, hoc pulchriores habilioresqve effecti sunt, qvod Mosis καλλιπρεσσώτως & Petri atqve Jacobi & Johannis aliorumqve gloriæ divinæ civium, insigni claritate & pulchritudine lucentium, exemplo patet, multo elegantior multoqve pulchrior reddetur is, qvi πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος unitissimè sibi habuit copulatum. Liceat hic verbis uti Vavassoris nostri cap. I. §. 6. *Desinamus*, ajentis, *Christum tanqvam unum aliqvem nostrum contemplari, qvibus id, qvod formæ est, totum naturæ sit ac fortuitum. Divinitate potius illum sua metiamur, qvæ in tempore, qvi qvid habuit, judicio & delectu & voluntate habuit, cuiq; fas soli dicere fuit: Mihi & vultum & ingenium fingere potui. Ecqvid igitur Christus, integrâ re, cum potestas & optio daretur, utrum vellet, elegit; aut si qvidem deformitatem sibi prudens & volens non dubitavit appetere, qvo consilio fecit? qvid secutus est? ad qvam rem utilem fore putavit? nam si, qvæ in bonis corporis pulchritudo numeratur, usq; eò sterilis & parum frugifera est, ut non tam bonum videatur ejus, qvi pulcher sit, qvam cujusvis alterius, etiam illius nonnunqvam, qvi sit deformis, qvo non ipse, qvi habet, fruatur; & cujus ad solos intuentium oculos usus pertineat: qvæ demum commoda, qvas utilitates præbere contrarta deformitas potest? Sin id ipsum Christum impulit, ut deformitatem adsciscret, qvod ea aliqvid haberet mali, non eidem satis causæ fuit, qvare à se repudiaret; qvod malum*

potius

potius alienum, qvam suum istud futurum fuisse intelligeret? Qvanqvam enim Vavassor hæc pro amoliendâ duntaxat deformitate à Christo adducat, neminem tamen latere potest, eadem vi ad conciliandam Christo eximiam summamqve pulchritudinem adhiberi posse.

XXIX. Hujus argumenti, qvamqvam primo intuitu exigua esse videri qveat, tanta tamen vis est, ut & pagani, instigante natura, ultrò agnoverint, Deo, qvoties is in specie qvapiam externa compareat, singulari pulchritudine excellentem, id est, ut illi loqvuntur, dignam Deo competere formam. Qvam in rem Celsi, è sectâ Epicurea Philosophi, verba, etsi in superioribus adduxerimus, repetere tamen haud pigebit: *Si Divinus*, inqvit, *inerat & in corpore spiritus, omninò erat necesse, ut immutatum aliqvid haberet id corpus à cæteris alienum, sive magnitudinem dixeris, sive venustatem, sive vires validiores, sive vocem, sive speciem horridiorem, sive deniqve suadendi vim aliqvam. Fieri enim non poterat, ut, qvi præter cæteros aliqvid in se haberet Divitatis, non item ab his longè differret.* Nempe natura hoc dictat, ens in se atqve ad intra, ut Philosophorum terminis loqvamur, absolutissimè perfectum atqve pulchrum, in externo qvoqve formosissimo atqve pulcherrimo corpore, tanqvam vestimento qvopiam venusto atqve decoro, conspici debere. Pulcherrima qvæqve corpora, si in deformi habitu appareant, deformitatis & ipsa aliqvid inde trahunt, ne-

neqve amplius regii vultus, ubi in rusticas atqve plebejas se occuluerint vestes, agnoscuntur. Vicissim turpem atqve maculosam faciem vestimentorum nitor & venustas ita ornabit, ut agricolam nonnunqvam in Principem felicissimâ metamorphosi transformet. Qvod si DEUS [illegible]orum virtutumqve elegantiam tam impense amat, ut nunqvam corpus flagitiosum & peccatorum fœditate inqvinatum sibi circumducat, qvi non & corporis venustatem pari amoris affectu complectatur, cum, qvo qvid in suo genere perfectius est, [est autem pulchrum omnium confessione deformi perfectius] eò Divinæ perfectioni id magis congruat, abqꝫ eodem vehementius diligatur? Qvare cum Gentiles Deos suos in hunc orbem venientes introduxerunt, tanto pinxerunt decore illustres, ut ex ipsâ pulchritudinis præstantiâ citra omnem difficultatem illicò noscerentur. Neqꝫ etiam angelos, qvamqvam inferiores imperfectioresqve naturas, aliter legimus sese unqvam hominibus præbuisse visendos. Nisi forte vel Dii vel genii ad terrorem potius incutiendum, qvam elargienda beneficia apparuissent; qvo certâ casu pulchra facies est, qvæ ad terrorem horroremqꝫ comparatur, non qvæ adspicientibus, qvos perditura est, blanditur. Deniqve qvomodo Tullius, præstantem aliqvam æternamqve naturam esse, eamqve suspiciendam, admirandamqve hominum generi, pulchritudinem mundi, ordinemqve rerum cœlestium,

nos

nos cogere confiteri, dicere potuisset, nisi Deus & in se pulcherrimus esset & pulcherrimis libenter conjungeretur? Qvare idem de Deo scripsit, lib. I. de Nat. Deor. *Deum qvi esset optimus, fas nec est, nec unqvam fuit, facere qvicqvam, nisi pulcherrimum.* Et iterum: *Deum non modo aliqvâ, sed etiam pulcherrimâ specie esse decet.*

XXX. Neqve verò corruptæ aut degenerantis naturæ hunc afflatum esse, vel inde palam est, qvod religiosissimi Ecclesiæ Patres, in qvorum oculis, qvicqvid hoc seculum sapiebat, contemptum, abjectumqve fuit, eandem consecutionis vim, naturali inclinatione perceperunt. Nam Cyrillus Alexandrinus, in cap. LIII. Esai. ne admittere cogatur, Christi formam turpem atqve inhonestam fuisse, eò qvod dicatur, nullum eum decorem, nullam speciem decorasse, ita Propheticum testimonium circumscribit: *Vidimus eum, neq; habebat speciem, neq; pulchritudem*; κάλλος δὲ τὸ θεοπρεπὲς, *pulchritudinem dico, Deo dignam.* Qværo itaqve ex te, qvid inferat *pulchritudo Deo digna*, seu, ut Cyrillus loqvitur, κάλλος θεοπρεπὲς? qvæ Deum deceat, cum in humanam se induit carnem & hominum more in corpore apparet? Nempe omnem eam perfectionem, qvæ corpori, ut tali convenire potest, qvæqve ex oppositio facile intelligitur, cum Cyrillus orationem suam his verbis promovet: *Siqvidem parvæ, viles & despectæ sunt prorsus res hominum. Neq; enim sanctâ virgine matre natus est opulentâ, sed parva*

va omnia persecutus, id ut extolleret, quod humile est. Nam faciem servatoris submœstam, τὸ πρόσωπον κατηφὲς *fortasse contemplati sunt, & ipsum quasi perturbatum atque animo consternatum, quippe cui moriendum jam supplicio crucis esset.* Forma itaque θεοπρεπὴς faciem lætam & alacrem, animum hilarem & erectum, in ipsis sese vultus lineamentis cum insigni jucunditate & admirandâ suavitate ostentantem Cyrillo designat, quam morti vicinus quasi deposuit, resumendam iterum, cum victoriam ab hostibus reportaverit, sibique ac proprio velut atque naturali vigori fuerit restitutus, Christus. Cyrillum, ut notat ipse Vavassor, Procopius ferè ad verbum exprimit, nisi quod formam Deitatem non decentem ἄτιμον vocat, cui ex adverso respondet ἐντιμον, *quæ in honore atque gloriâ est*, quam ob insitam sibi perfectionem atque excellentiam in precio habere atque honorare oportet. Bernhardum quoque supra audivimus ita loquentem *splendorem & figuram substantiæ DEI obnubilari in formâ servi.* Quo ipso substantiæ Divinæ, cum in carne sese manifestat, nec nativum formæ suæ statum ultrò occulit, splendorum atque figuram, (ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ vocat auctor epistolæ ad Hebræos,) tanquam propriam atque germanam formam, adscribit.

XXXI. Hanc consecutionis necessitatem, quasi προλήψει quadam, mentem humanam occu-

cupante, adeò diffiteri non potuit Vavassor, ut confessio etiam aliud agenti sæpe exciderit. Nam Cap. I. §. III. objectionem declinaturus, qvod deformitatem, Christo à nonnullis perperam adscriptam, tanqvam corporis dehonestamentum, familiares ejus atq; discipuli omni studio dissimularint, non injuria regerit: alienos, iniqvos, invidos, obtrectatores, vitium hoc corporis, paratam qvippe ad cavillandum atqve exprobrandum materiam, si ejusmodi qvid in Christo extitisset, occultaturos neqvaqvam fuisse, qvi ex infesto in eundem odio minora etiam, qvàm formæ pravitatem venenatis verborum aculeis confixerint. Ad Porphyrium deinde, ad Julianum, aliosqve capitalissimos Christi hostes provocans: *cur abstinuerint*, inqvit, *tam paratis & proclivibus maledictis? Qvomodo non millies commonstrarunt digito, nec designarunt ad ludibrium os inhonestum, neqve solum DEO sed ne qvidem homine ingenuo DIGNUM, qvod risum & jocum spectantibus deberet?* Fatetur ergo, formam qvandam Deo dignam, qvandam indignam esse & à majori ad minus ita concludit, qvod homine ingenuo dignum non sit, multò minus Deo dignum esse. Ex qvo verò, qvidni pronâ viâ in hunc modum liceat inferre: qvæcunq; formæ eminentia homine digna est, ea hoc dignior certè erit Deo, qvo is hominem majestate atqve dignitate præcellit. Si hominem qvemlibet ingenuum formæ elegantia commendat, cur non & Deum ornet, pul-

pulchrorum omnium pulcherrimum? Si deniqve ulla formæ turpitudo Deo indigna censetur, digna profectò judicanda est tam sublimi, tam summo Numine, qvæcunqve in formarum genere vel summa vel sublimis reperitur. Sed loqvatur denuò in medium Vavassor. Cum Cap. III. §. VI. de longitudine atqve proceritate Christi disqvirit, negatqve vel Nicephoro Christum septem pedum fuisse scribenti, vel Epiphanio, eundem ad senos pedes crescendo perveniisse, memoranti fidem habendam esse, mediocritatem tandem, qvæ est inter parum ac nimium, id est, à pede circiter qvinto ad sextum, eligit, eandemqve hoc argumento corroborat: *Hæc statura ita justa est, ut procerior, qvam brevior sit, eoq; hominis DEI personæ CONVENIENTIOR. Nam ut immoderata magnitudo corporis vastum qviddam & immane & suapte vi ac sponte comparatum habet ad terrorem, ita moderata aliqvid affert dignitatis; qvod si natura nobis offerat, optioq; detur, nulla ratio fuerit respuere.* Audis hic, staturam qvandam Deo præ cæteris convenientiorem: qvidni & forma qvæpiam præ aliâ Deo erit convenientior? Qvæ verò convenientior esse possit, nisi pulcherrimo pulcherrima? Vides deniqve, excessum atqve defectum, seu immoderationem qvamlibet à statura Christi ideò removeri, qvia moribus ejus non conveniat, moderata autem multum dignitatis conciliet: at annon ob eandem causam omnis formæ intemperamtia, qvæ inter

utrum-

utrumqve extremum, nimiæ deformitatis & muliebris in venustate mollitiei, luxuriat, Christo subducenda est, qvi forma moderata atqve eximiè pulchra splendorem dignitatemqve adfert? Qvalem cum natura Christi, in se optima atqve perfectissima, corpori ipsius offerrt, solutamqve det eligendi optionem, qvid causæ est, cur Christus respuat? Addamus adhuc locum ex Vavassore unum. Is itaqve cap. IV. §. VI. de motu & incessu Christi hæc pronunciat: *Accedebat motus & incessus, & corporis moderatio, DIGNA DEO, non eadem qvidem semper, nec constans perpetuò sibi; qvo enim pacto capi potuisset aut morte interfici? sed qvæ gravitatem teneret identidem atqve ex intervallo; & majestatem, cum vellet ac numen expromeret.* Qvemadmodum antea convenientissimam atqve ex omni parte proportionatam Christo staturam, ita nunc incessum motumqve, Deum usqveqvaqve decentem, hoc est, cum majestate ac gravitate conjunctum, vindicat. Cur ergo, ubi de cæteris adeò solliciti sumus, solam à Christo in exilium abigimus pulchritudinem? Cur accuratissimam ei staturam, cur exqvisitissimum motum atqve incessum & pulchritudinem tamen mediocrem tantum neqve supra communem hominum sortem assurgentem, eidem adscribimus? Summa pulchritudo est, ubi summa est membrorum in homine colorumqve convenientia atqve proportio; hanc igitur convenientiam, dum non tantum ad-

mittimus, sed etiam propugnamus, cur definitum, id est, pulchritudinem summam inficiabimur? Cum inprimis gravitas atqve majestas occultatum qvasi in corpore Numen subinde expromens pulchritudinem, de qva hic qvæstio est, virilem adeò non destruat aut labefactet, ut confirmet potius & stabiliat.

XXXII. Qvæ singula majorem auctoritatem obtinent, cum ex altiore S. Literarum principio derivantur. Illæ enim Divinam in Christo naturam carni sibi unitæ, qvicqvid uspiam Divinæ perfectionis in Deo est, communicasse, testantur. *In Christo inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Col. II, 9. perfectiones autem in Deo duorum generum esse in confesso est. Aliæ enim, cum in natura sua imperfectionem nullam includant, abstractè qvippe ab omni eâ determinatione, qvâ in creaturis afficiuntur, consideratæ, formaliter in Deo, insunt; aliæ autem virtualiter, ut Philosophi loqvuntur, atqve eminenter tantum, qvæ cum in essentiali conceptu suo qvidpiam materiatæ imperfectionis involvant, de Deo nonnisi κατά τι, secundum id nempe, qvod in iis perfectio est, cum virtute id, cui imperfectio hæret, producendi enunciari possunt. Utrumqve verò perfectionis genus, in qvo & corporis certè pulchritudo ponitur, communicatum humanæ Christi naturæ esse, non potest dubitari ab eo, qvi vocum vim atqve ἔμφασιν, πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, paulò apud se penitus consideraverit. Qvi enim omnem Divinitatis plenitudinem nominat, is nihil excludit eorum,

qvæ

qvæ ad plenitudinem seu perfectionem Divinitatis qvacunq; possunt ratione pertinere. Qvare vi unionis Personalis carni Servatoris nostri, non Divina tantum & increata, sed humana etiam, licet singularia prorsus & admiranda, atq; adeò communem hominum sortem supergredientia, qvæ ideò ὑπερφυσικὰ & παραφυσικὰ etiam vocantur, dona collata esse, constans Scholasticorũ & Doctorum nostrorum opinio est, de qvorum sententia, qvamqvam paulo prolixiorem, *Martini Chemnitii* nostri, [cui certè debemus, qvicqvid in hoc argumento accurati uspiam elaboratum cernimus] locum haud gravabimur integrum apponere. Is itaq; libro de Du. in Chr. Nat. c. XXI. ita loqvitur: *Ex verbo Dei certum est, qvando Deus sive tota Trinitas in credentibus & sanctis per gratiam inhabitat, qvod non otiosus aut per essentiam tantum, ἄνευ ἐνεργείας, sine efficacia ipsis adsit, relinqvens eos in puris seu meris naturalibus; sed qvod Divina sua ἐνεργεία, operatione seu efficacitate in credentibus operetur & efficiat multa ac varia supernaturalia, sicut scholastici loqvuntur, gratuita, spiritualia, cœlestia & Divina dona, qvæ usitatè appellantur vel qualitates vel habitus vel virtutes, vel, sicut vulgò dicitur, Spiritum sanctum efficere in credentibus tales motus, qvalis ipse est. Atqve ideò illam inhabitationem per gratiam in sanctis scriptura vocat κοινωνίαν Spiritus Sancti. I. Cor. XIII. Et credentes ideò dicuntur θείας φύσεως κοινωνοὶ, ut, qvi communionem habeant cum Divina natura. II. Petr. I. Illa verò dona sanctis per inhabitationis gratiam collata, non sunt ipsa essentialia, increata & infinita*

Divinitatis idiomata, sed sunt gratuita dona & finita ac quasi effecta Deitatis, quæ sanctis ita conferuntur, ut formaliter, habitualiter & subjectivè ipsis inhæreant. Atque hoc modo toto genere differunt & distincta sunt ab ipsis essentialibus Divinæ naturæ idiomatis. Et dona illa pro bonâ Dei voluntate inter sanctos ita distribuuntur, quod non omnibus omnia, sed quod præter illa dona, quæ omnibus credentibus communia sunt, sicut Paulus Tit. I. vocat fidem communem, singulis peculiaria distribuit, prout expedit. I. Cor. XII. Habent enim dona juxta gratiam ipsis collatam differentia, sicut Deus cuiquam distribuit mensuram fidei, Rom. XII. Alii enim talia dona habent plura, alii pauciora, alii minora, alii majora. Cum igitur Divina natura τῦ λόγυ non tantum per inhabitationis gratiam, sed tota plenitudine personaliter inhabitet in assumpta sua humana natura quam hypostatica unione sibi propriam fecit, impium profectò & blasphemum foret, cogitare, Humanam naturam Christi in hypostatica illa unione, in puris seu meris naturalibus relictam, & ex personali illâ unione nihil accepisse, aut habere, præter essentialia sua idiomata, nihil ultra physicas suas vires, facultates & conditiones, & nihil supra naturales suas operationes, sed rectè ac secundum Scripturam à Scholasticis Scriptoribus statuitur, cum Christus secundum assumptam naturam unctus sit, ultra consortes, non homines tantum sed & angelos, ideò Divinam naturam τῦ λόγυ in assumptam humanam naturam, cui ὑποστατικῶς unita est, Divina sua ἐνεργεία contulisse & effudisse spiritualia, cœlestia ac Divina dona, non tantum particularia quædam

dam certâ mensurâ, definito numero, & dimensis gradibus, sicut in sanctis limitata, sed omnia Divina dona, tota plenitudine, superabundanti copiâ, summâ & absolutissima perfectione, quæ substantiæ creatæ in se conferri possunt, ultra omne nomen, numerum & mensuram. Si enim Divinitas in sanctis per gratiam inhabitans, tanquam lumen verum virtutum suarum radios spargit & diffundit in sanctos, & tanquã vivus fons bonorum suorum rivos influit & effundit in credentes; multò plenius & longè perfectius illa in eâ carne fieri statuendum est, in quâ tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter. Illa verò dona infusa non sunt ipsa essentialia idiomata Divinitatis, sed sunt effecta ejus extra Divinitatem in humanam Christi naturam ita infusa, ut in ea formaliter, habitualiter & subjectivè, sicut Scholæ loquuntur, inhæreant, quibus ipsa ἀνθρωπότης Christi in se & secundum se informatur & perficitur, ut possit esse organon habile idoneum ac sufficienter dispositum, per quod & cum cujus communione ac cooperatione Divina potentia λόγυ Divinæ majestatis suæ operationes exercere ac perficere possit. Et hæc dona, sicut ipsa substantia humanæ naturæ, cui formaliter inhærent, in se creata & finita sunt. Inter ὑπερφυσικὰ igitur & παραφυσικὰ, quæ scholastici vocant, supernaturalia & præternaturalia, qua assumptæ humanæ naturæ Christi, ex hypostatica cum Divinitate unione, donata & communicata sunt, primo loco ponemus dona illa gratuita, seu infusa, sicut dictum est; idque ideo; hactenus enim in hac controversia inter partes de hisce donis jam convenit, ut ita eò commodius tandem pervenire possimus

simus ad summum gradum. Dona enim illa quanta-cunq; copia excellentia & perfectione, in humanitate Christi ponantur, non tamen assequuntur majestatem illam, quæ Christo in tempore donata scribitur, ut quod caro ejus sit vivifica, de quibus postea dicemus.

XXXIII. Hic tam luculentus viri θεοσοφωτάτε discursus, corporis quoque pulchritudinem ex virtute unionis Personalis deducendi fundamentum nobis subministrat. Cum enim sancti per inhabitationis gratiam non animæ tantum sed corporis etiam dona, utpote *vitæ longævitatem*; Exod. XX, 12. optimæ ad summam usque senectutem valetudinis constantiam; 2. Reg. XX, 5. Divitiarum quandam in omni re familiari affluentiam; Deut. XXIIX, 3. seqq. & corporis præ cæteris pulchritudinem adipiscantur, (quod partim patet exemplis sanctorum in præsenti vita, *Saræ*, Gen. XII, 11. 14. *Rebeccæ*, Gen. XXIV, 16. XXVI, 7. XXIX, 17. *Josephi*, Gen. XXXIX, 6. *Davidis*, 1 Sam. XVI, 12. *Estheris*, Esth. II, 7. *Filiarum Hiobi*, Hiob. XLII, 15. *Danielis, Hananiæ, Misaëlis & Asariæ*, Dan. I, 15. *Mosis*, Eb. XI, 23. partim in altera vita, ubi hoc pulchriores efficientur, quo arctius Deus per gratiam & gloriam ipsis conjungetur, cujus rei specimen dedere in monte *Moses & Elias*, ἐνδόξη constituti, Luc. IX, 31. Quæ quorundam Sanctorum pulchritudo ideò donum Dei esse non desinit, quia aut ipsis cum profanis impiisque communis est, cum & vitam sæpe sceleratissimi quivis ad extremum senium producant, cujus tamen diuturnitas promisso Divino nititur, Eph. VI, 2. aut quia

qvia ea omnibus sanctis non ex æqvo decernitur cum & cætera corporis dona, utpote opes atq; valetudinem, liberrimè dispensetgratiaDivina;] & veroChristus, qvæ sancti dispertito qvasi beneficio à munificaDei manu, ipsis cohabitante, acceperunt, ex unionis personalis gratia & plenitudine singula conjunctim tulit; qvid aliud seqvitur, qvam singularis qvoq; pulchritudinis perinde ut illos, participem factum esse? Neq; enim, si extra hoc esset, *omnia Divina dona, tota plenitudine, super abundanti copia, summa & absolutissima perfectione, qvæ substantiæ creatæ in se se conferri possunt, ultra omne nomen, numerum & mensuram* recepisset. Multo minus vero secundum humanitatem suam à τῶ λόγω unctus posset dici ultra consortes suos, non homines tantum, sed & angelos, si utriqve hoc naturæ munere eundem longè superassent. Nam & venustissimos è sanctorum ordine homines passim celebrari, ex iis, qvæ adduximus exemplis clarissimum est, & angelos in pulcherrima splendidissimaq; subinde forma apparuisse, non minus crebro sacræ historiæ enarrant.

XXXIV. Hæc conseqvendi vis adeo aperta est, ut ad assensum qvemlibet, judicio haud corrupto utentem, illico vi qvasi trahat permoveatqve. Si enim ex unione spirituali, tanqvam minus arcta atqve accurata, virtutes non animi tantum, sed corporis etiam, docente Scriptura & confirmante experientia, qvasi ex fonte qvodam profluunt, qvi accuratior, arctiorqve unio, tanqvam fons longè uberior atq; fœcundior, qvi immensa aqvarum

maria de sese profundit, aridiore qvasi erumpat venâ, & non potius pleniores perfectioresqve corporis dotes copiosè protrudat? Si inhabitatio Dei ad gratiam tam profusis donorum variorum muneribus conjunctum sibi corpus dicat: qvi non longe affluentioribus locupletabit inhabitatio Dei ad personam? Sed arctius stringamus nexum. Finge, personam Divinam in aliqvâ carnis sibi unitæ parte non omnem qvasi, à se inseparabilem, prodigere perfectionem, tum aut illi parti non erit personaliter præsens, qvod Nestorianum, aut Divinitas erit à persona separata, qvod absurdum & sanæ etiam rationi adversum, aut deniqve Divinitatis attributa seu perfectiones, qvæ inter se atqve cum essentiâ Divinâ ταυτό τι sunt, distrahi ab invicem, id est, Divinitas simplicissima & qvantitatis omnis expers discerpi qvasi poterit & dilaniari in partes. Qvod cum dicere minus qvam cætera omnia conveniat, necesse est, personam corpori personaliter unitam, eidem omnem, qvæ concipi ac cogitari possit, dummodo ea corporis naturæ non repugnet, (ceu pulchritudo non tantum non repugnat, sed illud præterea etiam exornat] admetiri perfectionem, adeoqve corpus pulcherrimum reddere.

XXXV. Ex hoc argumenti vinculo, inqvies, consequetur: partim omnium mortalium Christum ditissimum fuisse, partim vitam supra annos Methusalæos protulisse; nam

nam & has eximias corporis humani perfectiones esse, nemo ignorat. Fateor, huic exceptioni non deesse speciosum colorem. Qvi verò ut diluatur, sciendum est, utriusqve membri non esse unam eandemqve rationem. Qvod enim vitæ in Christo brevitatem concernit, cum illa partim è violento principio dimanaverit, partim ex ultroneâ Christi voluntate, sponte patet, communicationi longævitatis per unionem factæ eandem nihil obesse. Istac enim unione vires internæ protrahendi vitam in infinita secula corpori Christi nihilominus communicatæ sunt, qvibus cum hostium suorum furor, qvo minus actu ipso vitæ longitudinem assequerentur, modum qvasi finemqve imposuit, id omni naturali longævitati extraneum fuit. Qvemadmodum in Adami naturam ex ipso primo creationis beneficio qvædam intrinseca corpori ipsius immortalitas collata fuit; in qvod verò Dei beneficium nulla culpa redundavit, cum id fecit Adamus, qvod impediit, qvo minus actualem, veluti terminum immortalitas ista attingeret. Habuit in se Christi corpus eam perfectionem, ut, cum illâ uteretur, in longissima annorum spatia vitam extendere potuisset, nisi placuisset ex liberrima voluntate, istud qvasi resignare beneficium & permittere hostibus, ut in vitam, qvæ in se immortalis fuerat, sævientes, telam ejus abrumperent. Id qvod clarissimè innuunt Servatoris

toris noſtri verba : *Ego pono animam meam & iterum ſumo eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Et poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Joh. X, 17. 18. Qvid vero aliud eſt, cum ait: *Sicut Pater vitam habet in ſemetipſo: ita & dedit filio habere vitam in ſemetipſo*, ſecundum qvod nempe *filius hominis eſt?* Joh. V, 26. 27. qvam vitam, qvalis Patris eſt, interminabilem ſibi qvoad humanam etiam naturam conceſſam eſſe, neqve eandem, niſi ſe volente ac permittente poſſe interrumpi? Nos itaqve præſentem inſtantiam ita in adverſarium noſtrum retorqvemus: qvemadmodum virtute unionis perſonalis corpori Chriſti vita indiſſolubilis perfectionis gradu communicata fuit, ut ab interno principio corrumpi non potuerit, potuerit autem ex liberrimo beneplacito cedere externis injuriis & finem reapſe adipiſci: ita eadem virtute eidem corpori forma pulcherrima atqve venuſtiſſima eo abſolutæ Perfectionis gradu communicata fuit, ut ab internis cauſis depravari non potuerit, potuerit autem ex libera voluntate ab injuriis extrinſecus acceptis, utpote aëris inclementia, ciborum aſperitate, variarumque paſſionum moleſtia. Qvo vero ipſo nativa corporis ipſius pulchritudo propugnatur potius qvam deſtruitur.

XXXVI. Qvod vero paupertatem à Chriſto

sto sub ipso nativitatis exordio sponte assumptam attinet, eam ad exinanitionis œconomiam indubiè pertinuisse, exploratæ fidei est, cum è contra certum neqvaqvam sit, naturalem qvoqve, qvæ ex unionis gratiâ in corpus Christi redundare debebat, venustatem primo statim vitæ suæ tempore depositam fuisse. Qva de re, ut rectius judicare possimus, ita habendum est. Exinanitio Christi nihil aliud nisi libera abdicatio est ejus status, in qvem depositura eundem fuisset personalis unio, nisi ad officium redemptionis obeundum ad tempus eo se ultrò spoliare maluisset. Cum verò ex unionis liberalitate dona partim infinita, partim finita profluxerint, non pari modo graduqve singula qvoad usum sepositisse existimandus est. Infinitis certè & DEO propriis, utpote omnipotentia, omniscientia, omnisapientia, omnipræsentia ita carere voluit, ut ordinariè nunqvam, nisi ubi in officii exercitio constitutus miraculis operam dare placuit, iisdem uteretur. Alia certè ratio est donorum, qvæ finita vel creata dicuntur. Divitiarum qvippe abundantiam, qvæ hoc ipso, qvod terrenum qvid sunt & ad hoc duntaxat seculum spectant, finiti certè muneris amplitudinem non excedit, ita abjeciisse legitur, ut *non haberet, ubi caput reclinaret*; Matth. IIX, 20. Qvare de eo dicitur; *Dominum nostrum JESUM Christum,*

cum

cum esset dives, id est, cum divitias omnes ex unionis beneficio possidere atqve usurpare posset, *propter nos egenum factum esse, ut illius inopiâ nos divites essemus.* 2 Cor. IIX. 9. Valetudinis verò à primo ortu suo firmitate ita gaudebat, ut nullo unqvam cum morbo conflictaretur, nec sanitatis etiam robur ullæ vel auræ intemperies vel victus, qvâ nonnunqvam cogebatur uti, insolentia, vel externarum calamitatum in ipsum plenis sæpe imbribus depluentium acerbitas potuerit debilitare. Scientiam variarum rerum, qvæ ad animæ ornamentum refertur, ita complexus est, ut qvamqvam cum ætate in eadem creverit, duodecimo tamen ætatis anno, qvod instar miraculi adspectantibus & audientibus fuerat, cognitionis excellentiâ magnos Judæorum Doctores superaret. Luc. II, 46. Cum itaqve constet, Christum donis his, qvæ recensuimus, aliisqve, creatis atqve finitis haud æquâ ratione usum fuisse, nonnullis sese prorsus abdicasse, nonnulla pleno perfectoqve gradu retinuisse, qvorundam etiam, qvæ non prorsus sepositerat, incrementa qvotidiana acqvisivisse; ex simplici abdicatione unius ad alterius, exempli causâ, ab opulentiæ ad pulchritudinis remotionem, ex se patet, illegitimam utiqve institui argumentationem. Qvâ ratione enim donorum unum alterumqve vel rejeeerit vel retinuerit, ex sacrarum Literarum unicè testimoniis discendum est, qvæ verò ut divi-

divitiarum, ita formæ venustæ è proprio corpore expoliationem tradere, nuspiam experimur. Qvinimo qvæ ratio est conservatæ perfectæ in corpore atqve συμμέτρε κράσεως, qvâ effectum est, ut nullis unqvam morbis obnoxium esset, eandem qvoqve esse pulchritudinis, qvæ nihil aliud est, qvam σύμμετρος κρᾶσις externorum corporis lineamentorum atqve colorum, ultrò intelligitur. Sed verò exinanitionis statum non illicò diruisse pulchrum hoc formæ in Christo ædificium, nisi postqvam provectioribus annis persecutionum adversus ipsum rigor in ingentem tyrannidem excrevit, sicut illa vitæ qvoqve firmitatem naturæqve insitam constantiam, nisi ubi se sub extremis officii sui annis omni hostium suorum libidini sponte permisit, haud extinxit; seqventi, si Deo videbitur, capite amplior nobis dabitur dicendi atqve demonstrandi occasio.

XXXVII. Video vero id adhuc supersesse dubii, qvod nemo Theologorum, qvi ex unione personali finitorum etiam donorum communicationem derivarunt, ad corporis qvoqve nobilitatem & perfectionem ea vel extenderit vel extendi voluerit. Illi enim videntur contenti fuisse, cum homini Christo ex singulari unionis beneficio eximias & præ cæteris hominibus perfectas animæ dotes, utpote, scientiam, prudentiam, virtutesqve intellectus atqve voluntatis cæteras obtigisse asseruerunt, corporis qvippe prærogativas tanti precii

cii non esse persvasi, ut vel ad tam generosam originem revocarent, vel Christo, qvi hæc terrena spreverat, adscriberent. Sed verò hæc magis speciosè qvam verè dicuntur. Nam ut nunc ponamus, hanc Theologorum mentem non fuisse, non tam considerandum est, qvid illi opinati fuerint, qvam qvid ex fundamentis ab ipsis jactis opinari debuerint. Qvi enim ita colligunt: qvicqvid unio Dei cum fidelibus mystica efficit, id longè majori perfectioriqve gradu operatur unio personalis: an salvâ integrâqve hypothesi qvicqvam negare Christo possunt, qvod adscribunt sanctis, aut certè adscribendum esse confitentur? Id si fecerint, consequendi nervum prorsus incident & propositionem, qvam universalem esse volunt, ex universalitate sua deturbabunt ipsi. Qvo facto, si hæc particularis substituta fuerit: qvædam, qvæ unio Dei cum fidelibus mystica in sanctis efficit, majori perfectione in Christo operatur unio personalis; nulla amplius tibi consequentia remanebit, cum ex particularibus nihil sequatur. At verò Deum fidelibus gratiosè unitum eosdem corporalibus etiam ditare muneribus, utpote Simsonem eximio robore, Abrahamum divitiarum copiâ, Methusalemum vitæ longævitate, Jacobum liberorum felici proventu, (qvis enim hæc dona Dei esse neget, qvibus pietatem istorum herorum remuneravit?] qvantumlibet nec omnibus ista felicitas nec semper obvenerit, nemo

no ibit inficias. Neqve verò ex istorum donorum numero eximi corporis pulchritudo potest, qvippe qvæ decus ejus est atqve ornamentum; qvamqve Hiobi filiabus in præmium concessit Deus patientiæ & constantiæ, in adversis à Parente exercitæ: *Benedixit Deus Hiobo, in novissimis magis qvam principio ejus. Et fuerunt ei filii septem & filiæ tres. Neqve inventæ sunt mulieres speciosæ sicut filiæ Hiob in universâ terrâ.* Hiob. XLII, 12. 13. 15. At cur deniqve solum sanitatis & perpetuæ valetudinis vigorem, qvo cæteri homines destituuntur, ita è munifica τῦ λόγυ manu accepit secundum carnem Christus, ut è terrestribus bonis hanc unicam corporis temperationem, qvam amore complecteretur, dignam judicaret?

XXXIIX. Aliam etiam argumenti materiam ex ipsa τῦ λόγυ infinita immensaqve perfectione ita depromunt Theologi, ut cum carni Christi se personaliter junxerit ipsa Filii Dei imperfectionis omnis expers Divinitas, fieri non potuerit, qvin in eadem simul effuderit omnem donorum perfectissimorum cumulum, sine numero, sine gradu, sine mensura. Qvale enim id est, qvod communicat, tale & id esse volunt, qvod communicatur. At verò neqve à perfectione universali excipere fas est naturæ perfectiones, ut illæ moralibus opponuntur, neqve è naturæ perfectionibus formæ pulchritudinem. Hanc enim si exceperis, numero graduqve mensurabis dona

in

in Christum collata, qvibus tamen *unctus est præ consortibus suis.* Psalm. XLV, 8. Ergo, aut eximiam Christo præ hominibus cæteris formam adscribamus, necesse est, aut confiteamur, plures perfectiones Deum mortalibus aliis, ad tantum secum unionis gradum neqvaqvam elevatis, elargiri, saltem hac corporis prærogativa hunc consortem suum longè præcellere eos, qvi in gloria cœlesti constituti incomparabili pulchritudine instar cœlestium siderum citra omne dubium præfulgent.

XXXIX. Sed qvid opus est consequentiis, ubi diserta Doctorum verba nobis in promptu sunt? *Martinus* itaqve *Chemnitius*, loco supra à nobis allegato, post pauca interjecta hæc subdit: *Porrò, qvia humana natura constat corpore & animâ & in animâ præcipuæ partes sunt pars intelligens & pars appetens, vel mens & voluntas. Scholastici igitur ex illis sententiis Lucæ,* (Jesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratia apud Deum & homines: Item: puer crescebat & confortabatur spiritu & implebatur sapientia, ac gratiâ Dei erat per ipsum:] *eruditè & non malè colligunt distributionem qvandam donorum illorum, qvæ humanæ naturæ in Christo, præter dotes naturales collata sunt. Vocabulum enim Spiritus, qvo puer corroborabatur, indicat, non intelligendas facultates essentiales, seu dotes physicas, qvæ progressu ætatis creverint, sed dona ὑπερφυσικὰ, spiritualia & cœlestia atq; Divina intelligenda esse. Per gratiam intelligunt omnia dona & omnes virtutes, qvæ ad voluntatis perfectio-*

fectionem pertinent. Sapientiæ nomine intelligunt, lucem Divinam, qvâ notitia seu cognitio intellectus & sapientia mentis perfectissimè, (salvâ exinanitionis dispensatione:) illustrata est, ἡλικία, hoc est, ætas & statura, utrumq; enim significat) corporis dona complectitur. Hæc distributio ex ipsis Scripturæ fundamentis desumpta facem nobis præfert, illustrantem totam hanc doctrinam. Qvam in rem ipsa Scholasticorum verba adferre possemus, si prolixioribus esse liberet. Patet vero ex hic, Scholasticos, eorumqve hic vestigia legentes Doctores nostros sic censuisse: unionem personalem principium esse non donorum tantum Divinorum & infinitorum, sed & finitorum atqve creatorum, horumqve non tantum, qvæ animam, sed qvæ corpus etiam perficiebant, qvæ tamen singula consuetum naturæ ordinem excellentiâ suâ supergrederentur.

XL. Qvamqvam verò aliqvam qvoqve in hæc dona admirandæ exinanitioni potestatem concesserint, qvalis tamen ea in pulchritudinem formæ vel fuerit vel esse potuerit, partim indicatum jam est à nobis, partim uberiorem ejus rei suo loco considerationem suscipiemus; cum neqve Vavassor hoc argumentum ullibi impetierit, neqve si adortus fuisset, aliâ ratione, nisi qvæ ex exinanitionis œconomiâ depromitur, potuisset illud adoriri.

XLI. Qvare pedem nunc promovemus, Tertium confirmandæ sententiæ nostræ fundamentum à naturâ imaginis divinæ desumi-

mus. Cum enim Christus sine omni peccati labe conceptus natusqve fuerit, necesse est neqve qvisqvam negat, imagine eundem divina, si qvisqvam hominum, gradu excellentissimo præditum fuisse. Jam verò licet imago illa Biblico stylo conformitatem hominis cum Deo notet, & ratione intellectus, in eminentisima Dei Triunius & voluntatis divinæ cognitione, respectu verò voluntatis in intensisimo ejusdem amore formaliter constiterit, inter conseqventia tamen ejus juxta alia & corporis recta dispositio, cæteraqve dona, tam nobilem creaturam ornantia, inter qvæ & faciei reliqvorumqve membrorum concinnitas & decor est, necessariò numerantur. Qvid enim magis absurdum esset, qvam hominem, pœnis omnibus ex peccato obnoxium, in qvibus & integra adspicientibus & odium horroremqve concilians deformitas est, nitidisimo sæpè vultu, veluti stellulam qvandam, fulgere, & tamen eundem, ab omni vitiorum sorde immunem, non gaudere eodem beneficio? Qvi igitur Adamum Evamqve in innocentiæ statu, ex hoc imaginis dono pulcherrimos fuisse non dubitat, is nec de Christo dubitare debet, qvem illa ipsa imago collustravit, aut certè si diversum sentiat, diversitatis hujus opus est, ut gravisimas recenseat causas.

XLII. Hoc in argumento observari operæ pretium est, qvadruplici cumprimis modo eximias corporis qvalitates ex conditione, imagi-

imaginis Divinæ derivari. Primò, in qvantum externæ istæ perfectiones perfectionem internam arguere debebant & demonstrare, utpote pulchritudo corporis pulchritudinem animi. Qvam in rem Ben. Pererius, lib. IV. in Gen. Qvæstionem qvintam: *An imago Dei sit etiam in corpore hominis?* hunc in modum dissolvit: *Propriè loqvendo imago Dei, qvi est incorporeus, immortalis, immutabilis, non potest esse in corpore terreno, mortali & in horas singulas mutabili: est tamen in eo, tanqvam in signo, vel est in eo, sicut in Scholis loqvuntur Theologi, arguitivè & significative. Corpus enim hominis ita est conformatum figuratumq; ut evidenter arguat & significet, animum, qvi in ipso est, ad imaginem Dei esse factum. Recta namq; humani corporis statura, os sublime & erectus in cœlum vultus, perspicue indicant, animum ejus, corporis habitatorem, cœlesti esse satum origine, Deiq; similem & æternitatis atq; Divinitatis capacem.* Qvicqvid itaqve corpus hominis maximè idoneum aptumqve reddebat, ad significandam imaginem Dei, intus in animâ latentem, eo utiqve præditum esse ante omnia oportuit, ne domicilium atqve hospes toto virtutum qvalitatumqve genere differrent. Ergo corpus haud potuerat esse deforme, cujus anima tamen extiterat formosa; cumqve anima formosissima fuerit, domicilium qvoqve ejus eodem pulchritudinis gradu fulsisse necesse est. Qvidni igitur, qvod Bernhardus, Serm. XXIV. sup. Cant. ex formâ & lineamentis humani corporis, qvalia illa hodie in nobis reperiuntur, ad internum

mentis nostræ ornatum arguebat, argui longè majori perfectionis gradu debuit in primævo parentum nostrorum statu? *Ergo*, inqvit, *secundum animum, non secundum terrenam & feculentam materiam Deus hominem rectum fecit: ad imaginem qvippe & similitudinem suam creavit illum. De ipso autem Deo cecenit David: rectus Dominus Deus noster & non est iniqvitas in eo. Porrò iniqvitas cordis est, non carnis vitium, ut per hoc noveris in spirituali portione tui & non in crassâ luteâq; substantiâ Dei similitudinem conservandam fore sive reparandam. Spiritus enim est Deus & eos, qvi volunt similes ei vel perseverare vel fieri, oportet intrare ad os, atq; in spiritu id negotii actitare, ubi revelatâ facie speculantes gloriam Dei in eandem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tanqvam à Domini Spiritu. Qvamqvam & corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan, ut ista corporea exterioris viliorisq; rectitudo figmenti hominem interiorem illum, qvi ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret, & decor limi formositatem argueret animi. Qvid enim indecentius, qvam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est & fœda, luteum vas, qvod est corpus de terrâ, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, cœlorumq; luminaribus oblectare spiritus: spiritualem verò cœlestemq; creaturam suos è contrario oculos, id est internos sensus atqve affectus trahere in terram deorsum, & qvæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, tanqvam unam de suibus, complexariq; stercora. Erubesce, anima mea, Divinam in pecorinam com-*

mu-

mutasse similitudinem. Erubesce volutari in cœno, quæ de cœlo es. Erubesce anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata similis creanti recta, me quoq; accepisti adjutorium simile tibi, utiq; secundum lineamenta corporeæ rectitudinis. Quocunque te vertas, sive ad Deum sursum, sive ad me deorsum, (nemo siquidem carnem suam unquam odio habuit) ubiq; tibi occurrit species decoris tui, ubiq; pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tui gratiâ accepi, retinente ac servante prærogativam, tu quomodo non confunderis amisisse tuam? Cur suam in te conditor intuetur abolitam similitudinem, cum tuam in me tibi conservet, assidueq; repræsentet? Jam omne adjutorium, quod tibi ex me debebatur, vertisti tibi in confusionem, abuteris obsequio meo, indignè humanum corpus inhabitas, brutus & bestialis spiritus. Hæc ille.

XLIII. Sed iste pulchritudinem corporis cum imagine Divinâ connectendi modus, à Pererio descriptus, quamquam ab Ecclesiæ nostræ Doctoribus non omninò repudietur, à plerisque tamen omnibus judicatur debilior esse, quam ut solus sufficere possit. Quare alii secundum producunt, quo dicuntur qualitates, imaginem Divinam interne constituentes non aliter in externa corporis membra sese insinuare atque in iisdem sese conspiciendas præbere, ac ipsa anima dotes suas, ceu vitam, sensum, aliaq; corpori ita impertit, ut in corpore tanquam in instrumento se proferant & refulgeant. Bucanus, lib. IX. Insti-

tutionum Theologicarum, à D. Gerhardo. Loco de Imag. Dei, c. V. §. 104. non rejectus, cum triplici modo imaginem Dei in corpore luxisse dixisset, tertium ita describit: *qvia dotes animæ corpus ipsum illustrabant, sicut lux candelæ cornu laternæ illustrat, justitiaq; ipsa & sanctitas ad corpus ipsum & membra corporis redundabat, adeoq; dignitatem illam & eminentiam in omnes res inferiores homo per corpus exercebat & in vultu majestatem qvandam Imperatoriam gerebat; unde à bestiis pro Domino agnoscebatur.* D. Dannhauerus, Hodos. Phænom. V. p. 436. rec. edit. *Vidisses in Adami facie, gestu, ore, actibus, ipsam sapientiam ac justitiam renidere. multò id elegantius & expressius, qvam qvod de suo sapiente Seneca scribit, Epist. CXV. Si nobis, inqviens, boni viri animum liceret inspicere, ô qvam pulchram faciem, qvam sanctam, qvam ex magnifico placidoqve fulgentem videremus? Hinc justitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ prudentiaqve lucentibus. Præter has frugalitas & continentia & tolerantia & libertas comitasq; & (qvis credat?) in homine rarum humanitatis bonum, splendorem illi suum affunderent; tum providentia, tum elegantia & ex istis magnanimitas eminentissima, qvantum, Dii boni, decoris illi, qvantum ponderis gravitatisqve adderent? qvanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illam amabilem, qvi non simul venerabilem diceret. Si qvis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremqve, qvam cerni inter humana consuevit, nonne velut Numinis occursu obstupefactus resistat, & ut fas*

sit

sit vidisse, tacitus precetur? Qvo pacto internarum virtutum decor & pulchritudo in externam se faciem eo modo ingesit, qvo gravitas atqve majestas imperantium in oculos se eorum abdit, perqve istos fulgorem iterum suum emittit. Et certè istam esse perfectionum internarum, ex gr. animæ vel naturam vel consvetudinem, ut in externo corpore, tanqvam in speculo qvodam sese sistant & decus nobilitatemqve suam, imò peculiare qvoqve ingenium atqve indolem ostendant, nisi ab aliis causis impediantur, [ut fit in monstris aut monstrorum similibus] sensu atqve experientia edocemur. Ex forma qvippe faciei externa & lineamentis in ea comparentibus de animo, domicilii habitatore, judicium & sumi posse & sumi debere, peculiaris artis beneficio, qvæ Physiognomica dicitur, informamur. Cujus eò certior in statu innocentiæ fuisset scientia, qvo anima, tanqvam primum atqve immediatum imaginis Divinæ subjectum, in fabricanda conformi naturæ & indoli suæ domo, à scopo propositoqve suo minus aberrare potuisset, monstrumqve aut exerrationem qvamcunqve producere. Atqve hoc sensu pulchritudo effectus dicetur imaginis Divinæ, tanqvam causæ, eandem in corpore producentis.

XLIV. Succedit tertius modus; qvem ut rectius intelligamus, permittendum est, imaginem Divinam vel abstractè considerari, in essentiâ sua, prout illa S. nobis Literarũ monumentis descripta est; vel concretè, prout totum statum

involvit, conditionemqve hominum, qva gaudere debebant homines, imagine Divinâ instructi. Priori modo imaginem Divinam in se atqve formaliter nihil aliud complexam fuisse ajunt, nisi, docente Apostolo, Eph. IV. 24. eminentissimam intellectus atqve voluntatis perfectionem, qvâ ille præditus esset exactâ & salutari qvorumlibet mysteriorum Divinorum notitiâ, hæc verò intensissimo Dei triunius & propter eundem proximi amore. Qvo pacto corporis qvalitates, qvantumlibet nobilissimæ, [nisi forte imaginis vox extra Scripturæ usum pro qvacunqve similitudine, qvæ Deum referret, accipiatur; ut qvidem hoc significatu sumptam fuisse ab Ecclesiasticis Scriptoribus, Scripturæ hic ductum non adeò accuratè seqventibus, negari non potest] ad imaginis Divinæ essentiam tam non pertinent, qvam ad hominis essentiam constituendam non spectant vel divitiarum, qvibus utitur, splendor, vel functionis, qvam obit, ratio, vel honoris aut gloriæ, qvâ nonnunqvam gaudet, amplitudo. Posteriori verò modo, statum hominum, imagine Divinâ præditorum, plura, qvam imaginem ipsam, licet infra eum nobilitatis gradum collocata, egregia tamen atqve preciosa comprehendisse asserunt, qvæ vel secundarias imaginis Divinæ & minus principales partes, vel bona hominis primævi externa ideò appellant. Atqve in hunc etiam locum gradumqve evehunt corporis nobili-

bilitates, interqve eas pulchritudinem. Qvâ de re fruſtra haud fuerit, unum alterumqve Theologorum audire. B. D. Lutherus in elegantiſſimo ad Geneſin Commentario, Tom. IX. Alt. p. 30. ita loqvitur: Derhalben iſt das Bild Gottes/ nach welchem Adam geſchaffen iſt/ das allerherrlichſte und edelſte Ding geweſen/ nemlich da kein Außſatz der Sünden/ weder in der Vernunft/ noch an ſeinem Willen geweſen iſt/ ſondern beyde die innerliche und die äuſerliche Sinne alle aufs reineſte geweſen ſeyn. Der Verſtand iſt gantz rein/ das Gedächtnis gantz gut und friſch und der Wille gantz aufrichtig und wahrhaftig geweſen/ in einem ſehr ſchönen/ reinen und ſicherem Gewiſſen/ ohne alle Sorge und Furcht des Todes. Zu dieſer innerlichen Vollkommenheit iſt darnach auch kommen des Leibes und aller Glieder ſchönſte und treflichſte Kraft und Herrligkeit/ damit er alle andere lebende Creaturen übertroffen hat. Dann ichs gantz darfür achte/ daß Adams Augen für dem Fall ſo ſcharff und hell geweſen ſeynd/ daß er mit dem Geſicht über die Lüchſe und Adeler geweſen ſey/ ſo iſt er als ein viel ſtärckerer mit den Löwen und Bären/ welcher Stärcke doch ſehr groß iſt/ alſo umgangen/ wie wir mit kleinen Hündlein. So ſeynd auch die Früchte/ die er zur Speiſe gebraucht hat/ viel lieblicher und kräftiger geweſen/ als ſie jetzunder ſeynd. Amand. Polanus, in Syntagm. Theol. lib. V. c. XXXV. ita diſſerit: *præcedenti capite actum eſt de internis bonis, qvæ homo in ſtatu integritatis habuit: reſtat, ut aliqvid adjiciamus de bonis externis, qvæ in eodem*

statu possedit. Externa bona hominis integri fuerunt, elegantissima forma, decor, præstantia & gratia humani corporis, nuditas corporis, nullum pudorem incutiens, sanitas & robur, habitatio in paradiso, dominium in creaturas inferiores omnes. Corpus primi hominis formâ elegantissimâ fuisse & eximio decore gratiâq; perfusum, quis abnuat? Fuit certè forma ejus venustissima, status erectus & celsus, tum ipsa habitudo corpris suavis & grata; quandoquidem etiam post lapsum tantus decor, tanta gratia ejus residua est. Pertinet huc eximia statura corporis: Pulchritudo corporis humani excellentissima erat, ut judicari potest ex illâ, quæ adhuc post lapsum residua est. Illa autem pulchritudo corporis admonet nos de Deo. Omnis enim pulchritudo à Deo est, & nulla essent pulchra, nisi à Deo essent. Et quæ sequuntur.

XLV. Secundum horum itaque sententiam bona corporis exteriora cum interioribus animæ virtutibus, quæ imaginem Divinam propriè absolvunt, non alio nexu conjunguntur, quam secundum Peripateticorum disciplinam cum interno bonarum actionum exercitio, in quo propriè ratio summi boni consistit, copulantur bona externa, sive fortunæ. Quemadmodum enim Aristoteles, etsi summi boni naturam non constituat in bonis fortunæ, negat tamen id bonis externis carere posse; quomodo enim quis quicquam boni in vitâ agere, aut vitam honestam atque virtuti consentaneam ducere possit, qui vel nunquam sano corpore est, vel de-

destitutus amicis, nullo deniqve in rep. loco, nullo censu? Hinc libr. ult. c. IIX. Eth. de Beato: *commodis*, inqvit, *externis*, utpote sanitate, robore, pulchritudine, honore, laude, opibus, amicis, *cum homo sit, indigebit*; atqve iterum: *certè opus est valere & vigere, præsidiaqve alimento necessaria, reliqvumqve ei cultum suppetere:* ita hic qvoqve Theologi negant, imaginis Divinæ essentiam in corporis accidentibus consistere, & tamen simul profitentur, hominem imagine Divina ornatum, iisdem carere non posse. Qvæ enim isthæc consummata felicitas esset, intra animum tuum summas tenere perfectiones, & in corpore tamen iis egere, qvæ partim minoris sunt æstimationis, [cum tamen, qvi majus donat, donare & minus intelligatur] partim verò sine qvibus vel vera animi beatitudo turbatur, vel omninò interveritur atqve suffocatur? Neqve enim aut sine sanitate integra inconfusaqve poterat rerum Divinarum & humanarum notitiâ frui, morbo qvippe intellectus operationem sufflaminante, aut sine pulchritudine sive deligere alium sive ab alio, nisi cum aliqva, qvæ tam felicem statum dedecebat, difficultate diligi. Naturâ enim atqve primò in pulchrorum tantum ferimur amorem, neqꝫ deformia amamus, nisi, instituto prius examine, sub fœdo corporis ergastulo pulcherrimam animam latere nobis innotuerit. Præterea de Divino qvoqꝫ amore haud parum decedere poterat, si se vidisset homo, inferiori loco qvoad formæ elegantiam, qvam vel

vel homines cæteros, vel res certè creatas alias, qvæ amabilisſimâ ſæpe pulchritudine præfulgent, conſtitutum, qvi tamen præ cæteris cognoſcere Numen & celebrare debebat. Hodie eqvidem, ubi imago Divina per lapſum Parentum noſtrorum deperdita, inprimis qvoad externa iſthæc dona, nobis non reſtituitur, tenemur ad interiorum reſuſcitationem & incrementum, etiam citra exteriorum adminicula, contendere, ſed qvanto id fiat cum labore & aſperitate, qvæ in feliciſſimo primævæ imaginis ſtatu exulabat, nemini ignotum eſt. Qvid? qvod hanc ipſam ob cauſam in vitâ qvondam futurâ, ubi integra atqve perfecta nobis redonabitur imago, exteriorum qvoqve iſtorum abundantia reſtituetur, ne qvidqvam amplius ſit, qvod vel impedire honeſta agentem vel triſtitiâ qvadam imbuere qveat beatum. Si Imperator Romanus in Principis Germanici dignitatem neminem, qvantumlicet benè merentem, iſtoqve tam auguſto nomine uſqveqvaqve dignum, evehit, niſi cui ſimul provincias atqve facultates, quarum præſidio tueri ampliſſimam dignitatem qveat, nec neceſſe habeat, paupercula humiliqve vivendi ratione proſtituere ejus, in qvod collocatus eſt, faſtigii honorem, elargiri poſſit: Qvi potuerit ſummus terrarum omnium moderator primum hominem in regium Divinæ ſuæ imaginis principatum attollere, cui tamen haud conceſſerit eas in corpore virtutes, qvæ ſtatui tam glorioſo,

so, tam splendido, conveniebant, istumqve exornabant?

XLVI. Sunt deniqve, qvi, dum immortalitatem primi hominis, qvoad totum suppositum, *vel partem* faciunt, *vel consequens*, [sub hac enim disjunctione loqvitur immortalis gloriæ Theologus, D. J. Gerhardus, Loc. Th. de Imag. D. c. IV. §. 99.] imaganis Divinæ, ex eadem immortalitate, tanqvam ex fonte, corporis qvoqve optimam constitutionem, atqve ex hac pulchritudinem deducunt. Qvam in rem adduco Præceptoris mei, D. Dannhaueri, verba, qvæ leguntur in Hodosoph. rec. Phæn. V. p. 440. *Fluit ex immortalitatis bono, corporis vigor semper juvenilis, sanitas ex temperamento ad pondus, decus ac pulchritudo. Documento esse potest insigne illud Paradisi S. Lipsanum, oculos, qvi, si sanus est, nec videndo fatigatur, nec frigus aut ardorem sentit. An etiam invulnerabilitas? qvid ni: non tamen illa diabolica, qvâ milites se dæmoni fæderant, sed angelica sive ab angelico præsidio ἀσυλία.* Hunc qvoqve in sensum intelligo verba Apologiæ Augustanæ confessionis, articulo de peccato originali, p. 53. *Justitia originalis habitura erat non solum æqvale temperamentum qvalitatum corporis*, [ex qvo nempe corporis immortalitas, reliqvaqve ejus ornamenta, ultrò resultant] *sed etiam hæc dona, notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certè rectitudinem & vim, ista efficiendi. Idq; testatur Scriptura, cum inqvit, hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum esse.* Ad

qvæ

qvæ verba, à Leonh. Huttero in Compendio Theologiæ repetita, Godofredus Cundisius annotat, Loc. VI. Q. I. p. 504. *Temperamentum Geometricæ proportionis optimum omni δυσκρασία carebat, corpus proinde ἄφθαρτον erat certissimè futurum, si nimirum homo in obsequio Deo præstando perstitisset & ἀναμάρτητος mansisset. Nota hominem tunc non fuisse mortalem, qvia 1. carebat δυσκρασία, qvæ tantum à peccato est. 2. Non solum elementaris, sed etiam spiritualis conditus fuit homo: præter corpus enim spiritum vitæ à Deo acceperat.*

XLVII. Qvæ res ex seqventibus principiis arcessenda est. Creavit Deus hominem primævum, vel eo immediatè fine, ut qvemadmodum intellectus & voluntatis perfectione, supra cæterarum non creaturarum tantum, sed animalium etiam sortem sapientiam & justitiam Divinam, ita immortalitate utriusqve partis, cum primis animæ, æternitatem atqve immutabilitatem Dei in imagine qvadam repræsentaret; vel eo certè proposito, ut creatura coram se esset, qvæ Dei majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, cæterasqꝫ virtutes in admirando creationis opere demonstratas, sine ullo impedimento, atqꝫ obstaculo, plenè cumulatèqve cognosceret, cognitasqve pio mentis affectu & oris reverentiâ jugiter coleret atqve prædicaret. Qvocunqꝫ verò sensu immediatum creatoris finem æstimes, [nam juxta priorem in imaginis divinæ primo essentialiqꝫ conceptu immortalitas involvitur, juxta posteriorẽ verò ex ejusdem imaginis internatatione removetur qvidẽ, sed in consequentibus

tamen

tamen comprehenditur, seu mavis dicere, antecedentibus & causis, sine qvibus imaginis partes essentiales, notitia amorqve Dei, integras vires exercere & sine mora atqve impeditione operari neqveunt; qvomodo enim ægro corpore animus à curis liber esse possit? aut qvâ ratione non συμπαθεῖν potius corpori, si illud qvacunqꝫ imbecillitate potuisset ad mortem disponi, tamqve amicam summèqve sibi conjunctam necesitudinem niti ab adversitate maloqve liberare, qvam Dei, rerumqve Divinarum studio atqve celebrationi incumbere?] ad eundem obtinendum necessarium fuerat, hominem in imagine Divinâ creatum eo instruere naturæ robore & valetudinis firmitate, ne ullo tempore vel cum virium infirmitate, vel cum morborum violentia qvippe qvæ vim cognoscentem atqve appetentem in officio ipsius partim turbat, partim extinguit, luctari opus haberet. Igitur ad statum imaginis Divinæ tuendum summa reqvirebatur naturæ pefectio, idqve qvalitatum agentium & patientium temperamentum, ne unqvam altera alterum superare & corpori qvemcunqve posset conciliare languorem. Qvod adeò verum est, ut Apostolus omne corporis malum, [tam amplè enim Scriptutæ phrasi mortis vocabulum accipitur] peccato, qvod in integritatis statu nullum fuerat, aut esse poterat, tanqvam uni causæ meritoriæ vindicet: *stipendium peccati mors est* inqvit, Rom. VI, 23. Ex qvo sponte seqvitur, nullum corporis malum in statu primævo, qvandiu ille peccato non fuerat læsus,

locum

locum habere potuisse. Jam verò ex optimâ perfectissimaqve naturæ constitutione, ex συμμέτρῳ κράσει & æqvali ad pondus qvalitatum temperatione, non poterat non exsurgere temperatissima membrorum omnium in corpore humano proportio, colorumqve jucundissima harmonia; qvippe qvam aliunde originem ducere non posse, seqventi argumento apertum faciemus. Illa verò consensio omnium consensu nihil aliud est, qvam pulchritudo.

XLVIII. Recensuimus hactenus modos, qvibus à Theologis definiri cernimus, qvomodo in imaginis Divinæ complexu vel comprehendi vel ex eodem fluere naturæ decora, interqve ea pulchritudo dicantur? Qvi qvamqvam inæqvali connectendi potestate polleant, singuli tamen ita comparati sunt, ut eximiam atqve singularem formæ venustatem, [qvemadmodum nec cæteræ qvalitates, utpote, sanitatis robur, in vulgari conditione substiterunt] homini, imaginem Divinam gerenti, adjudicent: ut adeò rectè justissimèqve in argumento nostro concluserimus: Fuit Christus imagine Divina, si qvisqvam hominum, gradu excellentissimo præditus: ergo & pulchritudine gavisus est prorsus egregia atqve singulari.

XLIX. Neqve qvicqvam objici huic argumento potest, qvam qvod Anthropomorphitis favere videatur, illorumqve iterum ex

orco

orco qvasi reducere hæresin. Sed facilis res est. Constituerunt illi similitudinem inter Deum hominemqve primum conditum in ipsâ corporeorum membrorum ratione, ut qvalia membra gereret in cœlis Deus, talibus eundem referret in terris homo. Qvæ crassa philosophandi ratio, à monachis cumprimis Ægyptiis, hominibus illiteratis & brutis, exorta, jam diu protrita atqve ex Ecclesiâ ejecta est. Qvamvis autem Ecclesiæ Doctores imaginis Divinæ naturam, neqve in corpore neqve in corporis membris ponant, constituantqve ejus subjectum primum atqve immediatum animam hominis, non tamen negant, ceu jam supra monuimus, effecta qvoqve ac documenta qvædam imaginis Dei in corpore hominis, veluti animæ instrumento, seu potius accidentibus ejus reluxisse. Qvare Augustinus, ab omni Anthropomorphitismo alienus, lib. VI. de Gen. ad Lit. c. XI. scribit: *Qvod homo dicitur factus ad Dei imaginem, non secundum corpus sed secundum intellectum mentis accipiendum; qvanqvam & in ipso corpore habeat qvandam proprietatem, qvæ hoc indicet, nimirum, qvod erecta statura factus est*, [par autem ratio est etiam cæterarum corporis dotium] *ut hoc ipso admoneretur, non sibi terrena esse sectanda, velut pecora, qvorum voluptas omnis ex terra est: unde in alvum cuncta pecora prona atqve prostrata sunt.* Et D. Dietericus, in Instit. Catech. p. 351. *Principale subjectum imaginis DEI in homine est anima: interim tamen*

etiam in ipso corpore humano & admiranda præcipuè membrorum proportione eadem relucet.

L. Succedit huic argumento tertio isthuncin modo munito argumentum qvartum, ex principio pulchritudinis concludens, qvod est ipsa natura. Sicut enim natura humana ex anima atqve copore constans, membra corporis ipsa & aptam ad qvælibet officia eorundem disposition-nem, anima qvidem agendo efficiendoqve, mediantibus qvibusdam insitis ipsi corpori instrumentis, corpus verò patiendo se tractari & materiam idoneam subministrando, efformat: Ita & habitudinem reliqvam corporis, imprimis faciei, qvæ inter cæteras partes omnes eminet, pulchritudinem ipse natura, mediante temperamento qvantitatem qvalitatemqve partibus externis affundente, constituit. Jam verò certum est, & inter omnes confessum, naturam perfectissimum qvodvis intendere, idqve etiam, nisi aliqvid impediat, assequi; nihil autem prorsus in corpore Christi impedire poterat. Erat enim æqvali ad pondus temperamento & constitutione perfectissimâ, & si vel tantillum vitii ei internè adhæsisset, jam disponi ad interitum mortemqve, qvæ tamen ex solo peccato oritur, Rom. VI. 23. potuisset. Non diffiteri talia hæc ipse potest Vavassor. Qvamqvam enim cap. III. §. 6. & seq. ex temperamento corporis ad formam ejusdem legitimam argumentationem fieri non posse multo varioqve conatu disputet, [qvæ tamen facile dissipantur, si observetur,

qvic-

qvicqvid deformitatis hodie, in bona licet temperie, sæpè oritur, oriri vel ex peccato, ejusqvæ pœna, libere à DEO immissa, vel certè ex vitiis temperiei admixtis, aliisqve causis, qvæ omnia in Christo tanqvam ἀναμαχήτῳ exulant;] nihilominus c. I. §. 5. ex causis in cujusqve habitu & temperatione insitis pulchritudinem proficisci concedit. *Jam qvid horum est*, concludam cum ipso Vavassore, *per ipsum Christum, de qvo loqvimur, qvod in eo labem aliqvam turpitudinis & notam resedisse, non dico ad veritatem, sed vel ad opinionem persuadeat? An ullos à Virgine matre, tanqvam ab origine insincerâ nævos, cum primum nasceretur, traxit? At ne illi qvidem hoc necessitatis afferunt, qvibuscum nobis res est, ut cum unum statuunt esse deformem, duo duorum generum deformes haberi velint: contraqve omni vitio formæ liberant matrem, cum filium deformitatis condemnant. Et si, id qvod Aristoteles censet, ad effigiem & imaginem paternam propius, qvam ad maternam, virilis partus accedit; qvæ illi oris membrorumqve depravatio in ortu obtigisse potuit è patre, qvem in terris nullum, item ut matrem in cœlo nullam, habuit; Multo verò minus concedendum est, Spiritum S. cujus vi eximia qvadam & prorsus cœlesti, conformatum atqve elaboratum corpus accepit, ullum illi vitium addidisse. Qvid enim tanti operis effector peccaverit, qvi huc modo incubuit, ut & corpus ex puro & incorrupto matris sanguine fingeret, & puncto temporis absolutum, paratumq; ad subitam ac præsentariam animi susceptionem exhiberet: Qvo-*

rum utrumq; divinæ potentiæ est prodigium, non humanæ facultatis & industriæ munus aut artificium.

LI. Apud Philosophum duæ celebrantur regulæ, sensu atqve inductione munitæ, qvarum prior II. de Ort. & inter. T. 59. legitur: ἐν ἅπασι ἀεὶ τὸ βέλτιον ὀρέγεσθαι φαμεν τὴν φύσιν; *in omnibus semper id, qvod melius est, appetere dicimus naturam*; altera, libr. III. de Cœlo, T. 34 ἡ φύσις ἀεὶ ποιεῖ τῶν ἐνδεχομένων τὸ βέλτιστον, *natura semper facit id, qvod possibilium optimum est.* Qvarum sententia hæc est: naturam qvarumlibet rerum, adeoqve & humani corporis, non qvidem vel intendere vel facere rem atq; speciem optimam, (hac enim ratione perpetuò vel hominem vel angelum, tanqvam optimas in genere substantiarum species, appeteret, faceretq;, qvod absurdum est & sensui adversum,] sed tamen in qvalibet specie, utpote, humanâ, eqvinâ, bovinâ, id, qvod est illi speciei optimum & conveni entissimum. Qvod certè exaudiendum est, non de bonitate tantum essentiali & integrali, veluti cum natura hominem binis manibus instruit, cum vel plures vel pauciores impedimento ipsi essent ad res peragendas, vel etiam animâ atq; corpore organico, sine qvibus ne humanæ qvidem essentiæ dignitatem tueri posset; sed accidentali etiam, in qvantum illa nempe à merâ naturæ operatione dependet. Nam qvod natura hominem non generat eruditum & prudentem, id inde est, qvod hæc accidentia hodie in potestate ipsius non sint, sed ab informatione & exercitatione depen-

dependeant, cum è contra alia, utpote virium robur, formæ venustas & similia, [qvamqvam & in hæc aliqvid virium sit assuefactioni & exercitio] à naturâ ferè sint, qvicqvid sunt. Robustos enim atqve formosos nasci potius, qvam fieri, experientiâ compertum est. Videmus itaqve naturam, suo qvasi arbitrio relictam, neqve ab aliqvo, extra se existente, impeditam, ut cum nec aër intemperantior est, neq; externæ injuriæ vim qvandam afferunt, nec necessarium alimentum deest, nec deniq; qvidlibet aliud naturalem operationem supprimit, plantam progenerare adeò pulchram, adeò integram, adeò sanam, ut exqvisitissimâ voluptate spectantium oculus permulceat. Qvas illa violas, qvas tulipas, qvæ variorum florum & herbarum, ut ita loqvamur, miracula, qvando curiosa diligentia cultæ telluris asperitates & obstacula è medio submoventur, naturæqve officina ab omnibus qvisqviliis & sordibus vacua liberaqve redditur, non protrudit? Neqve etiam aliter fieri posse, facile credet, qvisqvis rem apud animum suum rectius consideraverit. Est enim natura non è numero causarum liberarum, qvæ vel agere vel non agere, vel etiam diversa pro arbitrio agere possit; sed impetu, qvi ei innatus est, fertur, inqve agendo determinata est; cumqve nullum agens valentius sit, magisqve vegetum, ac natura, fit, ut opera sua extremo semper nisu & omnium virium suarum subsidio producat, neqve ob naturale invictæ virtutis robur,

nisi obex ei ponatur, à proposito fineqve suo unqvam aberret. Qvapropter ad hanc vim significandam *Dei qvasi organum & σύνεργον* dicitur *Joanni Magiro*, libr. I. Physiol. Perip. c. III. §. 9. Qvemadmodum enim instrumentum ad tantam, qvanta ipsius principalis causæ est, virtutem elevatur & elevante principe causa necessariò agit: ita idem in naturâ qvoqꝫ cujus Divina qvasi virtus est, fieri prorsus existimandum est. Præterea naturam nihil frustra & temerè, sed omnia finis gratia facere, adversus veteres qvosdam Philosophos, Empedoclem, Democritum, aliosqve, qvi docebant, naturam propter finem non agere, sed omnia in rerum naturâ casu & ex materiæ necessitate, aut temerario qvodam impetu fieri, *Aristoteles*, lib. II. Phys. c. VIII. indubitatis argumentis demonstrat; utpote, qvod impossibile sit, qvæ fiunt, semper aut plerumqve evenire casu, res autem naturales ferè semper eodem motu oriantur; qvod in finis adeptione conqviescant naturalia, adeoqve fiant & agantur ob illum; qvod artificialia etiam alicujus gratia sint, ergo multò magis, qvæ natura constant, cum ars naturam imitetur; qvod deniqve manifestò videamus, animalia, in qvibus nec ars nec inqvisitio, nec consilium aut προαίρεσις locum habet, agere propter aliqvem finem: cur non ergo etiam natura? Si itaqve natura perpetuo ob finem agit, nec scopo suo, ob appetitus sibi insitam vehementiam & potentiæ agendi perfe-

ctio-

ctionem, unqvam, nisi per accidens, ob impedimentum, velut cum monstrum generat, frustratur, & vero, cum perfectissima sit natura, perfectum semper intendat finem, fieri neqvit, qvin effectui suo destinet, atqve in eodem producat omnes eas perfectiones, qvæ auctore suo, naturâ dignæ sint, ejusqve perfectionem arguant, qvæq; rem à se productam qvam aptissimam reddant, ad eas, ad qvas nata factaq; est, functiones obeundas. Id qvod Aristoteles eousqve extendit, ut naturam primâ intentione in hominis generatione, semper intendere marem, tanqvam sexum perfectiorem, doceat, secundaria autem fœminam, qvam principium vocat *παρεκβάσεως ἄρρεν πεπηρωμένον marem læsum.* Qvod verò, qvam cum alia ejus assertione conveniat, qvæ lib. I. Polit. c. IV. legitur, non video. *Vult*, inqvit, *natura etiam corpora liberorum & servorum dissimilia efficere: hæc qvidem ad usum necessarium valida, illa autem recta & ad tales operas inutilia, sed ad vitam civilem utilia atq; opportuna. Accidit autem sæpe etiam contrarium, nempe alios qvidem corpora, alios autem animos habere liberorum.* Si enim natura primaria intentione, ob perfectionem nonnisi marem intendit, qvomodo eadem intentione, (ut eundem explicat doctissimus *Sthalius*, Part. I. Reg. Phil. Disp. XI. Reg. VI. n. VI.) corpora servilia præ liberis, imperfectius præ perfectiori possit dici intendere? Qvicqvid verò eâ de re sit, ex dictis evidenter constat, in qvalibet specie, sexu, conditione, naturam

perpetuò intendere, &, [ἐὰν μήτι κωλύῃ ἐμποδίζῃ, ut canonem: *positâ causâ, ponitur effectus*, Philosophus ipse frequenter limitat] efficere id, quod quoad accidentia etiam & qualitates, variarum quippe operationum adminicula, in re est optimum & perfectissimum.

LII. Utitur verò natura in operationibus suis obeundis, quibusdam qualitatibus, ut instrumentis, quarum sive complexio sive mutatio sive mistio à rerum naturalium Doctoribus temperamentum vocatur. Quamquam enim nonnulli è Scholis Peripateticorum, non ex qualitatibus elementorum solis temperiem nasci, sed ex ipsis substantiis, refractis tamen probèque subactis, censuerint, hodie tamen communior, veriorque sententia est, è solis qualitatibus temperamenta constitui. Quod tamen ipsum, quâ ratione fiat, nondum satis compertum est. Explosâ quippe à plerisque Avicennæ opinione, qui statuisse nonnullis dicitur, temperamentum esse qualitatem aliquam simplicem, à primis quidem qualitatibus ortam, sed ab iisdem tamen diversam, in tres cæteri omnes abeunt partes. *Daniel Sennertus*, vir eruditissimus, quem quoad qualitatis unitatem sequitur Joannes Sperlingius, temperamentum quidem unam qualitatem definiunt, ex primis, sed tamen remissis, oriundam, neque ab iisdem diversam. Nam ille in Epit. Nat. Scient. lib. III. cap. IV. p. 284. mentem suam ita exponit: *Temperamentum esse unam qualitatem, ex mutuâ*

mutuâ primarum qvalitatum actione & passione in mistione ortam, censemus. Eousqve enim primarum qvalitatum, qvæ pro misti generatione necessaria est, pugna progreditur, donec omnes refractæ & remissæ fuerint, abjectisqve contrarietatum qvibusdam gradibus, per qvos extremè dissidebant, amicitia qvasi inita, coiverint & in unam qvalitatem coaluerint. Et sic temperamentum nihil aliud est, qvam una qvalitas simplicis essentiæ, qvæ ex gradibus qvatuor qvalitatum remissis constat. Ut enim ex elementarium formarum gradibus remissis una simplex actu forma oritur, qvæ faculteate tamen in se omnes continet: ita ex qvalitatibus primis una moderata & actu simplex qvalitas oritur, qvæ illas omnes in se potestate complectitur. Cum verò non una sed qvatuor qvalitates in cujuslibet misti dissolutione reperiantur, alii temperamentum per qvalitatum illarum primarum, utpote caloris, frigoris, siccitatis & humiditatis, certo modo temperatarum complexionem describunt, hoc est, interprete accuratissimo Physicæ Gothanæ auctore, libr. II. cap. XIV. n. IV. *temperamentum esse volunt ipsas qvalitates primas ad certam temperiem redactas*, &, qvod postea additur, *refractas*. Qvæ sententia, qvamqvam priore verisimilior sit, *Petrus* tamen *Gassendus*, Gallus ille, variarum rerum eruditione admirabilis, &, qvotqvot cum ipso hodie Democriteæ atqve Epicureæ Philosophiæ placita amplexantur, qvalitates primas in temperamento non remitti aut refringi, magnâ certè, meo judicio, cum veritatis specie,

sed in excellentissimo gradu manere integras atqve illibatas, propugnant, statuuntqve, temperamentum nihil aliud esse, qvam earum congregationem & unionem, mediantibus minimis subjecti particulis, qvas atomos vocant, sine ullâ qvalitatum imminutione factam. Qvod enim in temperamento frigido calor, qvi minore numero graduqve ei ineſt, non advertitur aut percipitur, id non inde esse ajunt, qvod caloris vires à frigore sint fractæ & debilitatæ, qvippe qvæ perfectæ atqve incolumes ubiqve persistunt, sed qvod præ majori actione frigiditatis non sentiantur, qvemadmodum majus lumen solis, minus candelæ alicujus non extinguit aut vires ejus infirmat, sed tantum oculos ita occupat atqve perstringit, ne minorem lucem percipere possint. Qvamqvam verò nostrâ parum referat, qvam qvisqve ex his foveat sententiam, qvi isthæc ad rectiorem tantum hujus argumenti intellectum præmisimus, ultima tamen præter omne dubium veritati qvam proximè accedit.

LIII. Temperamentum omne consensu qvodam dividitur in uniforme, seu, æqvale, seu qvod est ad pondus, qvod alii Arithmeticæ proportionis vocant, cum omnes qvatuor qvalitates primæ æqvaliter ad unum gradum coeunt, ut tantus sit calor, qvantum frigus, qvanta humiditas & siccitas, neqve una alteram excedat, *si possibile esset*, ut loqvitur Sperlingius, *in trutinâ eas suspendere*: & difformе,

me, qvod & inæqvale & ad justititiam & Geometricæ proportionis vocatur, in qvo qvalitates illæ inæqvaliter seu inæqvali gradu concurrunt, ut una alternam excedat atq; superet, velut cum vel calor vel frigus vel qvalitas alia dominium obtinet & præponderat. Sed verò hic se magnus aperit inter Physicos disputandi campus, an ullum detur temperamentum ad pondus, seu Arithmeticè atqve omni modo æqvale? Jo. Magirus, in Physiol. Perip. lib. III. c. 235. qvamqvam profiteatur, *hoc temperamentum ideam esse & regulam omnium temperamentorum*, non tamen vel dari vel dari posse docet: *hoc*, ait, *temperamentum cogitari facilius est, qvam reperiri, qvia fieri vix potest, ut tale temperamentum, sicubi reperiatur, diu possit consistere.* Sed rationes, qvibus hoc persuadere nititur, id neqvaqvam evincunt. *Primum*, inqvit, *illud hoc docet, qvia, cum caliditas ignis omnium qvalitatum sit actuosissima & in agendo cæteris potentior, propterea in proportione pari cum reliqvis posita prævaleat & ob summam agendi vim reliqvorum vires superet necesse sit. Deinde, si omnium elementorum par & æqualis esset qvantitas, mixtum illud neq; in loco qviescere, neq; ad locum uspiam moveri posset. Si enim in terrâ vel loco proprio qviescet, jam terra cætera vincet, qvia unumqvodqve eo in loco sistitur naturaliter, qvod elemento vincenti proprium fuerit. Hinc enim gravia in imo, levia in sublimi suapte naturâ semper qviescunt. Tertiò temperamentum hoc ad pondus ab Averroë ita impugnatur: si in mixto qvalitates æqva-*

æqvali gradu reperirentur, illud nunqvam corrumpi posset. Ratio est, qvia naturalis mixtorum interitus & actione primarum qvalitatum oritur, qvæ qvidem, si essent æqvales, una alteram nec vincere, nec corrumpere posset, qvoniam unum contrarium, si alterum debet corrumpere, necesse est, ut illi dominetur. Hæ rationes qvalitates in gradu æquali reperiri non posse in mixto, evincunt.

LIV. Sed liceat hic primum qværere ex Magiro, qvæ illa sit reliqvorum temperamentorum norma atqve regula, qvæ non tantum nullibi exiſtit, sed ne exiſtere qvidem potest, &, ſicubi ad momentum exiſteret, illicò vi suâ corrueret atqve periret? Platonis eqvidem Reſpublica, qvam rerumpublicarum omnium ideam & regulam esse voluit, licet nunqvam reapse extiterit, ſi tamen extitiſſet, ex interno principio corrumpi non potuiſſet, & ſi utiqve potuiſſet, cæterarum regula ſalutari haud debuiſſet, cum omnem rempublicam, atq; maximè eam, qvæ cæterarum idea est, ita constitutam esse oporteat, ne facile poſſit ad interitum properare. Itaqve & temperamentum iſtud, qvod ex internâ ſui conſtitutione ita vitioſum est, ut ob principia ſibi inſita diu non perſiſtat, cæterorum regula dici non potest, cum natura cujuslibet temperamenti, & multò maximè cæterorum normæ, ea esse debeat, ut corpus qvodlibet, cui inest, conſervet & ab interitu præſtet immune. Deinde, qvæ iſthæc est diſputandi methodus, contrariis ſibi è diametro, seseqve ultrò perimentibus, unam eandemqve thesin conari de-

ſtru-

ſtruere argumentis? Si enim verum eſt, qvalitatum primarum æqvalitatem corpus mixtum diſturbare atqve evertere: qvî verum eſſe poterit, per æqvale iſtud temperamentum, qvod vult Averroes à Magiro laudatus & in partes tractus, corpus mixtum non corrumpi ſed conſervari? Aut ſi temperamentum ad pondus mixtum conſervat, qvomodo ſimul extinguet? Sed nec argumenta ipſa ullam obtinent firmitatem. Nam qvod primum: qvomodo vis ignis cæteris qvalitatibus prævalere easqve ſuperare poterit, ſi in pari prorſus gradu ſit cum iisdem & proportione? Gradus enim æqalitas vel maximè virium infert & ſupponit æqvalitatem. Vires itaqve ſi ſint pares, nulla cogitari poterit ſuppreſſio, nulla dominatio: ſi vero ſint impares, gradus in qvalitate paritas ultrò expirabit, nec amplius temperamentum erit æqvale. Decepit nempe Magirum confuſio qvalitatum & elementorum, qvorum ſimul contemperationem ad temperamentum reqvirit, ut qvalitates, haud ſecus ac elementa, vel pondere vel magnitudine & mole, qvibus tamen illæ deſtituuntur, metiretur, ac poſtea igni, æqvali qvantitate ad corporis mixti conſtitutionem concurrenti, majorem vim adſcriberet, qvam aqvæ humiditati, eodem molis gradu mixtum ingredienti. Qvoad ſecundum: & falsâ nititur hypotheſi & inconſeqventiâ laborat. Nam ex elementis ideò nulla fieri poteſt complexio, qvia illa ſubſtantiæ ſunt, ſubſtantiæ autem

autem refringi & remitti non possunt, qvippe qvod accidentium proprium est. Si verò etiam ex elementis refractis temperamentum utiqve oriri posset, nondum tamen seqveretur, si par sit elementorum qvantitas, motum mixto atqve qvietem defuturam esse. Qvod certè ex seqventi collectione patet: Si non obstante, qvod v. g, in elaphante plus sit terreæ substantiæ qvam vel aëreæ vel igneæ, adeoqve major gradus gravitatis qvam levitatis, tamen elephas non semper qviescit, sed qvandoqve movetur, multò minus necessarium erit in eo mixto, in qvo æqvalis est terreæ & aëreæ & igneæ substantiæ gradus, perpetuum esse vel motum vel qvietem. Atqvi verum est prius. Ergo & posterius. Dices: motum hic ab animâ esse; respondeo: ergo saltem non impediet hoc argumentum, qvo minus in animatis æqvale temperamentum existere possit. At verò & in inanimatis, qvanta latet ignis copia in uno ligni segmine, præ materiâ terreâ, qvæ in cineribus & fuligine superstes manet? de qva flammarum erumpentium longa qvasi agmina testantur: & tamen hoc mixtum in imo loco, qvousqve igni adscendendi occasio aperta veluti porta haud præbetur, qviescit. Non igitur eæ sunt vires igni in mixto qvasi captivato, qvæ sunt liberè vaganti, aut si sunt, operationem tamen suam, adeoqve & motum, ob intercedens impedimentum, suspendere coguntur, atqve ideò nulla consequentia est;

est: tantum est in mixto ignis, qvantum terræ; ergo semper in sublime fertur; Vel: tantum ei ineſt terræ, qvantum ignis; ergo perpetuò qviescit. Qvoad tertium deniqve: ex Averrois argumentatione hoc tantum seqvitur: nihil hodie in rerum natura esse, qvod nobilissimo isto ad pondus temperamento gaudeat, cum videamus omnia interire atqve corrumpi, qvæ æterna forent, si æternum in se principium, qvale esset æqvale temperamentum, si daretur, haberent; id verò inde non seqvitur, qvod asserit Magirus: tale temperamentum non tantum dari non posse, sed si daretur, noxium potius fore mixto, qvam ei conservando proficuum. Qvamqvam & nonnulla hodie è rebus inanimitatis incorruptibilia esse, vel ad incorruptibilitatem qvam proximè accedere, adeoqve temperamento qvam optimo & æqvabilisimo pollere, exemplo auri puri vero sit perqvam simile; de qvo Gasto Claveus, Apolog. Chrysop. & Argyrop. p. 39. *Memini*, inqvit, *superioribus annis unciam auri purissimi, testaceo vascalo incluſi, & alteram unciam argenti puri, etiam altero vase separatim incluſi eo loco, qvo vitrum vitrariorum fornace liqvatum est perpetuò, collocasse, ibiq; ambo fusa & liqvata duobus continuis mensibus permansisse, iisq; transactis & à vasculis & fornace utraq; exempla stateris librasse, & auri qvidem nec minimum de pondere decidisse conspexi, argentum verò duodecimâ tantum parte.*

LV. Sed & id, qvod Magirus ex Archangelo

gelo Mercenario subdit; primas qvalitates in transitu & fluxu, ac veluti temporis momento, non tamen secundum esse permanens, paribus gradibus in mixto reperiri; si ex gr. mixtum fuerit, in qvo calidum & humidum secundum sex gradus, frigidum autem & siccum secundum qvatuor gradus inveniantur, tractuqve temporis calidum & humidum, secundum duos gradus imminuantur & secundum qvatuor maneant, tum ad graduum æqvalitatem cum frigido & sicco redacta fore; sententiam à se impugnatam confirmat, atqve ostendit, temperamentum ad pondus ex iis non esse, qvæ simpliciter fieri neqveunt, aut mixti naturam destruunt potius, qvam conservant,

LVI. Eorum, qvi temperamentum ad pondus dari inficiantur, catalogo nomen suum inter recentiores qvoqve adscripsit vir doctissimus, Joannes Sperlingius, qvi Libr. VI. Instit. Phys. c. III. Q. IV *Species*, inqvit, *mundi, qvando spectamus, tale temperamentum haud invenimus. Homines enim, bruta, plantæ & metalla, ob operationes obeundas, non tamen de uno, qvantum de altero accepere elemento. Alii plus ignis, alia plus aqvæ, alia plus aëris, alia plus terræ obtinuerunt. Justissima mater natura est, qvæ temperamentum ad justitiam observat, & cujusq; rei dignitatem & officia respicit. Neqve enim fas erat, simile temperamentum dari in homine & cane & leone & lepore & equo & formicâ & ferro & rosâ. Qvamvis autem temperamentum*

mentum ad pondus in mundi speciebus non deprehendatur, tamen ut norma reliquorum ponendum venit, respectu cujus reliqua temperamenta dicuntur intemperata. Vides, aliis hic rationibus temperamentum uniforme oppugnari, quæ tamen, utrum rem totam indubitatam reddant, haud immeritò dubitatur. Ad temperaturam enim qualitatum æqualem non necesse esse videtur, ut mixtum æqualiter de omnibus elementis participet, neque plus accipiat de terrâ, quam de aquâ, aut de aëre, quam de igne; partim, quia primæ qualitates secundum Sperlingium primum immediatumque domicilium in elementis singulis non habent, cum aër juxta ipsum neque frigidus, neque calidus, neque humidus neque siccus sit, sed ad has qualitates indifferens; terra siccitatem quidem & frigiditatem, sed in remissiori gradu contineat. Quomodo itaque procedet argumentatio: Quicquid vel plus ignis, vel plus aquæ vel plus aëris vel plus terræ obtinuit, id non est, [secundum qualitates, quippe quarum solarum mistura etiam Sperlingio temperamentum conficit] æqualiter temperatum. Atqui alia mista plus ignis, alia plus aquæ, alia plus aëris, alia plus terræ obtinent. Ergo? Nempe sufficeret secundum hypothesin Sperlingianam, si æquali gradu ignis & aqua, quâcunque etiam copiâ adessent aër & terra, in mixto coirent. Isthæc enim elementa sola in summo gradu secundum eundem

qvatuor primas qvalitates complectuntur. Silentio nunc involvo, litem de primis qvalitatum primarum subjectis nunqvam ad liqvidum deductam esse, aut deductum iri, adeò immanibus opinionum divortiis & speciosis rationum variarum momentis de isthoc argumento pugnari cernimus. Est, qvi aërem primum frigidum esse, non contemnendo argumento, qvod in extremis montium cacuminibus, ubi ab omni externâ, ei affluente, materiâ, liberrimus, sibiqve soli ac naturæ suæ relictus est, omnium maxima, minusqve, qvam qvalis ab aqvâ est, tolerabili frigiditate polleat, fidem facere laborat. De igne Cl. Vir, Jo. Otto Henkelius, disp. IIX. Met. §. 13. p. 121. *aut calor*, ait. *planè non est proprium ignis, sed potius, ut aliqvi doctissimi Philosophi de elementis singulis statuunt, debita primarum qvalitatum combinatio; aut saltem secundum aliqvam similitudinem proprium ejus vocatur, qvia, licet ab aliis participari possit, in summo grâdu soli igni in suâ naturali dispositione convenit.* Nolo in aliorum recensendis opinionibus prolixè occupari. Partim verò, qvia communis opinio est, qvalitatem unamqvalitatem alteram viribus & vehementiâ superare, ut verbi gratiâ in una atomo tanta insit vis ignis seu caloris, qvanta frigoris vix tribus aut qvatuor inesse possit. Qvod si verum est, igne qvoqve & aqva non æqvaliter temperata, sed altero excedente, altero, ut barbarè loqvar, excesso, temperari nihilominus ad æqvilibrium

brium poterunt qvalitates primæ, qvippe qvæ non temperantur ad numerum atomorum, qvibus inhærent, sed ad proportionem virtutis, cum qvalitati non competat, qvantum esse & ad numerum mensurari, sed æstimari virtutis & potentiæ gradu. Longè verò minus robur habet alterum Sperlingii argumentum: *Natura cujusq; rei dignitatem & officia respicit: neq; enim fas erat, simile temperamentum dari in homine & cane, leone & lepore, equo & formicâ ferro & rosâ:* ergo non datur aut dari potest temperamentum ad pondus. Hoc enim duntaxat sequitur: ergo varia dantur temperamenta, à naturâ ipsâ excitata. Qvo tamen ipso temperamentum æqvale non tollitur. Qvemadmodum in simili non seqvitur: justitia suum cuilibet geometricè secundum meritum & demeritum tribuit, aliter remunerat fortitudinem, aliter temperantiam, aliter castitatem, aliter virtutes heroicas; aliter etiam punit seditiosum, aliter majestatis reum, aliter furem, aliter adulterum; ergo nunqvam pari par reddit, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, & in universum nunqvam talionis jure utitur. Deniqve nec hic intelligi potest, qvomodo temperamentum ad pondus norma sit reliqvorum temperamentorum, si neqve elementa neqve qvalitates elementorum vel combinantur nunqvam ad justum æqvilibrium, vel combinari, salvâ naturæ justitiâ, qvæ ut pro-

vida mater qvalitates rebus pro dignitate potius ac officio, qvam pro numero graduqve admetitur, ullâ potentiâ possunt.

LVII. Cum adverterent alii, his atqve id genus ratiunculis, temperamentum ad pondus neqvaqvam everti, maluerunt illud admittere, qvam leviusculis ratiociniis in dubium revocare. Ante Sperlingium in eadem Academia vir celeberrimus, Dan. Sennertus, ita accuratè judicat: Lib. III. Epit. Nat. Scient. c. IV. p. 285. *Si æqvis omninò viribus & gradibus*, [pondus itaqve in temperamento, qvod vel qvalitas est, vel qvalitatum congeries, non ex qvantitate molis, sed virtutis æstimandum esse, rectè docet;] *elementa*, [non qvoad materiam, sed qvoad virtutem ipsis inexistentem] *& qvalitates ad mistionem concurrant, temperamentum efficitur, qvod æqvale ad pondus appellatur, qvasi in eo æqvo pondere qvalitatum gradus librati & distributi sint; item æqvalitas absoluta, qvod scilicet ad nullum extrinsecum fiat comparatio. De graduum autem æqvalitate hoc intelligendum est. Nam æqvali qvantitate elementa misceri non possunt, cum longè major sit ignis, qvam terri efficacia, & proinde, si æqvabilibus portionibus concurrerent, ignis non mistum, sed ignem solum generaret; testaturq; experientia, omnia perfectè mista corpora plurimum terræ obtinere, ejusqve vi gravia esse.* [Qvæ immotum fundamentum suppeditant, refutandi ea, qvæ ex elementorum secundum substantiam suam mistione contra temperamenti æqvalitatem opponi

opponi possunt:] *Temperamentum hoc, etsi nonnulli in rerum naturâ dari negant, rationem tamen firmam non videmus,* [hoc ipsum verò est, qvod contra Magirum atqve Sperlingium disputavimus] *qvominus statuamus, contraria pari gradu in misti alicujus constitutione posse concurrere. imo!* [concludit ergo Sennertus, eoipso temperamentum ad pondus dari debere, qvia sit cæterorum temperamentorum mensura;] *hoc reliqvorum omnium normam esse, nec alia sine eo cognosci posse, statuit Galenus, lib. I. de Temp. c. III.* Galenum eqvidem Archangelus Mercenarius, non sine ratione, cum lib. I. de tuenda sanitate asserat, ad pondus temperamentum mente tantum concipi, nec nisi temporis momento perdurare, in aliam mentem interpretatur, qvam ex Jo. Magiro supra aperuimus; qvæ qvam cum verbis Galeni conveniat, penes alios esto judicium.

LIIX. Apud Theologos vero ista loqvendi ratio in articulo de imagine Divina creberrimè legitur. In superioribus verba Apologiæ Augustanæ Confessionis allegavimus, qvæ hæc sunt: *Justitia originalis habitura erat æqvale temperamentum qvalitatum corporis.* Qvæ proinde passim repetunt Commentatores & Tractatores locorum Theologicorum. Ex qvibus etiam Auctores Consensus repetiti, tanqvam communi Doctorum Lutheranorum calculo admissis, pro immortalitate in primo homine naturali non immerito concludunt;

profitemur & docemus, inqviunt, Art. II. Punct. IV. *hominem in prima creatione accepisse non tantum animam immortalem, qvæ mori omninò non posset, sed etiam corpus non mortale, hoc est, cui nulla naturalis necessitas moriendi ex compositione materiæ & formæ incumbat, sed qvod ex prima conditione aptum natum erat, ut semper perduraret, & æqvale temperamentum qvalitatum corporis habebat, sicut Apologia Augustanæ Confessionis loqvitur.* Hanc autem consequendi vim non adverterunt, sive is qvi Consensum impugnavit, sive, qvi eundem defendit. Qvorum ille scribit: *Philippus Melanchthon in Apol. Aug. Conf. ad justitiam originalem, inter alia qvoqve refert æqvale temperamentum qvalitatum corporis; de hujus autem immortalitate qvæstionem, utrum Protoplastis naturalis an supernaturalis fuerit, neq; hic neq; pagina citata 58. dirimit, neqve liber Concordiæ loco allegato eam attingit. Hisce tamen fundamentis, reapse figmentis, suum: profitemur & docemus, superstruit D. Calovius.* Hic verò, qvamqvam postea disputet, dari utiq; temperamentum ad pondus, inqve corpore Adami æqvale temperamentum omnium qvalitatum & exactissimam earundem harmoniam fuisse: respondet: *Verba dat Calixtus, qvando Confessores Augustanos, gloriosæ memoriæ, negat perspicuè definivisse, qvod immortalitas Protoplastis naturalis fuerit. Dum enim immortalitatem primi hominis concreatam ejus dignitatem appellant Confessores, ob justitiam originalem, Protoplastis debitam, non obscurè indicant, eandem immortalitatem se pro naturali*

Proto-

Protoplastorum proprietate habere. Ego verò existimo, ita in se Consensus verba probationem illam apertè atqve perspicuè complecti, ut mirum sit, cujusqvam oculum hoc posse subterfugere. Neqve enim alium ob finem Apologiæ verba peculari literarum formâ expressa adducuntur, qvam ut id, qvod præmissum fuerat, demonstraretur, nempe: *hominem primum accepisse corpus, cui nulla naturalis necessitas moriendi ex compositione materiæ incumberet, sed qvod ex primâ conditione aptum natum esset, ut semper perduraret.* Hæc enim conclusio evidenter seqvitur ex his promissis: Qvodcunqve corpus vi justitiæ originalis habiturum fuerat æqvale temperamentum qvalitatum, ei nulla naturalis necessitas incumbebat moriendi, ex compositione materiæ & formæ, sed illud potius ex prima conditione aptum erat, ut semper perduraret. Atqvi corpus primi hominis. Ergo. Minor est Apologiæ. Major ex terminis rationi nota est. Constat enim inter Philosophos, dissolutionem corpori mixto nihil aliud conciliare, nisi qvalitatum primarum pugnam qvæ verò nulla esse potest, ubi qvalitates ipsæ sunt ad æqvales prorsus vires, id est, ad temperamentum uniforme redactæ. Et si Confessores hoc immortalitatis privilegium imputare æqvalitati temperamenti noluissent, cui fini istud, tanqvam nobilem imaginis Divinæ vel partem vel qvasi partem laudassent? Tale enim temperamen-

tum, cujus beneficio homo ætatem suam ad mille usqve annos poterat producere, etiam ii, qvi post lapsum vixerunt, obtinuerunt; neqve primo homini singulare qvid attributum fuisset, nisi eo temperamento juvante ad æternos annos vitam prorogare potuisset. Qvare prona hæc est consequentia: Qvicunqve infallibile immortalitatis in corpore primi hominis principium suppeditat, is controversiam de corporis primævi immortalitate utiqve dirimit. Atqve id facit Philippus Melanchton. Ergo.

LIX. Qvamqvam verò hactenus disputaverimus, partim à qvibusdam haud idoneis argumentis remotum è rerum naturâ esse temperamentum æqvale, partim probabiliter dari aut dari posse aliqvod temperamentum æqvale; nondum tamen omnis difficultas sublata & existentia hujus temperamenti satis stabilita est. Qvâ de re audiemus elegantissimam limatissimamqve Physicam Gothanam, qvæ lib. II. cap. XIV. n. IX. isthæc suggerit: *Temperamentum uniforme seu æqvale ad pondus an detur, disputari solet. Distinguunt autem, qvi certâ ratione illud admittunt, intermixtum inanimatum & animatum. Qvod attinet mistum inanimatum, in eo tale temperamentum dari, probabile esse censent, Qvod verò mistum animatum attinet, dibitant, an in eo dari possit temperamentam æqvale ad pond^o. Ratio dubitandi est, qvia viventia reqvirunt partes heterogeneas, qvæ pro functionum diversitate diversa reqvi-*

runt

runt temperamenta, ut ita in toto illo misto æqvale temperamentum esse non possit; qvanvis statuant, in una aliqva parte misti animati, hujusmodi æqvale temperamentum dari posse. Hæc certè longè major graviorqve ratio est, dubiam reddendi controversi hujus temperamenti uniformitatem; cui ego subjicio istas: haud videri fieri posse, ut in corporibus æqvali prorsus ad pondus temperamento præditis vel naturalis indolis vel ætatis ullum possit existere discrimen. Cum enim à temperamento proveniat, qvicqvid de cætero in homine vel potentiarum vel qvalitatum, vel dispositionum & inclinationum naturalium deprehenditur, eadem omnes in statu primævo homines, si æqvale omnibus ad pondus temperamentum fuisset, indole, animi in una eademqve studia inclinatione, corporis membrorumqve formâ, statura, qvalitatibus, fuisse necesse esset, cum hæc talia vel ex temperamento efficiente, vel certè disponente atqve flectente oriantur. At verò tantam inter homines primos æqvalitatem locum habituram non fuisse, vel inde palam est, qvod in futura gloria, in qva perfectissimo iterum gradu imagine Divina omnes gaudebimus, immensa erunt illarum qvalitatum atqve actionum discrimina. Insuper aliud temperamentum convenire viris, aliud fœminis, qvinimo aliud eidem homini, cum puerili, ætate, aliud cum in adolescentia, aliud cum in juventute atqve virilibus annis constitutus

est; atqve ut hoc etiam addam, aliud homini ad imperium, aliud ad obsequium apto, qvæ tamen differentiæ nec in innocentiæ statu defuissent; non puto habere ullam dubitationem. Nam in pueritiâ præ cæteris humoribus se phlegma, in juvenili ætate sanguis, in virili cholera, ac denique in senectute melancholia exerit. Nisi itaqve ex statu primævo & ætatis & formæ & roboris & staturæ & indolis & similium rerum discrimina eliminare velimus, omninò necesse erit, temperamentorum admittere diversitatem, & qvia tamen omnes in illo statu immortales naturâ suâ futuri erant, concedere, incorruptibilitatem corporis mixti cum dissimili & inæqvali temperamento consistere posse.

LX. Id igitur causæ me movet, cur credam, nec temperamentum ad pondus, secundum Arithmeticam graduum proportionem æstimatum, ad corporis mixti immortalitatem necessarium esse, nec hoc è Theologis illos intellexisse, qvi temparamentum ad pondus in primo homine, ad immortalitatem ejusdem profuturum, uspiam aut unqvam laudarunt: qvamqvam de cætero nolim inficiari, tale ad pondus temperamentum in naturâ & dari posse & reverâ inveniri. Utrumqve ostendo. Primo, temperamentum ad numerum gradumqve Arithmeticum æqvale non esse vel causam vel causam adæqvatam incorruptibilitatis & immortalitatis in mixto, partim in

de

de docetur, qvod corpora maximè immortalia & incorruptibilia, utpote aurum, argentum & qvidam lapides hac æqvalitate non gaudeant, sed pleraqve, qvo constantiora sunt, eò frigidioris sint naturæ. Sidera qvoqve, interqve illa cumprimis Sol, cum ex sententiâ Aristotelicorum nihil in se caloris formaliter contineant, â morte tamen atqve corruptione magis immunia sunt, qvam corpora qvælibet alia, qvæ nostra opinione temperatissima sæpe apparent. Si verò solem ad recentiorum qvorundam mentem constituas summè calidum qvippe nihil aliud, qvam facem in cœlo ardentem, remanebit tamen, mixtum qvoddam admodum inæqvaliter, maximè tamen æqvaliter atqve constanter perdurare & difficilius, qvam qvæ æqvo pondere mista sunt, dissolvi. Qvod si fit in inanimatis, qvid impediet, qvo minus & in animatis contingere possit? Partim verò hoc amplius inde ostenditur, qvia licet inæqvali gradu qvalitates primæ in corpus mixtum coëunt, non tamen ideò inæqvali etiam vi atqve robore sese exerunt. Fieri enim per mistionem earundem potest, ut juxta Peripateticorum sententiam una alteraqve magis qvam cæteræ refringantur & infirmentur, aliæ autem in robore suo & virtute perdurent; qvâ ratione minor gradus vegetæ qvalitatis & major suppressæ atqve violatæ æqvaliter tamen operabuntur; si verò principiis utaris Gassendianis, potest accidere, ut major vis

vis gradusqve caloris sub mixto qvam frigoris delitescat, ut tamen, qvia atomi calidæ à materiæ conditione qvasi in carcere detinentur, qvo minus vi sua possint uti, frigiditatem minorem nunqvam superent, sed æqvales cum eâdem exerceant actiones. Qvod si verum est, sicut verum esse partim hypotheses docentium, partim experientia ipsa confirmat, Arithmetica qvalitatum proportio non causabitur mixti conservationem, vel certè non sola efficiet, qvin & aliæ qvalitatum combinationes, atqve, ut ita loqvar, confusiones idem in certâ vel proportione vel corporis misti constituione possint causari.

LVI. Deinde à Theologis, qvi in primo homine temperamentum ad pondus posuerunt, non intellectum fuisse temperamentum ad pondus, Arithmeticè consideratum, sed Geometricè, non una ratio persuadere potest. Nam nonnulli Arithmeticæ proportionis vel etiam æqvalis ponderis nullam prorsus injiciunt mentionem, contenti dixisse, æqvam fuisse in Adamo qvalitatum vel harmoniam, vel συμμετρίαν; qvam loqvendi rationem tam Geometricæ qvam Arithmeticæ æqvalitati competere, paulo post dicturi sumus. Apologia Aug. Confes. l. all. *Originalis justitia habitura erat æqvale temperamentum qvalitatum corporis.* Alii verò æqvalitatem illam ex effectu metiuntur, qvi est, corpus ab omni corruptione sartum atqve tectum præstare, ut ea sit qvalitatum

tum ad pondus conjunctio, qvæ mixto conservando sit qvam convenientissima, atqve ita proportionata, ut illud nec vi sua è statu qvasi suo dejiciat, nec defectu suo destituat atqve immet, qvacunqve demum qvalitates ipsæ inter sese sint proportione & ad Arithmeticum numerum mistura. Deniqve alii Geometricam æqvalitatem præ Arithmetica apertè in præsenti temperamento approbant, qvam in rem supra *Godofr. Cundisium* allegavimus, cujus hæc erant verba: *Temperamentum Geometricæ proportionis optimum omni δυσκρασία carebat, corpus proinde ἀΦθαρτον erat certissimè futurum si nimirum homo in obsequio Deo præstando perstitisset & ἀναμάρτητος manssisset.* Cujus hoc est in præsentibus verbis argumentum: Qvodcunqve corpus temperamento Geometricæ proportionis optimo gaudebat, id omni carebat ad intra *δυσκρασία*. Qvicqvid autem omni carebat interna *δυσκρασία* id incorruptibile sua natura futurum erat. Atqvi corpus Adami. Ergo.

LXII. Qvod si abjicias: majorem propositionem in hoc syllogismo apertè falsam esse, atqve infinitis instantiis obnoxiam, mixtorum hodie complurimorum, qvæ temperamento ad Geometricam justitiam optimo polleant, & tamen neqve omni careant *δυσκρασία*, neqve incorruptibilia sint. Nam hoc ipso Geometricum dici hoc temperamentum, qvia, qvemadmodum in Geometrica porportione non

non respicitur ad differentiam, sed tantum ad rationum æqvalitatem: ita in hoc temperamento non consideretur qvalitatum ad pondus & æqvilibrium æqvalitas, sed potius talis qvalitatum inter se consensio, ut optimè naturæ uniuscujusqve speciei congruat, Unde & dici temperamentum ad justitiam. Ut enim justitia suum cuiqve tribuit: ita justam naturam geometricè rem suam dispensare, cum cuiqve plantæ vel animanti pro sui dignitate & operationibus obeundis tantum συμμετρίας qvalitatum concedat, qvantum tum animantis, tum stirpis naruræ maximè conveniat. Convenire autem, ut modo humidum vincat siccum, modo frigus calorem. Neqve enim simile temperamentum habere debere, hominem, leonem, canem, formicam; aliam etiam animalium, alium stirpium esse mediocritatem & temperiem! Deniqve hoc ipso, qvod istiusmodi temperamenta dissimilia sint & ad naturam cujuslibet corporis mixti, qvorum infinita sit diversitas, accommodata, inæqvalia esse, non uniformia & ad pondus: omnium autem minimè, sensu atqve experientia attestante, immortalitatem iis, qvibus insint, corporibus, conciliare. Ad qvæ verò dissolvenda ante omnia necesse est nosse; temperamentum, cum in uniforme & difforme, seu æqvale & inæqvale dividitur, hanc differentiam à solo qvalitatum gradu obtinere, ut uniforme & æqvale dicatur, cujus qva-

qvalitates æqvali gradu & virtute, qvoad se, mistæ sunt, difforme verò & inæqvale, cujus in qvalitate gradus sunt difformes & inæqvales. Qvo tamen non obstante utrumqve temperamentum æqvale rectè dicitur, in qvantum utrumqve proportionem, qvæ æqvalitatis fundamentum est, observat. Qvicqvid itaqve ad proportionem dicitur, id æqvale est. Ad Temperamenta omnia, ad aliqvam, utpote uniforme ad Arithmeticam & difforme ad Geometricam, proportionem dicuntur. Ergo omne temperamentum æqvale est, Qva ratione motus celeberrimus *Sennertus*, temperamentum non in æqvale & inæqvale, qvod vulgò faciunt, sed in æqvale ad pondus & æqvale ad justitiam divisit, de qvo posteriori, libr. III. Epit. Scient. Nat. c. IV. p. 286. ita differit: *Est deinde adhuc aliud æqvale temperamentum, qvod adjustitiam æqvale appellatur, in qvo non planè æqvali gradu qvalitates concurrunt, sed eo modo, qvò misti formæ & operationibus obeundis maximè conveniens est & qvod inter mista ejusdem speciei medium obtinet. Nam aliud mistum natura sua calidius est, aliud frigidius, aliud humidius, aliud siccius. Calidius est temperamentum leonis, qvam pisces; calidior caro, qvam nervus; siccius os qvam caro. Qvamvis autem hoc modo temperamentum hoc æqvale appellari possit, qvia nimirum æqvalitas misto cuiq; conveniens in eo servatur & proportione Geometricâ suum cuiq; tribuitur, tamen respectu temperamenti absolutè*, (etiam qvoad gradum) ἐυκράτε

& æqvalis inæqvale dici & id, qvod eo præditum est; intemperatum appellari potest: qvamqvam vulgariter illud, qvod ab eo, qvod naturaliter obtinere deberet, temperamento recessit, intemperatum nominetur. Qvare constat, & temperamentum ad justitiam, qvantumlibet in ordine ad qvalitatum gradus inæqvale dici mereatur, in respectu tamen ad mixti naturam, cui convenire & qvod æqvo robore sustentare debet, æqvale dici posse. Justitia enim ipsa, ut ex Morali Philosophia constat, ex qva hic terminus huc traductus est, æqvalitas est vel τὸ ἴσον observat.

LXIII. Non tamen, ais, ad pondus dicendum est. At nec Arithmeticæ proportionis temperamentum Grammatica proprietate ad pondus dicitur, cum pondera rebus qvantitatem habentibus, non qvalitatibus, propriè conveniant. Trahitur itaqve ad qvalitatum gradus designandos per metaphoram, ad significandam summam earundem æqvabilitatem, qvasi ad trutinam appensæ in hoc temperamento qvalitatum virtutes & ad æqvilibrium sint redactæ. Si itaqve pondus æqvalitatem Arithmeticam summam notare per figuram potest, qvidni & æqvalitatem Geometricam, pariter summam? Nempe Geometrica proportio seu justitia, [qvandoqvidem temperamentum hoc dicitur ad justitiam] vel in admetiendo summam perfectissimamqve observat proportionem, qvæ qvasi ad pondus est, cum natura qvalitates ad mixti naturam

ita

ita convenienter atqve perfectè temperat, ut earum subsidio non existere tantum mixtum, sed perdurare etiam, neqve ab interno principio metuere ullam corruptionem possit: vel mediocrem. Qvæ ideò non est ad pondus, qvia qvalitas qvalitatem facilius, qvam in priori illo temperamento subigit, mixtumqve convellit. Qvis enim inficiabitur, perfectius coiisse qvalitates in auro, qvam in ferro, in ferro, qvam in ligno, in ligno, qvam in herba? Qvis negabit, rigorem justitiæ in conferendis unicndisqve qvalitatibus pressius observasse naturam in homine, qvam in bove, in bove, qvam in gallinâ, in gallinâ, qvam in formicâ? Et tamen ubiqve fecit secundum Geometricam proportionem. Qvinimò eoipso Geometricæ proportionis studiosissima fuit, qvia homini tanqvam creaturæ incomparabiliter digniori, qvam sunt è comporearum numero cæteræ omnes, temperamentum etiam hoc nobilius, qvo illa reliqvis præstat nobilitate, primitus concessit. Eqvidem hodie non ex inanimatis tantum sed animatis etiam temperamenti excellentiâ hominem complurima antecellunt: sed ista hodierni in homine temperamenti imperfectio peccato imputanda est, ex qvo mors ipsa & qvicqvid mortem antecedit malorum, tanqvam ex causâ descendit. Rom. VI. 23. neqve dubitandum, si absq; hoc esset, naturam in perfectissimo animali perfectissimum etiam temperamentum effe-

cturam fuisse. Qvare falsum est, omne temperamentum ad justitiam ita comparatum esse, ut ad corruptionem inclinet. Neqve à cæterorum temperamentorum indole ad temperamentum primi hominis argumentandum est, cum providentissima mater natura justitiæ regulam transiliisset, si ignobiliora corpora mixta eadem, qvâ compendium mundi, hominem, temperamenti bonitate instruxisset. Qvemadmodum itaqve per animam immortalem eundem à cæteris animalibus discrevit, ita par erat, ut & temperamento donaret, qvo domicilium animæ, corpus, qvod cæteris prudenter negaverat, à corruptione atqve morte posset servare illæsum.

LXIV. Qvalecunqve verò sit temperamentum, in confesso est apud omnes, finem atqve officium ejus esse, conservare mixtum & ad obeundas naturales actiones, instrumenti organiqve loco ei inservire. De qvo regula Physicorum ubiqve celebrata extat: *temperamentum unicuiqve misto datum esse, ad functionem suam debitè obeundam.* Qvo fit, ut cum natura nonnisi mediante temperamento agat, mixtorum actiones temperamenti vel perfectionem vel imperfectionem necessariò seqvantur. Rectè Jac. Scheggius Comment. in I. Prior. Anal. Arist. p. 183. *Materiæ causa qvæ fiunt, ex necessitate fiunt, non qvia melius sit. Ut sit talis sit temperatio humorum, necesse erit, aut glaucos aut nigros oculos fieri, albos aut nigros capillos, raucam aut cla-*

claram vocem, procerum corpus aut pumilum, ingenioſum aut hebetem; qvæ differentiæ omnes inſunt rebus ex neceſsitate, propter affectionem & qvalitatem materiæ. Qvod adeò verum eſt, ut nonnulli temperamento in ipſas animæ functiones poteſtatem atqve imperium conceſſerint, diſputaritqve peculiari libello Galenus: mores animi corporis ſeqvi temperamentum. Id qvod, ſi de propenſione intelligatur, negari, utpote ab experientiâ comprobatum, ſimpliciter neqvit. Jac. Martini, Cent. I. Qvæſt. Illuſtr. Diſp. VI. Q. IX. *Seqvuntur primi mores, propenſionesqve ad eos temperamentum,* (Qvod, qvamqvam in homine, ceu mixto heterogeneo, exqve pluribus mixtis conſtante, pro diverſitate partium diſſimilarium, ceu ſupra indicavimus, non ſit unum ſed multiplex, id tamen qvod in eo præponderat, temperamenti appellationem ἐξοχικῶς obtinet, præcipuè cordis atqve hepatis, *qvæ cum omnibus partibus nutrimentum, ſpiritus & calorem tribuant, unum qvaſi totius habitus corporis temperamentum conſtituunt*, monente Sennerto, l. c.) *ut cauſam minus principem, ordinatam ad animam, ut ad cauſam principalem. Ea autem, qvæ ſeqvuntur temperamentum, duplicis ſunt conditionis: nonnulla neceſſariò illud ſeqvuntur, adeò ut emendari neqveant, veluti ſapores, odores, colores,* (& in univerſum accidentia corporis, ex materiâ reſultantia, adqve corporis mixti decus & ornamentum pertinentia) *& ſimilia, qvæ temperamentum, ut cauſam principalem & ad-*

aqvatam seqvuntur : alia illud seqvuntur non adeò necessariò, sed nata sunt studio & assuetudine emendari; è qvorum genere sunt animi perturbationes & mores. Verius autem affectiones animi seqvuntur temperamentum in jumentis, qvam in hominibus, qvia hi emendantur ratione propria, illa verò aliena, nempe hominum corriguntur ratione. Qvamqvam verò actiones atqve effectus naturales qvapiam necessitate ex temperamento oriantur, non diffitendum tamen est, temperamentum ipsum studio & industria hominis temporis successu mutari, atqve vel in melius vel deterius converti posse, qvam mutationem & actionum atqve effectuum muratio postmodum insequitur. Unde non injuriâ à qvibusdam temperamentum in innatum, qvod corpori in primo ortu connascitur; & adscititium, qvod post ortum acqviriturà causis temperamentum innatum mutantibus, dispescitur.

LXV. Ex qvibus ultrò consequitur: qvo perfectius & magis æqvale temperamentum est, eo perfectiores in mixto progenerare effectus, qvippe qvi causâ suâ nunqvam inferiores sunt. Ut adeò denique ex superioribus omnibus rectè in hunc modum concludamus: ubicunqve non tantum natura, tanqvam causa princeps, perfectis gaudet viribus, sed instrumento etiam utitur haud minus perfecto, ibi effectum qvoqve produci pariter perfectum, & causis suis similem, necesse est. Atqvi in Christi humanitate. Ergo. Inter effectus autem natu-

naturæ per temperamentum agentis, pulchritudinem qvoqve corporis esse, non indiget probatione.

LXVI. Utuntur hoc argumento, cujus hactenus principia, forte à nemine ita evisceratà, à dubiis, qvæ oboriri circa ea poterant, liberavimus, Ecclesiæ Doctores, è qvibus, ne qvid novi videamur tueri, duos adducemus. E nostris partibus, D. Jo. Conr. Dannhauerum, qvi in Hodos. Phæn. VIII. eo loco, ubi de carnis Christi nobilitatibus agit, inter eas & *gloriam*, refert *corporis, sine dubio pulcherrimi, de qvo testatur*, ait, *temperamenti vigor*. E Reformatis Andr. Rivetum, ad Psalm. XLV. qvi Christum nullam neqve in habitu corporis, neqve in figurâ deformitatem habuisse, inde etiam confirmat, *qvia fuerit constitutio corporis ipsius undiqvaqve præstantissima, qvantum qvidem virum deceret.*

LXVII. Servatorem verò nostrum temperatissimo corpore fuisse, præter argumentum ex imagine Divinâ petitum, persuadet partim ἀναμαρτησία ejusdem. In qvocunqve enim nulla est causa, ad mortem disponens, in eo nec temperamentum est inæqvale, in qvo ex qvalitatum contrariarum pugna corporis compages dissolvi & homo morti tradi qveat. Hoc enim tale temperamentum, ut ex ipsa ejus descriptione patet, causa per se est, mortem inferens. Atqui in Christo nulla fuit causa, ad mortem eundem disponens. Ergo. Probatur hoc: In qvocunqve non est peccatum, in eo

non est causa, ad mortem disponens. Mors enim ex solo peccato originem habet, Rom. V. 12. & nisi peccatum transiisset in mundum, mors unqvam dominium in hominem agitare non potuisset. At in Christo non est peccatum. 1. Petr. II, 22. Ergo. Partim verò negati vitiosi temperamenti effectus. Si enim qvacunqve labe infectum fuisset temperamentum Christi, accedentibus inprimis injuriis externis, utpote, fame, siti, frigore, calore, aliisqve, facile in morbos qvoscunqve incidisset, qvi ex imperfecto temperamento, datâ qvalibet occasione, erumpunt. Qvibus verò caruisse Christum, veluti qvodam consensu docetur, necrefragatur Vavassor, qvi cap. I. §. 3. f. f. *Si qvis*, inqvit, *in morbos Christum incidisse more nostro atqve aliqvandiu agrotasse contendat, temeritate non vacat, propterea, quod eâ de re litera in sacris literis nulla invenitur: ita, qvi deformem illum esse natum defenderit, cum nullum ibidem vestigium deformitatis appareat, justâ reprehensione non carebit.* Partim deniqve totius Ecclesiæ in hanc veritatem consensio, qvæ ad adversarios nostros, Judæos, ita dimanavit, ut R. Is. Abarbanel, vir de cætero perqvam eruditus, eidem Ecclesiæ nostræ traditioni locum Es. LII, 14. objiciat: *isthæc prædicata*, inqviens, *conveniunt nonnisi ei, qvi ingenio & naturâ est perturbata, melancholica, infirma*, [qvando nempe forma Christi ibi dicitur ingloria & aspectus ejus deformis inter filios hominum] *temperamento & compositione debili*, cum

cum è contra à Christianis Christus tanqvam firmissimo temperamento præditus describatur: כי הוא היה בחור וטוב נחמד למראה ושוה המגן באכיוו: *Est enim ipsis juvenis elegans*, (ut Saul. 1. Sam. IX, 2.) *desiderabilis aspectu*, [phrasis legitur de arboribus paradisi, Gen. II, 9.] *æqualis temperamenti in qualitatibus*. Qvæ verò duo malè opponi, suo loco dicemus. Hoc interea fatemur, cum Christus, ceu jam antea diximus, neqve cibis semper ad satietatem, neqꝫ satis commodis & usqveqvaqve sanis usus fuerit, nonnunqvam etiam indigentia atqve fame violare qvasi bonitatem corporis sui necesse habuerit, inde firmitatem temperamenti, non qvidem prorsus eversam, læsam tamen qvodammodo atqve infirmatam fuisse, seu roboris sui qvosdam veluti gradus amisisse. Qvæ, si qva fuit, imbecilitas non internæ naturæ constitutioni, sed, veluti mors ipsa & cætera, qvæ ab hostibus pertulit, mala externæ violentiæ imputanda sunt, cui se nostri causa sponte subjecit. Qvare sub initium hujus tractatus professi sumus: Christum in adolescentia, qvamqvam neqve cibis ad amussim temperatis, neqve numero semper atqve pondere debito usum, cæteros tamen sui temporis, suæqve nationis adolescentes pulchritudinis dignitate atqve decore facile omnes superasse, pulchriorem tamen perseveraturum fuisse, nisi ex spontaneo abitrio illo jam ætatis tempore multis egere, multa perpeti, qvibus

subinde de venustate ejus qvidpiam decerperetur, voluisset.

LXVIII. Janus Huardus, auctor Scrutinii ingeniorum, proiis, qvi excellere cupiunt, cap. XVI. p. 552. indicium optimi firmisimiqve in Christo temperamenti, ex jejunio ejusdem qvadrageſimali desumit. *Qvi*, inqvit, *diebus qvadraginta integris, cum totidem noctibus in deserto potuit subsistere, sine ullo potus cibive adminiculo, nec tamen vel mortuus ideò est, vel in morbum incidit: ille utiqve contra alias res leviores defendere se ac tueri potuisset, ne iis alteratus fuisset vel offensus.* Et certè, si istud jejunium Christus, non supernaturali robore adjutus, pertulisset, vehementissimè utiqve stringeret hoc argumentum. Sed ejus qvidem consequentiam, cum isthæc ita se habere haud videantur, facile negaverit Vavassor: *istud contendo*, ajens, cap. III. §. 4. p. 105. *tantum tamqve diu suapte sponte tolerasse primo, qvantum & qvoad humanæ vires patiendo ferre potuerint: tum succumbenti naturæ venisse auxilio vim cœlestem ac divivam, qvæ robor auxerit, idqve qvod à corporis imbecillitate deerat, expleverit. Ita additum ad rei miraculum, nihil detractum de perpessione.* Nec etiam negat Huardus, actum hunc Christo pro miraculoso haberi, ac pro re, qvæ naturaliter contingere non possit, qvamqvam haud obscurè innuat, contrarium sibi videri. Nos, qvamqvam sciamus, communem Theologorum opinionem jejunium istud miraculis accensere, cujus rei tamen in textu nullum apparet

ret indicium, potueritqve Christus vi naturæ suæ sustinere, qvod alii, v. g. Elias ob temperamenti connatam debilitatem, haud potuerunt, rem tamen totam ideo in medio relinqvimus, qvia, cum constet, qvousqve hodie homo rectè sè habens sine cibo potuqve consistere possit, temerarium tamen videatur, definire, qvid idem potuisset olim, si in imaginis Divinæ statu permansisset, aut hodieqve uteretur temperamento prorsus æqvali. Exempla qvidem eorum, qvi post lapsum etiam ad inusitatam & penè incredibilem temporis diuturnitatem omni cibo potuqve abstinuerunt, historiarum nobis referunt monumenta; sed Medicorum Physicorumqve consensu vel oculis aliorum illuserunt, vel vi qvadam humana superiori, qvalis demum illa fuerit, adjuti fuerunt, vel deniqve ad aliqvam potius morbi speciem, qvam temperamenti bonitatem atqve gloriam, tota res illa refertur.

LXIX. Nunc deniqve his expeditis, tempus est, ut & Vavassorem nostrum audiamus, Is iñani certè & laboriosissimo conatu adversus hostile hoc argumentum in aciem procedit, conqvisitis undiqve telorum armorumqꝫ machinis: stud invasurus. *Verum tamen*, inqvit, c. III. §. 6. p. 93. *& hæc, qvæ multiplici conjectura elicuimus, ejusmodi qvæcunqve exprimere possumus disputando, labefactari arbitrantur adversarii enthymemate uno: Fuit Christus optima constitutione corporis, igitur pulcherrima specie.* In Enthymematis compen-

dium argumentationem nostram reducit, & integra parte sui truncat & qvasi decollat, ut longiori hasta conficere breviorem adversarium & victoriam de pygmæo facilius reportare possit Gigas. *Qvibus*, pergit, *antequam respondeam, adeoque ut respondeam, illud ab iis requiro, qvamnam optimam constitutionem velint corporis? Eamne, qvæ corpori ad exeqvendum munus suum idonea est, an qvæ ad propriam animæ functionem expetitur. Si prius; nihil video necessario junctum huic vel propius vel longius, nisi valetudinem aut sanitatem. Si posterius, nihil occurrit, qvod comitetur aut consequatur, nisi ingenium, sive docilitas, memoria, judicandi prudentia, qvæ uno ferè ingenii nomine appellantur. Pulchritudinem autem non magis conjunctam dixerim cum ista temperatione corporis, habituqve optimo, qvam cum sanitate & ingenio, aut qvam sunt hæc conjuncta inter se. Etenim neqve pulchritudo ullum habet cum ingenio commercium, nisi fortuitum; & si secerni non potest à valetudine, non hac contra valetudo neqvit carere, nec ista duo reciprocantur, ut, qvemadmodum si qvis pulcher est, valenti & firmo corpore esse debeat, ita, si valet, forma venusta esse debeat. Qvin etiam probè definitur à Gregorio Nazianzeno venustas membrorum inter se, sanitas, principium qvalitatum convenientia; qvorum neutrum alterum est, nec sequitur aut inferri potest ex altero.*

LXX. Nempe nondum respondet & tamen respondet. Adeò multitudine dicendorum

dorum obruitur. Non immeritò tamen omnem argumenti noſtri vim reſidere in definitione benè conſtituti corporis arbitratur. Qvod cum ab effectu ſeu à fine ſuo deſcribit, ut conſtitutio optima ſit, qvæ corpori vel ad exeqvendum munus ſuum idonea eſt, vel qvæ ad propriam animæ functionem expetitur, nobis, ut ex ſuperioribus patere poteſt, non eqvidem adverſatur, ab interiori tamen eſſentia ſua rectius ita definietur: vis naturæ, corpori inexiſtens, ſeu cauſæ ejusdem internæ, mediante optimo & æqvabili qvalitatum temperamento illud aptum atqve idoneum efficientes, ad omnia naturæ munia obeunda atqve exeqvenda. Cum itaqve qvicqvid naturale eſt, ab hac conſtitutione dependeat, fruſtra actiones iſtæ naturales, in qvantum nempe naturales ſunt & non à libera animæ potentia oriuntur, [qvo in cenſu judicandi prudentia ponitur] per disjunctionem divelluntur. Qvodcunqve enim inſtrumentum eſt omnium operationum corporis mixti ab eo non ſecluduntur operationes, qvæ animam afficiunt; qvamqvam in qvæſtione de pulchritudine, qvæ animam non attingit, illæ, ut ex ſe notum eſt, non attendantur, ſed eæ ſolummodo, qvæ corpus reſpiciunt. *At verò*, inqvit, *nihil video neceſſariò junctum huic, vel propius vel longius, niſi valetudinem aut ſanitatem.* Mirum eſt, id non videre Vavaſſorem, qvod videt univerſa Medicorum atqve Phyſicorum caterva! Naturam

ram effectricem esse omnium eorum effectuum, qvæ in corpore conspiciuntur, qvis, nisi ipsa Physices principia in dubium revocare velit, abnuere potest? Neqve enim dantur alia rerum naturalium principia & causæ, nisi materia & forma, qvæ uno veniunt naturæ complexu. Qvâ verò aliâ manu & ut ita loqvar, supellectili natura utitur, ad varias sibi proprietates & accidentia circumducenda, nisi temperamento? Aut qvis ex proprietatibus mixti corporis eximet pulchritudinem, qvæ tamen mixtum ita afficit, ut extra illud cum proprietate existere non possit? Aut deniqve, qvid est, qvod & formam & figuram & staturam & robur & colorum varietatem & adspectus suavitatem, & qvicqvid deniqve naturalium accidentium est in corpore humano, efficiat, nisi natura, animâ & corpore constans? Qvis pictor ille, qvi tam pulchrè pingit faciem humanam? Natura hic est. Qvinam penicillus? temperamentum. Aut tu mihi, qvod hactenus inauditum est, aliud qvid nomina. Valetudinem & sanitatem eqvidem inter cætera opera producit Natura, sed anne ideò cætera opera producit? A positione unius ad alterius remotionem illigitimè concluditur. Cum verò Vavassor hunc in modum argumentatur: *pulchritudinem non magis conjunctam dixerim cum istâ temperatione corporis, habituqve optimo, qvam cum sanitate & ingenio, aut qvam sunt hæc conjuncta inter se*; tum ideò fallit hæc colligendi ratio,

qvia

qvia pulchritudo conjuncta est temperiei corporis, ut causæ efficienti, sanitati autem & ingenio, ut co-effectis; sunt enim sanitas atqve pulchritudo sorores qvasi ejusdem matris. Qvemadmodum itaqve Tiria producere potest Sempronian, non productâ Liviâ: ita constitutio corporis seu natura efficere potest sanitatem, non effecta pulchritudine, vel pulchritudinem non effecta sanitate. Non diffiteor qvidem, optimam naturæ atqve temperamenti constitutionem, unum sine altero nunqvam producturam esse, si semper in suamet potestate esset, nec ab aliqvo extra se impediretur. Est enim è numero causarum naturalium, qvæ ubiqve secundum extremum virium suarum operantur, effectusqve infallibiliter, nisi aliqvid obstet, producunt. At qvod hodie, ubi temperamentum æqvale vel nullum vel in homine certè non datur, & si in comparatione loqvamur, etiam optimis temperamentis infinita ubiqve obstacula obviant, ea singula, qvibus producendis per se par est, haud efficit, sed in uno scopum suum attingit, ut cum hominem generat sanum, beneqve valentem, in altero autem deficit, ut cum deformem gignit vel alio vitio laborantem; in certè non arguit, temperamentum illorum omnium causam non esse, sed potius, ob intercedentia impedimenta vim causandi ubiqve exserere non posse. Qvod verum esse, inprimis adversus Vavassorem ita perspicuè ostenditur.

Con-

Concedit ille, sanitatem seu valetudinem ex optimo temperamento provenire. Et tamen, qvia valeludini pulchritudo non semper sociatur, negat, pulchritudinem ex eodem fonte profluere posse. At verò facile ostendo, non valetudinem ipsam valetudini semper conjungi. Fieri enim sæpissimè cernimus, ut qvi integro de cætero corpore optimè firmiterqve valet, laboret tamen vel aliqvando vel perpetuo pedibus, aut oculis, aut auribus, aut alia deniqve corporis parte. Vidi homines vel surdos vel surdastros, qvi vitam nunqvam labefactata totius reliqvi corporis valetudine in seros annos provexerunt. Qvi podagra laborant, non facile cum aliis morbiis luctari & præterea ad extremam senectutem vivere comperiuntur. Qvod si non obstante unius in corpore humano partis invaletudine, cæterarum tamen partium sanitas ex temperamento esse potest; qvidni, cum valetudini valetudo longè arctiori nexu, qvam valetudini pulchritudo copulatur, pariter aliqvando abesse è corpore pulchritudo, &, si tamen adsit, temperamento sese debere possit? Cum verò in Christi corpore, qvod omni peccati labe carebat, nullum ejusmodi, aut perexiguum impedimentum esse potuerit, natura mediante perfectissimo temperamento id egit, qvod, cum libera suiqve juris esset, agere poterat, id est, perfectiones omnes in corpore proprio naturales, neqve unam sine alterâ produxit. Deniqve

niqve cum secundum Gregorium Nazianzenum, venustas membrorum, sanitas qvalitatum convenientia sit; qvâ specie unum ex altero inferri negare potest Vavassor? Argumentor: Qvicqvid ipsa membra corporis humani format & efficit, id etiam aptam eorundem membrorum convenientiam, qvæ secundum Nazianzenum est pulchritudo. Qvi partes poculi inaurati conficit, annon & is ornatum iisdem artificiosum adfingit? Atqvi natura, ut totum hominem, ita omnia ejusdem membra fabricat. Cum enim monstrum aut monstrosum qvid generat, deficere à lege sua natura & aberrare dicitur. Ergo eadem natura aptam qvoqve membrorum convenientiam & dispositionem format; qvæ est ipsa pulchritudo.

LXXI. Qvamqvam verò, ut antea ad oculum ostendimus, tantus non sit inter ingenium hominis & corporis pulchritudinem nexus, qvantus est inter temperamentum & venustatem: neqvaqvam tamen Vavassori largiendum est, pulchritudinem nullum habere cum ingenio commercium, nisi fortuitum. Ratio est, qvia causa utriusqve & ingenii & pulchritudinis, temperamentum est, qvod cum naturali necessitate, nisi impediatnr, utrumqve efficiat, ultro patet, non fortuitum utriusqve, sed naturale atqve necessarium commercium esse. Ut clarius dicam, cum natura per temperamentum & ingenium & pulchritu-

chritudinem, qvantum in se est, annitatur pro-
ducere, & nisi aliqvid obstet, actu producat;
non fortuitam utriusqve consociationem, sed
à naturâ intentam & vel consilio qvasi ejus-
dem, si impediatur, vel actuali generatione
institutam esse, necesse est. Sunt enim utrius-
qve eædem causæ, & illæ qvidem non liberæ,
sed naturales. Qvare Medicis & iis, qvi natu-
ræ intimiora scrutantur, pulchritudo corporis
signum constituitur bonæ temperiei, qvod fieri
non posset, si nullum prorsus pulchritudini
cum temperamento, nisi fortuitum, esset com-
mercium. Non abs re erit, si, qvâ methodo
in demonstrando ex temperamenti qvalitate
ingenio & dignoscendo eodem ex corporis
pulchritudine, signisqve ejusmodi aliis, Medi-
corum Princeps, *Galenus*, lib. I. de Temper.
c. IX, seqq. & libro, qvod animi mores se-
qvantur temperamentum corporis, cap. IV.
procedat, qvasi in compendio repræsentemus,
qvæ prolixiori operâ exeqvitur curiosissimus
Medicus Hispanus, *Jan. Huardus*, in Scrutin.
Ing. c. XVII. Istac enim ratione præsens argu-
mentum adversus omnes dubitationes præ-
clarè munietur & qvam præcipiti audacia Va-
vasor pulchritudinem vel à temperamento ho-
minis vel ab ingenio divulserit, sole meridia-
no clarius apparebit. Itaqve ille ex omnibus
temperamentorum speciebus, unicum profite-
tur temperamentum esse, qvod hominem pru-
dentissimo omnium ingenio, qvale v. g. ad vi-
rum

rum in regio officio constitutum reqviritur, reddat, qvantum qvidem ejus per naturam fieri ullo modo potest. *Atqve in eo*, Huardi verbis ex ore Æschacii Majoris loqvor, *primæ qvalitates in tali invicem existunt æqvilibrio, aut nec caliditas humidum, nec frigiditas siccum excedat: qvin potius tantam inter se æqvalitatem conformitatemq; habent, ac si revera contraria sibi non essent, neq; oppositionem naturalem ullam haberent.* (Qvod secundum fidei nostræ analogiam, de æqvalitate non omnimodâ, qvippe qvæ immortalitatem necessariò inferret, cum ubi nulla prorsus est in temperamento pugna, ibi nec mixti potest esse interitus; sed in præsenti vitâ post lapsum possibili, τῶν ἐνδεχομένων, ut Aristoteles loqvitur, βελτίστη καὶ τελειοτάτη, intelligendum est) *Unde resultat qvodpiam instrumentum operationibus animæ rationalis adeò accommodatum ut homo & perfectâ memoriâ abundet in retinendis rebus præteritis, & ingenti imaginativâ polleat, in prospiciendo eo, qvod futurum est, ut subtili ingenio in distinguendo, inferendo, ratiocinando, eligendo, judicando de re aliqvâ præsente excellat. Reliqvarum omnium ingenii specierum, nulla integram perfectionem habet. Qvod si enim insigni qvis intellectu excellit, ob multam siccitatem, qvâ abundat, scientias ad imaginativam & memoriam pertinentes capere non potest. Si ingenti imaginativâ valet, ob multum calorem inhabilis est ad reliqvas intellectus & memoriæ scientias. Si memoriâ abundat, ob copiosam humiditatem, inhabiles sunt memorioſi ad qvascung; scien-*

tias. Sola illa ingenii species, qvam hic venamur, indagamusq;, ea ipsa est, qvæ omnibus omninò artibus certâ qvadam proportione respondet. Veritatem verò hujus asserti inde comprobat, qvod in temperatissimâ Galeni judicio regione, Græciâ, excellentissima qvævis ingenia, Socrates, Plato, Aristoteles, Hippocrates, Galenus, Theophrastus, Demosthenes, Homerus, Thales, Diogenes, Solon, & infiniti alii, nata fuerint, Græciqve eam ob causam alios omnes habuerint pro barbaris, adeò ut dixerit Plato: *extra Græciam ne qvidem per somnium collubitum fuisse naturæ facere hominem prorsus temperatum, ac qvi ingenio tali præditus esset, qvale omnes atq; universæ scientiæ requirunt.* Cumqve Anacharsis Scytha admirabili inter Græcos ingenio polleret, rixareturq; alius cum eo aliqvando Philosophus, Athenis natus, eiqve diceret: *redi in barbariam tuam* ei responderit Anacharsis: *Patria mihi dedecori est, tu verò patriæ:* qvasi diceret; qvam Scythia sit regio intemperata, unde tot prodeunt stupidi; ego sapiens ibi natus sum: tu verò natus Athenis, urbe ingeniorum ac sapientiæ velut obstetrice, nonnisi Asinus es. Neqve verò negari potest, qvamqvam & alibi sapientes atqve ingeniosi extiterint, naturâ qvasi vires suas superante, eos tamen, si Philosophi sint, ad Platonis Aristotelisve excellentiam, haud qvaqvam accedere; sin medici, ab Hippocratis & Galeni subtilitate longè abesse; sin oratores Demosthenis præstantiam nullatenus æqvare; sin Poetæ, Homeri

ele-

elegantiæ paria non facere. *Et ego*, ait Huardus, *in totâ Hiſpaniâ, regione non admodum intemperatâ, utut curiosè ſolliciteqve boni ingenii ſpecimen indagaverim, nonniſi unicum tamen ſolum ejus exemplum hactenus invenire potui.* Tum verò his ita poſitis ad temperamenti pariter atqve ingenii talis ſigna & χειτήρια progreditur, qvæ ferè ſunt illa: Primò; ſi qvis comam alat ſubrubeam, hoc eſt, coloris ex albo rufoqve miſti, ut qvo magis ætate adoleſcit, eò color capillorum ad rubedinem propius vergat. Cauſa enim materialis, unde capillus fit, prout Medici tradunt, eſt vapor qvidam craſſus, qvi elevatur ex coctione, qvam cerebrum nutritionis tempore operatur. Ac qvalis eſt iſtius membri color, ſimilem etiam excrementa ejusmodi repræſentant. Secundo, ſi ſit pulcher & formoſus, ſereni vultus, gratioſus ac delectabilis, adeo, ut vel ſolus ejus aſpectus viſum intuentium recreet, gaudioqve afficiat, tanqvam figura aliqva, cui ſumma perfectio conſtet. Qvo & ſtaturam refert, qvæ, qvamqvam per naturam non ſit determinata aut limitata, qvippe qvæ & magnæ & parvæ & mediocris ſtaturæ eſſe poſſit, prout qvantitas ſeminis temperati formationis tempore vel magna vel parva vel mediocris fuerit, qvantum tamen ad ingenium, meliorem eſſe mediocrem docet, qvam vel magnam vel parvam. Tertio, ſi qvis virtute & bonis moribus præditus ſit.

Malum enim & vitiosum inde nasci tradit, qvod homo intemperatâ aliqvâ qvalitate laborat, qvæ ipsum ad peccandum irritat; qvi si operari secundum virtutem debeat, necessariò opus habeat, ut prius inclinationi suæ naturali resistat. Eum verò, qvi perfectè temperatus fuerit, labore isto ac diligentiâ supersedere posse. Qvarto, ut semper hi tales sani, nunqvam ægroti sint. Qvamqvam autem hac in parte Galenum refellat Huardus, negans ex temperamenti æqvalitate corporis sanitatem provenire posse, cum nonnullorum in corpore humano membrorum ea sit indoles atqve natura, ut necessario difformi gaudeant temperamento, ex. gr. cor summè calido, qvod si absit, membrorum istorum interitus citra dubium sequatur, veluti cum calor cordis aut cerebri frigus remittitur & debilitatur, sanitatem tamen ex temperamento, qvalecunqve demum illud sit, [qvod ideo nos in superioribus Geometricè potius qvam Arithmeticè æqvale reqvisivimus] originem habere non inficiatur. Qvinto, si vivaces tales sint & longævi, qvippe potentes admodum aptiqve, ad resistendum causis omnibus atqve occasionibus, qvibus in morbos homines incidunt. Ubi tamen suo genio, [qvod, qvoties in S. Literarum testimonia incidit, facit] indulget Huardus, cum huc applicat dictum, Psalm. XC, 10. 11. *Dies annorum nostro-*

strorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni. Qvasi dicere voluerit David, vel Moses potius: *Numerus annorum, qvos regulariter attingunt homines, ad septuaginta usq; protenditur, ac si magnates, octoginta exigunt, transilientes regularem terminum veluti moriundo vivunt. Magnates verò appellat eos, qvi hoc temperamento, qvod diximus, pollent. Qvippe fortius, qvam alii omnes, resistunt causis illis, qvi vitam hominis abbreviant.* Qvamqvam & Bellarminus testetur, de fortitudine complexionis, vel de constitutione naturali validâ & qvasi compactâ, adversus morborum mortisve impetum, hunc locum omnes interpretes accepisse. Deniqve sextò, si hi tales prudentissimi sint, ingenti memoriâ præditi in retinendis rebus præteritis, forti imaginativâ instructi ad prævidenda futura, ac insigni intellectu præstantes ad cognoscendam præsenter omnium rerum veritatem. Hactenus ille.

LXXII. Ubi operæ precium est observari, I. Provocare Huardum ad communem Medicorum atqve Physicorum doctrinam: temperamentum nempe instrumentum esse fabricandarum omnium earum rerum, qvæ homini naturaliter, ut corpus mixtum est, accidunt, etiam ipsius ingenii, in qvantum nempe inclinationem & aptitudinem dicit naturalem, res extra sese intelligendi atqve comprehendendi. Prout enim Galenus ipsummet etiam ingenii exercitium actuale

in intelligendo, discurrendo, volendo, hæc, non illa, vel illa, non hæc, qvæ libetè ab animâ, tanqvam ab adæqvato principio, sine ulla ad temperamentum ordinatione aut dependentiâ causali proveniunt, occupatum, temperamenti dominatui subjicit, partim ab ipso Huardo, [qvamqvam, ut ex signis haud obscuris conjecto, metu potius inqvisitionis, qvam veritatis intra mentem suam persuasione] deseritur, partim ab aliis passim refutatur. Qvo magis mirandum est, Vavassorem nihil videre potuisse necessariò junctum temperamento vel propius vel longius, nisi valetudinem aut sanitatem. Idem Huardus, in fronte operis sui, p. 17. *Unanimis est*, ait, *omnium medicorum sententia, perfectam hominis salutem*, [qvæ non sola sanitate absolvitur] *in temperata primarum qvatuor qvalitatum commissione, ceu cardine qvodam, verti: ubi nimirum nec calor frigiditatem, nec humor siccitatem exsuperet. A qvâ aqvabilitate, si vel tantillum deflectat, fieri per naturam non posse, ut æqvè rectè, prout ante solebat, opera sua expediat: Ratio ejus rei manifesta est, qvod, uti homo æqvali hujusmodi temperamento qvalitatum mediante perfectè operatur, ita contra ab intemperie, tanqvam boni temperamenti contrario oppositio, necessario in operationibus lædatur.* Deinde cap. IV. ostendit, qvamqvam natura dicatur vulgò habile facere mixtum ad edendas omnes actiones, illa verò alias Aristoteli cum reliqva Physi-

Physicorum turba formam notet substantialem, qvæ det esse rei, ac sit principium omnium suorum operum; hic tamen, ubi de habilitatione sermo est, cum omnes animæ hominum, tanqvam formæ eorundem, ejusdem perfectionis sint, non habito nec fatui nec prudentis discrimine, adeoqve, nisi aliud qvid intercedat, similia prorsus ingenia effectura, acceptam ab ipsis esse, pro temperamento calidi, humidi, frigidi, sicci; eò qvod ab hoc temperamento omnis hominum promptitudo atqve ipsa tanta, qvam videmus, ingeniorum, diversitas oriatur. Qvod cum ratione ab ætatis humanæ differentiis; qvæ singulæ singula, sibiqve prorsus contraria, reqvirant & sortiantur temperamenta, desumpta roborasset, experientiam in testem advocat, atqve ita infit: *Ac confirmat id porrò ipsa experientia, qvæ ingens discrimen Græcorum à Scythis, Gallorum ab Hispanis, Judæorum à Germanis, Æthiopum ab Anglis qvotidie nobis ostendit. Nec est, qvod ita longè abeamus, ac ipsas regiones usqve adeò procul à se dissitas invicem comparemus; qvin si vel solas Hispaniæ provincias invicem conferimus, facile nobis exempla vitiorum ac virtutum in ipsis indigenis patebunt, si unicuiq; regioni naturales qvasi suas virtutes, ingenitaq; vitia adscribemus. Ita si diversa ingenia, diversiqve moreis Gothalanorum, Valentinorum, Murcianorum, Granatensium, Bæticorum, Estremeniorum, Lusitanorum, Gallicorum, Asturianorum, Montanorum, Carthaginensium, Navarreorum,*

rum, Arragonum atq; illorum in ipso Castellani regni meditullio degentium populorum naturam expendimus: quis non videt multum eos differre inter se, non modo facie, ac habitudine corporis, sed & virtutibus animi & vitiis? Id quod totum inde nascitur, quod unaquæq; provincia particulari ac differente suo temperamento gaudet. Neque id morum discrimen dissitas tantum inter gentes obtinet, sed & iis solenne est, qui vix una, eaque ipsa breviuscula leuca ab se invicem distant, quorum inter ingenia tanta est differentia, ut & fidem superet.

LXXIII. Observo II. ex eodem temperamento in specie quoque pulchritudinem deduxisse Galenum. Quâ in parte eundem præivit Philosophorum Aquila, Aristoteles, qui Sect. XIV. Probl. I. quærit: *cur efferis & moribus & adspectibus*: [τὰ ἤθη ex ingenio, αἱ ὄψεις ex forma ortum trahunt] *qui in nimio vel æstu vel frigore colunt?* & respondet: *optima temperies* καὶ τῇ διανοίᾳ, *etiam animo prodest*; (quasi extra controversiam poneret, corpori ad adspectum prodesse) *Excessus autem omnes dimovent, & ut corporis ita etiam mentis temperamentum pervertunt.* Quemadmodum Scythæ & à turpitudine formæ & à morum immanitate; Græci & à formæ elegantia & ab ingenii sublimitate laudantur. *Et ratio*, ait Huardus, *est manifestissima; quoniam si natura multum virium roboris q; habet, ac semine bene cocto digestog; abundat, semper ex ordine rerum, quæ productu ipsi possibiles sunt, eas operatur atq; efficit, quæ quam optimæ ac perfectissimæ in suo genere sunt.*

Cæ-

Cæterum, [respondet ad objectionem: ista duo non reciprocantur, si qvis pulcher est, ut valenti & firmo corpore sit, aut si valet, formâ venusta est] *ubi superari vires suas animadvertit, sæpenumero omne suum studium laboremqve in sola cerebri formatione collocat, qvoniam illud rationalis animæ principalis sedes est, atqve id studet, ut defectus in reliqvis potius corporis partibus resideat. Unde videmus multos externa qvidem specie admodum deformes ac velut inconcinnos, cæterum ingenio qvam subtilissimos esse.* Agesilaum, Regem Spartanorum, auctor est Plutarchus, admodum parvæ staturæ fuisse hominem, ut & forma informem, ita tamen se gessisse, ut ab omnibus in summa etiam senectute ardentissimè diligeretur, reiqve publicæ magno & ornamento & emolumento esset. De Ulysse refert Poëta:

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Nempe defecerat naturam vel materia, vel deerant alia, qvæ ad tantarum rerum generationem necessaria erant: maluit itaqve, dum impedita omnes suas vires exerere & prodigere omnes divitias haud potuit, in meliori parte, mente, qvam corpore exornando, qvod tamen nec ipsum liberalitate sua destituisset, nisi via ei fuisset præclusa, occupari. De cætero enim & secundum consvetum naturæ ordinem duo isthæc conjuncta esse, & pulchritudinem ingenii bonitatem atqve amœnitatem arguere, moratissimis qvibusvis gentibus persuasum fuit: qvæ ideo in Rege eligendo ad

pulchritudinem qvoqve corporis respexerunt, rati, ut Dius Pythagoricus apud Stobæum ait, Serm. LXIII. *Augustam Regis personam augustam decere faciem, cum revendum qvid & admiratione dignum continere videatur pulchritudo.* Qvam in rem priori capite plura à nobis sunt in medium allata. Deniqve haud video, qvodmodo è contradictione se possit extricare Vavassor, qvi hic omne pulchritudinis cum temperamento atqve sanitate commercium διαῤῥήδην negat & tamen alibi, utpote cap. I. §. 5. p. 30. haud minus apertè scribit: *è constitutione corporis, tanqvam ex causâ interiore & proxima, nasci varietates dissimilitudinesqve formarum qveunt.*

LXXIV. Observo deniqve III. Galeni doctrinam de temperamenti æqvalitate atqve signis ejusdem Huardum cum exemplo Davidis, tum Servatoris nostri prolixè comprobare, & in Christo cumprimis singularem corporis pulchritudinem advertere. Sed verò de fundamentis ejusdem, cujus sint ponderis, alio nobis loco dispiciendum est.

LXXV. Nunc verò aurem Vavassori iterum præbebimus, percepturi, qvo pacto dictata sua amplioribus ratiociniis confirmet? *Præterea*, inqvit, *qvis scit, an optima affectio corporis ipsi corpori & animo una eademq; congruat? Immo verò qvis ignorat, dissimili ac sæpe contrario modo, has hominis partes duas effici, qvæ tantum inter se distent, tam disparibus muneribus fungantur, ut minimè mirum*

rum sit, si distortissimi qvidam ingenioſi; alii formoſissimi tardi atqve hebetes reperiantur? Certe si est, qvæ debetur, Aristoteli fides, qvæ bile abundant & melancholia, excellunt qvidem mentis viribus; qvi sunt aliter temperati natura, corporis mole & lacertis & reliqvis membrorum facultatibus pollent. Qvod si adeò per diversas, qvas diversa cujusqve natura postulat, affectiones maximæ corporis & animi laudes consociari non qveunt; cui dubium est, qvin has illis Christus longè antepoſuerit, malueritqve vi & virtute intelligendi & sapientia, qvam specie vultus & colore præstare.

LXXVI. Sed hæc exiis, qvæ à nobis dicta sunt, sine difficultate disſipantur. Corpori animoqve unam eandemqve affectionem optimam optimè congruere, Aristotelem, si ei, qvæ debetur, fides est, paulò ante adduximus asſeveranrem: ἡ γὰρ ἀρίστη κρᾶσις καὶ τῇ διανοίᾳ συμφέρει. Et qvis dubitare potest? An enim indivulſi illi & plusqvam familiarisſimi amici tantâ inter se naturarum disſidebunt diverſitate, ut contrariis affectionibus vel delectentur, vel contrarias reqvirant? Ne qvidem illos, qvi hominem in puris, ut loqvuntur, naturalibus conditum, odia bellaqve adverſus semetipſum, niſi imaginis Divinæ freno coërceretur agitasſe contendunt, remiſſurum fuiſſe qvidpiam de pugnæ iſtius acerbitate negabunt, si in majori æqvilibrio qvalitates primæ aut conſtitiſſent aut conſtare potuiſſent.

Nam

Nam ex qvalitatum difformitate fatentur rixas istas fuisse exortas. Qvid verò hodie animum hominis magis turbat & operationes earundemqve tranqvillitatem fortius distrahit, qvam corporis, ex temperamenti morbis prognatæ, passiones atqve dolores? Neqve verò hanc corporis atqve animi tam arctam amicitiam divellunt eorum exempla, qvi cum corpore pessimè sese habuerint, animi tamen operationibus atqve donis excelluerunt: Distinguenda enim sunt ea, qvæ fiunt per se, ab iis, qvæ per accidens contingunt. Natura eqvidem, ut in antecedentibus demonstratum est, utrumqve nobilitatis genus, ingenii atqve pulchritudinis elegantiam ubiqve intendit, per accidens verò est, qvod non ubiqve assequitur. Aliqvando in materia vel hac aut illa materiæ parte causæ latent, qvæ temperamentum pulchritudinem efformare haud permittunt; aliqvando aliæ subsunt materiæ particulis causæ, qvæ obstant, qvo minus ingenii acumen ex naturæ & temperamenti actione possit nasci. Cum itaqve v. g. ob materiæ paucitatem corpus ad justam staturam provehere non potest natura, sed infra mediocritatem cogitur subsistere, tum in animo elaborando eò ardentius occupatur, fitqve, ut Papinius canit, ut

Major in exiguo confistat pectore virtus.

Qvemadmodum & de apibus, minimo scilicet atqve abjectissimo animalculo, alius Poëta scribit:

Ingen-

Ingentes animos angusto in pectore versant

Cum verò materiæ qvasi multitudine & copiâ obruitur, vires ejus in laborando animi robore veluti hebescunt. Nonnunqvam magno corpori majorem spiritum, si nempe de cætero nihil impediat, infundit. Qvare mirum non est, si distortissimi qvivis aliqvando sint ingeniosi, natura ingenio addente, qvod membris negavit; ex qvo tamen inferre haudqvaqvam licet, ordinariè & ex naturæ intentione iis ipsis, qvi distorto sunt corpore, bonoqve ingenio, jucunda qvoqve & pulchra corpora destinata nunqvam fuisse; sed potius ita concludendum est: Natura, ubi ex qvacunqve causa in materia latente impeditur, ingenium acutum sine pulchro corpore producit: Ergo, ubi non impeditur, utrumqve simul producit. Jam verò in Christi corpore, ipsa Spiritus S. manu immediatè formato, nihil erat, qvod impedire poterat. Ergo utrumqve produxit, & ingenium scilicet excellens & egregiam corporis venustatem. Deniqve inæqvalia hodie temperamenta inæqvales qvoqve effectus producere, & pro diversa contemperatione vel ingenia acuere vel faciem cohonestare, vel lacertos robore induere nemo ibit inficias, ex qvo tamen perperam colligitur: optima & æqvalia temperamenta non progenerare optimos qvosqve ingeniorum & formarum effectus. Qvam in rem conferenda sunt, qvæ in superioribus ex Galeni

leni atqve cæterorum Medicorum sententiâ disputavimus. Qvid verò obstat, qvo minus argumento Vavassoris, ultimis verbis contento, per retorsionem qvandam isthunc in modum uti qveamus? Qvod si adeò per diversas, qvas diversa cujusqve natura postulat, affectiones, maximæ corporis & animi laudes, consociari nisi in iis, haud possunt, qvi beneficio imaginis Divinæ contemperatissimam qvalitatum in corpore suo harmoniam acceperunt: cui dubium est, qvin Christus nulla creaturarum, adeoqve nec primis nostris parentibus, hac in re inferior fuerit, malueritqve, cum & vi atqve virtute intelligendi, & specie vultus atqve colore præstare potuerit, utroqve clarescere, qvam unum præ altero vel amplecti vel aspernari?

LXXVII. Nihil itaqve effecit conatu contra nos suo Vavassor, nec majore successu arma sua expedit, cum insurgit: *Jam id, si ita est, qvod adversarii volunt, optimè constitutus sit idem pulcherrimus; differi non debent, qvod est, consequens, qvin, qvo qvisqve meliore constitutione fuerit, eò formâ futurus sit meliore. Atqve qvam sit istud falsum, vel oculis qvotidie videmus in mulieribus, qvas esse natura voluit pulchritudine qvidem sine controversia superiores viris, temperaturæ verò & habitudinis bonitate inferiores. Declarant hoc posterius plura genera morborum, qvibus tentantur, crebriores offensiones valetudinis, minora corpora, celerior senectus, brevior vita. Itaqve illud Philosophi*

scitum

scitum est, dicentis, esse fœminam ὥσπερ ἄρρεν πεπηρωμένον, hoc est, marem qvodammodo mancum, neqve partibus omnibus suis absolutum. Nec admonent nos tantum mulieres, sed pueri etiam atqve adolescentes, homines, qvorum forma tum maximè viget, cuus adhuc abest maturitas ætatis, optimæ constitutioni corporis excellentem pulchritudinem non continuò respondere ex æqvo, neqve huic necessariò comitari, aut inde existere.

LXXVIII. Duplicem hic nobis instantiam objectat, qvarum prior à mulieribus, à pueris altera & adolescentibus desumpta est, qvi cum minus, qvam viri sint temperati, magis tamen qvam hi inveniantur pulchri. Ad qvod ut respodeamus, secernere ante omnia à mulieribus oportet adolescentes. Illarum venustatem qvi neget à temperamenti bonitate esse', is cum communi Medicorum asserto bellum gerat necesse est, qvi inter signa bonæ temperiei & faciei pulchritudinem, [nisi illa per morbum qvendam videatur potius, qvam sit talis] & colorum suavitatem qvadam consensione hactenus numerarunt. Qvod si à formâ suâ incipiant descisere & vel in nimium faciei pallorem atqve maciem, prominentibus undiqve ossiculorum extremitatibus, mutari vel in rugas contrahi, debilitati vel vitio infecti temperamenti exploratissimum indicium esse judicatur: qvis itaqve, contrariorum id flagitante naturâ, dubitabit, temperamenti bonitati venustatem earundem acceptam ferendam esse?

Sed,

Sed, ais, pulchriores sunt viris & tamen minus, temperatæ. Dico diversum qvasi genus esse pulchritudinem virilem & muliebrem. Non semper, ubi videntur mulieres viros pulchritudine vincere, statim reapsa vincunt. Sæpe sub vittarum & redimiculorum & tæniarum & fimbriarum & capillamentorum ornamentis minor longè delitescit forma, qvam adspicientibus apparet. Virorum verò decor, qvi sæpe, cum exqvisitior est, conspectui tamen non patet, intra cultum eorundem neglectum occultatur. Cæterum si viri eo pulchritudinis genere, qvo mulieres, inclarescunt, pulchri non sunt, cum, sicut iidem mores mulieribus atqve viris non conveniunt, ita nec eadem pulchritudo. Ut venustas illa mulierum mollis atqve delicata, molle viciſſim atqve delicatum: ita virorum gravis & seria grave seriumqve prodit temperamentum. Deniqve ut sanitas corporis, qvæ qvoad internum principium à solo temperamento dependet, conservatur tamen per externa medicamenta: ita & mulierum venustas à cultu delicatiori, qvæ, dum viri aëris injuriis à juventute exponuntur, modo à pluviarum inundationibus probè probèqve deliniuntur, modo à solis ardore veluti tosti cremantur, formæqve decus sponte prodigunt, intra cubiculorum suorum arqve culinarum penetralia se qvotidie lavant, pectunt comuntqve, & si aliqvando in severiorem auram procedunt, umbellis se & nescio

qvibus

qvibus clypeis contra solis æstus muniunt. Id ni fecerint, qvantillo temporis spatio universarum pulchritudinis deliciarum jacturam adeo deplorandam faciunt, ut viris, etiam in extrema senecta constitutis, comparatæ, formæ palmam cedant. Qvid enim anu decrepita sqvalore metuenda deformius? Itaqve dubitandum non est, si qvi fuerint viri temperatioris qvam mulieres naturæ, eos ad majorem etiam qvam istas formæ elegantiam assurrecturos esse, si eadem curatione, id qvod natura ipsis offert, complecterentur; qvod vero vulgo infra mulierum formositatem subsideant, causam esse, qvod formam neglectui habuerint & liberalis naturæ munus vi qvadam exteriori è corpore suo expulerint; cui conservando, ut nocte dieqve invigilent mulierculæ, innato qvasi instinctu compelluntur. Qvare limitanda est propositio nobis oppositа hunc in modum: Qvo qvisqve meliore est temperamenti constitutione, eo forma futurus est meliore, nisi internæ operationi externa violentia resistatur. Ut in simili diceres: Qvo qvis artifex meliore est ingenio & accuratione artis notitia, eo artificiosius opus effecturus est, nisi vel actionem ejus, vel opus ipsum audax aliqva manus polluat, &, v. g. picturam affabrè factam litura inducat & fœdè commaculet. Etsi vero negare nolim, meliore, ut plurimum temperamento gaudere mares, qvam fœminas, non existimo tamen, rationes

Vasſoris hoc validè concludere : cum pleriqve mulierum morbi, infirmior valetudo atqve celerior ſenectus ab externis oriantur offenſionibus, inprimis partus laboribus atqve doloribus, qvibus mirum non eſt, temperamenti vires ita exhauriri, ut ante annos ſeneſcant. Qvamqvam nec hoc perpetuum eſſe, experientia, qvâ ætatem mulieres eousqve producere comperiuntur, ut Æneæ temporibus vixiſſe jurares, non raro demonſtrat. Jam vero in pueris atqve adoleſcentibus temperamentum qvamqvam non ex omni parte perfectum ponant Medici, eas tamen in iſto temperamento laudant qvalitates, qvæ in difformi temperamento, partibus corporis fingendis atqve colorandis præ cæteris ſunt idoneæ. Eſt enim juxta communem ſententiam pueritia calida & humida, adoleſcentia temperatior, juventus calida ac ſicca, virilis ætas temperata ſecundum calorem ac frigiditatem, intemperata juxta ſiccitatem, ſenecta vero prorſum ſicca frigidaqve eſt. Qvis autem non videt, ut calorem colorum adſpectusqve ſvavitatem, ita moderatam frigiditatem proportionem membris corporis atqve lævitatem adfundere? Limus cum convenienti humiditate imbutus eſt, à figulo formari pro arbitrio poteſt, qvi, ſi durus ſiccusqꝫ ſit, vaſa inde informia inconcinnaqve oriuntur. Unde raro admodum calidi ſicciqve emergere ſolent pulchri, ſed ferè ac regulariter deformes. *Calor enim*

enim immoderatus corpora animatorum depravat atqve contorqvet, ut de Æthiopum & Ægyptiorum blæsis pedibus loqvitur Aristoteles, Sect. XIV. Probl. IV. Qvod verò de mulieribus diximus, naturam adjuvari ab arte & culturâ externâ, id patiter de pueris atqve adolescentibus verum est, in qvos non natura tantum sua munera largâ copiâ profundit, sed matrum etiam cura ea in filiorum corporibus sollicitè conservat & ornat. Qvod vel inde palam est, qvia nonnulli maturius, nonnulli serius his tam delicatis formæ voluptatibus orbantur, prout è sinu qvasi materna citius tardiusqve evolant; cum Principum Regumqve Filii, molliter diu habiti, compti compositiqve ad longos annos perseverent. Has itaqve formæ illecebras cum provectiore tempore exuunt, externis potius qvam internis causis corrumpentibus universa isthæc mutatio adscribenda est. Tandem, ut inter virilem atqve muliebrem, ita & inter puerilem atqve virilem formam id est discrimen, ut ratione bonitatis inter se absolutè & citra respectum non possint comparari. Ut enim natura princeps, ita & temperamentum eam cuilibet mixto tribuit perfectionem, qvæ statui ipsius convenit, nec rectè ageret, si vel pueris virilem vel viris puerilem indueret formam, qvia neqꝫ virilis pueris & adolescentibus, neqve puerilis viris bona esset aut dici deberet. Qvamobrem denuò objectum nobis principium hoc pacto limitandum est: Qvo-

qvisqve meliore est constitutione, eo forma futurus est meliore ei, in qva versatur, ætati competente. Nempe, qvo qvisqve meliore est constitutione in pueritia, eo meliore forma est puerili; qvo qvisqve meliore temperamento est in ætate virili, [qvippe qvod, cum ex ephebis excedit homo, sæpe mutatur, atqve cum eo simul formæ venustas] eo meliore forma est virili, & sic porro. Qva ratione nihil prorsus est, qvod sententiæ nostræ adversatur.

LXXIX. Seqvamur vero Vavassorem, qvidqve ille in argumento nostro amplius desideret, excipiamus. *Sed*, ait, *heus tu, qvi Physicis rationibus formam Christo, qvam potes, optimam conficis, velim mihi respondeas, qvibus eum lacertis, qva firmitate laterum, qvo robore totius corporis putes fuisse? Non gladiatorio, non Gigantino, non inter omnes valentissimo. Qvid enim attinuit, vires agrestes & horridas habere, ac tamen exsuperare corpulentia, qvi mente & consilio potius, qvam manu res Divinas ac Paternas administraret? At cum ex ejus optima constitutione corporis pulcherrimum illum non modo suorum fuisse, sed etiam omnium concludas; qvoniam qvidem ista vis argumenti huc pertinet, tamqve latè patet: cur non æqvè ista ratione ex eadem aptissima compositione membrorum robustissimum fuisse mortalium infers? Atqve hoc etiam magis in viribus, qvam in forma, valet, meliusqve perspici potest, qvod vires naturam seqvantur, & in qvo sitæ sint, cuncti*

cuncti consentiant: formæ bonum prope totum opinabile sit, habitumque aliud aliis temporibus, diversum diversis locis. Quis non miretur, Romanas quondam mulieres in pulchritudinis parte comæ numerasse nigriciem, nunc rufis capillis mirificè delectari, cum nostrates & nigro aliquid pulchrius existiment & rufo nihil tetrius esse ducant, pejusque oderint? Sicut ergo malè colligas, quo optimè constituti sint, eosdem esse iccirco fortissimos; propterea quod extra æquabilem & temperatum primarum qualitatum modum, opus sit ad robur nervis firmissimis, ossibus præduris, compactis artubus, aptis commissuris & similibus: ita neque quam eadem norma & regula pulchritudinem metiare ac spectes, quæ amplius quiddam, quam bonam corporis constitutionem, sive naturale & certum omnium sive arbitrarium & pro opinione diversarum gentium varium, requirat.

LXXX. Nervus oppositionis est, si ex temperamenti bonitate oriatur pulchritudo formæ, longè majori jure oriri robur corporis & firmitatem ejusdem, quippe magis cum pulchritudine connexam, quam venustatem, quæ tota ferè in opinione consistat. Sed vero hæc exceptio, quantumvis specioſa, multis modis fallit, quod particulatim demonstro. I. Ostensum est supra, temperamentum non esse organum particulare, unius tantum alteriusque in corpore mixto effectus, sed universale omnium eorum, quæ à mixto, ut mixtum est, naturaliter progredi-

untur. Qvicqvid itaqve actionum materialium in homine vel ab homine est, id ab animâ, tanqvam formâ ejus, emanat, [nisi forte ad primam supraqve naturam positam causam, cum vulgo recurrere velis] qvæ tamen effectus à se oriundos non immediatè, sed mediante qvalitatum temperaturâ, tanqvam instrumento, producit. Qvomodo enim, verbi causâ lacertis fortitudinem imprimere posset, nisi beneficio qvalitatum ita elaboraret nervi glutinosam materiam, ut pro usu vel relaxari, qvod ex calore & humiditate provenit, vel adstringi, qvod ex frigore atqve siccitate, facile posset? Aut qva ratione pulchritudinem infundere membris, nisi per instrumenta isthæc habilia redderentur ad proportionem atqve colorem recipiendum? cum, in qvæ membra v. g. calor penetrare ob obstructos aditus neqvit, gratia coloris illicò emoriatur. Cum itaqve natura per temperamentum omnia ista, qvæ materialia sunt, seu materiæ inhærent, peragat, dubitare fas non est, æqvè robur corporis ac pulchritudinem, & pulchritudinem æqvè ac corporis robur, non unum præ altero, aut unum magis qvam alterum, efficere, cum utrumqve æqvè materiæ intimè immersum, & utriusqve æqvè immediate causa principalis sit natura, instrumentalis autem temperamentum. Ut adeò frustra, institutâ inter hæc duo comparatione, unum in conseqvendi ex temperamento fluxu, ut ita loqvar, alteri præferatur.

tur. Neqve II. inæqvalitatem hanc evincit ea inter pulchritudinem & robur corporis differentia, qvod ista magis in opinione qvam hæc consistat. Hæc enim comparatio impropria est, cum neqve pulchritudo neqve robur corporis verè proprieqve in opinione unqvam constiterit. Pulchritudinem qvalitatem esse, omnes confitentur; qvalitatem realem esse nemo negat. Rem ipsam in rerum naturâ inveniri, omnes cernimus, qvamqvam qvâ in re propriè consistat, qvæ eandem absolvant, opiniones varient. Nivem & esse & esse albam, oculi nos credere cogunt, qvamqvam non una sit opinio, utrum albedo illa lux sit an color? Præterea non tam opinionis est, qvid pulchritudo in se sit, qvâ in parte omnes conspirant, esse vel qvalitatem vel qvalitatum harmoniam, ex legitima membrorum & colorum & lineamentorum inter se proportione ortam, qvam qvæ lineamentorum & colorum proportio in specie qvam aptissima sit huic vel illi corpori mixto? Qvod Romanis qvondam mulieribus in venustatis parte numerata fuerit comæ nigricies, qvæ aliis fœda & turpis est, id non arguit, pulchritudinem ferè totam opinabilem esse, cum comarum & cincinnorum decor non ad internam corporis pulchritudinem, sed exteriorem spectet & jam supra fassi simus, multum juris in hæc talia esse opinioni, cum nonnunqvam naturale discrimen non ita apertum & manifestum sit & qvilibet sensu suo sine dispendio regularum rationis

abundare posſit. Ponamus deniqve, totum hoc bonum opinabile eſſe, an ideo minus ex temperamento, qvam corporis robur, orietur? An nigræ comæ ideo non referent originem ſuam ad temperamenti qvalitatem, qvia qvibusdam illæ habentur pulchræ, nonnulliis deformes? Aut qvis unqvam dubitavit, crinium colorem varium ex vario temperamento eſſe? Nec Vavaſſor ipſe omnem pulchritudinis rationem opinioni tribuit, qvam, etſi non ſummam, Servatori noſtro pariter vindicat, ſed hic tantum minus, qvam eſt robur corporis, realem eſſe fingit, ut minus illa ideò ex temperamento videatur conſeqvi; qvod tamen, qvam falſum ſit, ex dictis evidenter patet. Sed qvicqvid ſit de iſtis, conſtat tamen, ais, exemplo nobis oppoſito, ut ex optima temperamenti perfectione non illico conſeqvitur ſummum robur, ita nec ſummam pulchritudinem. Qvo ipſo conſeqventiæ à nobis jactatæ luxantur nervi, pereunt vires. Huic itaqve morbo, III. ex ipſo Vavaſſore facile medebimur, ſi dicamus, ut ad lacertorum robur non ſufficit primarum qualitatum conſenſio, ſed opus eſt materiæ abundante copiâ: ita ad pulchritudinem non ſatis eſſe, ut qvalitates primæ amicisſimè inter ſe conſpirent, ſed reqviri, ut materia qvoqve, in qua conſumere operam ſuam debent qvalitates primæ, in debita præſto ſit proportione. In Chriſto verò materia eqvidem juſtâ qvantitate adfuit, ut corpus pulchrum à qualitatibus

effingi

effingi posset, non autem adfuit, ad immensi corporis Giganteam molem progenerandam. Cum enim ex Mariâ solâ assumere sibi gignendi corporis materiam voluisset, ea majori qvantitate ad vasa generationi destinata adfluere non potuit, qvam mediocris corporis Mariani conditio permisit. Qvare causa in promptu est, cur temperamentum in corpore Christi necessariò effecerit pulchritudinem, non autem effecerit, aut efficere potuerit virium firmitatem. Cur itaqve non cessas, hujus, si qvis est, & qvaliscunqve est, languoris temperamentum potius reum agere, qvam causas qvascunqve alias, temperamenti vigorem & causalitatem impedientes? At ex hoc ipso, inqvies, conseqvitur, temperamentum non esse omnium in corpore humano effectuum causam adæqvatam; sed dari alias etiam, sine qvarum concursu temperamentum effectus suos non attingat; ex qvo tamen principio conclusiones hactenus nostras unicè deduximus. Facilè respondetur: temperamento effectus omnes naturales adscribi, ut causæ instrumentali, extra qvam non alia dentur fabricandi corporis affectiones instrumenta, non tamen ideò negari necessariam præsentiam aliarum causarum, nominatim materialis; qvinimò hanc, qvippe in qvâ, tanqvam in subjecto & officinâ temperamento laborandum est, in totâ hac disputatione supponi. Qvæ res seqventi similitudine illustratur.

Qvicqvid artificiosi operis in mensâ est, id unicè à scriniario ejusqve instrumentis dependet. Nisi enim aut ipse artis satis peritus, aut instrumenta omni modo idonea fuissent, producit am elegans effectus non potuisset. A regulâ v. g. habet, qvod tam commodâ, tam proportionata longitudine & latitudine gaudet. A dolabra, qvod pulchrè polita ac lævigata est. A torno, qvod pedes ejus in amabilem qvandam & distinctam rotunditatem exurgunt. A runcina atqve serra, qvod asseres commodam inter se æqvalitatem obtinent. Materia verò, qvam scriniarius non facit, sed supponit, subjectum patiens est, nec qvicqvam in hæc talia actionis exercet, nisi qvod, cum in sufficienti qvantitate non adest, impediat, qvo minus ad destinatam magnitudinem mensa pertingere possit. Qvamqvam cum maximè in debita qvantitate materia comparet, qvantitatis tamen species atqve figura à scriniario ejusqve instrumentis determinatur & in mensam introducitur: Ita nisi copiosa & præter ordinem reddundans materia ad corporis mixti generationem accedat, nunqvam Gigantinum corpus excitabitur, & tamen si adsit, natura nihilominus per temperamentum definitam ei qvantitatem & figuram admetitur, robur nervis, ossibus duritiem, artubus firmitatem, agilitatem commissuris, [Unde enim hæ qvalitates secundæ, qvam ex primis? Et qva ratione illas tantas

tantas virtutes ſuſcitabit materia, qvæ eſt pura puta potentia paſſiva?] implantat. Perſtat itaqve invictum principium noſtrum: omnes in corpore mixto, [qvo vocabulo materiam, qvæ ei eſſentialiter involvitur, ſupponi palam eſt] effectus producere naturam per temperamentum. Qvod ipſum IV. amplius apparebit, ſi qvam frigidè diſcurſum ſuum concludat Vavaſſor, animum advertamus: *Sicut ergo*, inqvit, *malè colligas, qvi optimè conſtituti ſint, eosdem idcircò eſſe fortiſſimos; propterea, qvod extra æqvabilem & temperatum primarum qvalitatum modum opus ſit ad robur nervis firmiſſimis, oſſibus præduris, compactis artubus, aptis commiſſuris & ſimilibus*: [Malè hæc connectuntur. Nam ad fortitudinem, cujus tamen hic primore aſpectu partes formales, eandem conſtituentes, recenſeri videntur, temperatus qvalitatum modus in genere cauſæ efficientis, nervi & oſſa & artus, in genere cauſæ materialis, robur & firmitas & durities, in genere cauſæ formalis concurrunt. Non autem hic qvæſtio eſt, qvæ ſint fortitudinis per omnia genera cauſæ efficientes, formales, materiales; ſed qvid fortitudinem formaliter conſideratam in corpore mixto, qvod nervos & oſſa & artus materialiter complectitur, efficiat? Verbo: qvid in corpore mixto, in nervis, in artubus, in oſſibus, efficiat robur, firmitatem & duritiem? Ubi aliter reſponderi neqvit, qvam: formam mixti internam, mediante temperamenti organo.

Extra

Extra mixtum nihil est, qvod robur corpori internum conciliet. Intra illud materia est mera potentia passiva, adeoqve nihil efficit, nihil operatur. Remanet itaqve, formam id agere, qvæ hunc ipsum in finem mixto concessa est, & temperamentum, qvo ceu manu atqve instrumento utitur forma. Qvâ vero ratione nihilominus hanc πρόταστν suam ad pulchritudinem accommodat Vavassor?) *ita nequicquam eadem normâ & regulâ pulchritudinem metiare ac spectes*; (non qværitur de normâ & regulâ pulchritudinis, sed de causâ procreante] *quæ amplius qviddam, quam bonam corporis constitutionem, sive naturale & certum omnium, sive arbitrarium & pro opinione varium, requirat?* Qvid itaqve pro causâ efficiente amplius reqvirit? Qvicqvid de cætero in pulchritudine est, id vel ad ejus formam pertinet, qvæ ex bonâ constitutione oritur, vel ad materiam, qvæ supponitur, tanqvam subjectum, in qvod pulchritudo per temperamentum introducenda est. Itaqꝫ temperamentum, tanqvam unicum in corpore mixto operandi organum, & in Christi corpore pulchritudinem effeciſſe necesse est, qvousqve non constat vel de temperamenti ipsius imperfectione, vel de formæ, h. e. animæ Christi, tanqvam causæ principis debilitate, vel deniqve de materiæ vel excessu vel defectu. At hæc talia in Christi Humanitate vitia nunqvam agnoscet Vavassor. Deniqve V. Ut ut largiamur optimum hominis temperamentum

mentum cauſam eſſe perfectiſſimæ in hominis corpore ſtaturæ & roboris, non tamen illicò concedere cogimur, perfectiſſimam ſtaturam Gigantinam eſſe & robur perfectiſſimum gladiatorium, ut loqvitur Vavaſſor. Ea enim cuilibet corpori perfectisſima eſſe ſtatura & robur judicantur, qvæ & qvod ad finem ejusdem proſeqvendum qvam maximè conducunt. Qvid autem attinuit, vires agreſtes & horridas habere, ac tantum exuperare corpulentiâ, qvi mente & conſilio potius qvam manu res Divinas ac Paternas adminiſtraret? In Simſonem ea effundat natura robuſtisſimorum brachiorum munera, qvi manu ſua hoſtium cædere cohortes & ingentium portarum inſanam molem humeris aſportare debebat, non in eos, qvi facundi oris eloqventia & morum ſuavitate demereri ſibi genus humanum & feros barbarosqve manſuetudine cicurare, non armis, inſtituebant. *Qvantitatem corporis*, ait Huardus, loco ſæpius allegato, *qvæ benè temperato homini competat, per naturam non eſſe dererminatam, limitatamqve Galenus tradit. Poteſt enim & magnæ & parvæ & mediocris ſtaturæ eſſe: prout qvantitas ſeminis temperati formationis tempore vel magna vel parva vel mediocris fuerit. Sed qvantum ad ingenium*, [conſilio autem potius qvam manu res Divinas adminiſtravit Chriſtus] *melior eſt*, [perfectum vero & bonum ſunt ἰσοδυναμοῦντα] *in temperatis hominibus ſtatura mediocris, qvam vel magna vel parva; ac ſi ad alterutrũ duorum*

rum extremorum declinandum ipsi omnino sit, potius est, parvam qvam magnam corporis qvantitatem esse. Copia enim carnis & ossium, ex opinione Platonis & Aristotelis, multum damni ingenio adfert. Cui convenienter interrogare solent naturales Philosophi: cur homines, qvi brevi sunt corpore, prudentiores magna ex parte sint, qvam qvi longo? Pro cujus rei argumento inducunt Homerum, qvi Ulyssem & prudentissimum & corpore exilem parvumqve, ac contra Ajacem & stolidissimum & statura longissimum depingit. Ad hoc problema admodum malè ineptèq; respondet Alexander: animam rationalem in breve qvoddam veluti spatium redactam coarctatamq;, plus virium obtinere ad operandum, juxta decantatum illud: Virtus unita fortior est seipsâ dispersâ; ac contra, si in corpore longo crassoq; existat, non habere tantum virium, qvantum earum ad movendum animandumq; corpus sufficiat. Verum ista non est causa: sed potius, qvoniam homines longioris staturæ multam intra constitutionem suam habent humiditatem, qvæ carnes reddit & dilatabiles admodum, & promptas pronasq; ad augmmentationem, qvam semper calor naturalis causari ac promovere nititur. Cujus contrarium hominibus parvæ staturæ accidit. Hi enim ob nimiam siccitatem ad augmentum carnium suarum pervenire neqveunt, nec calor naturalis dilatare atq; extendere carnes potest; unde semper intra brevem staturam corpus eorũ subsistit. Ac probavimus supra, ex primis qvalitatibus nullã magis officere operationibus animæ rationalis, quã multam humiditatis copiã; ac contra nullam magis, qvã siccita-

ta-

tatem, intellectui vim vigoremq; causari. Gigantes alii pro monstris habent & naturæ excessibus, alii plerumq; aut stupidiores aut stolidiores esse observant; qvæ singula magnam imperfectionem arguere atq; ideo ex perfecto temperamento, tanqvã matre, proficisci non posse, ultro intelligitur.

LXXXI. Deniqve nostromet nos confecturus gladio Vavassor, ultimas vires colligit & ait: *Atq; ostendi hactenus, enthymemate isto, qvod intentabatur tanqvam machina nobis, nihil effici ab adversariis. Qvod si docuero, ex eo ipso prorsus contrarium cogi; etiamne pergent tam miserè philosophari, ut rationibus ipsi non sentiant se convinci suis? Flos enim iste ætatis & nativus venustatis color, qvem facile læsi, subito emarcescere, raro reparari videmus, tantum abest, ut optimam corporis constitutionem, velut parentem educatricemq; agnoscat, ut ex deterrima omnium temperatione, velut putri è solò exortus, inde alatur qvodammodo atq; augescat. Eqvidem qvatuor humorum mixtura, qvænam habenda potior sit ex omnibus, nec divinare possum, nec affirmare audeo; cum alii sangvini primas deferant, alii præponant bilem, alii melancholiam dominari malint. Sed in eo nunqvam variari inter ullos & dubitari memini, qvin ii forent habitu pessimo, in qvibus pituita redundaret. Sive qvod minus actuosa illa qvidem, cum sit perfrigida, qvam aut sangvis aut bilis; sive qvod multò qvam melancholia mobilior & inconstantior existimetur. Formosissimos autem qvosqve pituitosos esse, in pituita sedem & domicilium pulchritudinis collocari, præbere se pituitam vel conciliatricem vel ornatricem omnis*

omnis venustatis, qvis, huc animum si tantisper attendat, non intelligit? Hac utraqve, pituitam dico & formam, muliebre genus abundat. Hac utrâq; secundum mulieres, puerilis ætas valet. Hanc utramq; ex cunctis terræ regionibus maximè Septentrio affert; ex qvatuor anni temporibus hyems fovet. Ut enim ora vultusq; rubent à sanguine, ut altera bile nigriora fiunt, altera flavescunt: ita facit in primis pituita ad candorem, facit item ad lævorem qvendam & nitorem cutis. Ex quibus suavitas ea coloris existit, quæ si nacta sit aptam compositionem & figuram membrorum pulchritudinem vel ut necessaria pars efficit, vel ut una omnium utilissima perficit. Qvid reliqvum & consequens est, aut quæ complexio & summa hujus argumentationis, nisi ut deteriores habitu potiores esse forma concludamus? Proinde desinant aliquando ad Physicam nos Theologi vocare. Qvibus si negaverimus, in Christo præcipuam præter cæteros constitutionem corporis fuisse, nihil illi contra nos: si concesserimus, ut gratis, ne omnia contendere velle videamur, concedimus, etiam contra se dicunt.

LXXXII. Condonandum est calidiori Vavassoris temperamento, qvod miseræ Philosophiæ maleficio infamat, qvicqvid Plato, qvicqvid Aristoteles, qvicqvid Galenus ex naturæ qvasi visceribus eruerunt, nobisqve, ut nobilem veritatis partitulam, haud invida manu ita reliqverunt, ut ad apices scientiarum hodieqve se perveniisse putent, qvicunqve admirandos hos rerum naturalium Doctores vel intelligere rectè sibi videntur. Miserè tamen

men philosophantur, fateor, qvi rationibus ipsi non sentiunt se convinci suis. Disputaverat capite primo Vavassor, non impingendam esse Christo ullam deformitatis maculam. Dirigamus nunc telum Vavassoris adversus hanc sententiam, eamqve ita jugulemus: Si ex deterrimâ omnium contemperatione, tanqvam ex genuinâ matre, enascitur corporis pulchritudo, tum ex optimâ omnium contemperatione necessario enascetur ejus deformitas. Qvo enim qvid à verâ rei causâ magis recedit, eò ad ejus causam, qvod contrarium rei est, propius accedit. Qvemadmodum, qvia levitas causa est, cur elementa & mixta sursum ferantur, qvo qvid à levitate longius abit, majoremqve acqvirit gravitatis gradum, eo minus in sublime adscendit, eoqve magis deorsum fertur ad centrum. Cum autem vehementius & majori contrarietate invicem pugnare non possint temperamentum deterrimum & nobilissimum, fieri non potest, qvin, qvia deterrimum pulchrum reddit hominem, nobilissimum eundem deformet, qvia nempe à pulchritudinis causalitate omnium longissimè abest. Neqve effugiet hunc, qvem proprium ei principium infixit, ictum Vavassor, cum sub finem nec asserere Christo temperamenti bonitatem, nec negare, cupit videri. *Si negaverimus*, ait, *nihil illi contra nos, si concesserimus, ut gratis concedimus, etiam contra se dicunt.* Nam si concesserit, sive gratis concesserit, sive precio, contra se, ut liqvidissimè

demonstratum est, dicit. Si negaverit, qvam multa contra eundem merito urgere qveamus, ex superioribus patuit. Si enim ideò, qvod vi qvadam eximiâ Spiritus S. & prorsus cœlesti conformatum atqve elaboratum corpus accipit, nullum ei formæ vitium indi potuit; qvod asseruit Vavassor, cap. I. §. 5. p. 29. Qvidni ex eadem prorsus ratione nullum ei temperamenti vitium accesit? *Qvid enim tanti operis effector peccaverit, qvi huc modo incubuit, ut & corpus ex puro & incorrupto matris sangvine fingeret & puncto temporis absolutum, paratumqve ad subitam ac præsentariam animi susceptionem exhiberet?* Qvi autem nihil peccavit, is nec in temperamento perfectè elaborando peccavit. Et cujus corpus ex puro incorruptoqve sangvine fictum est, id non potuit temperamenti malitiâ corrumpi & impurum reddi. Ponamus etiam, in Christo non fuisse præcipuam præter cæteros mortales corporis constitutionem; cum tamen pleriqve hominum à deterrimâ longius, qvam ab optima absint, sponte consequitur, qvia Christus nihil præcipuum habuit, ideo ad deformitatem magis qvam ad pulchritudinem deflexisse; qvod vero perinde, ut deformitatem ipsam, majorem in modum impugnat Vavassor.

LXXXIII. Ut autem ad rei etiam ipsius discussionem veniamus, temperamenta disformia & inæqvalia inter se comparat Vavassor, ultimasqve assignat partes phlegmatico, seu

seu pituitoso. Qvæ verò res partim incerta est, partim inconseqvens. Neqve enim dubio caret, qvodnam inter inæqvalia temperamenta qvoad bonitatem cæteris sit anteferendum? Et causa hujus incertitudinis reddi potest duplex; tum qvia inæqvale temperamentum vel simpliciter respici potest, in qvantum nempe una qvalitas superat cæteras omnes, vel in compositione, ubi duæ qvalitates, qvarum una activa, altera passiva est, vincunt qvalitates oppositas; tum qvia in composita hac inæqvalitate, qvæ à qvadruplici numero combinationum possibilium, vel temperamentum aqveum seu phlegmaticum, vel aëreum seu sangvineum, vel igneum seu cholericum, vel terreum seu melancholicum generat, qvalitates nihilominus ipsæ immenso graduum discrimine differre possunt, ut v. g. in pituitoso seu phlegmatico, ubi frigus & humor dominantur, majori gradu vincat frigidum qvam humidum, vel humidum qvam frigidum, vincantur autem vel uno tantum vel duobus vel pluribus gradibus siccum & calidum, vel pluribus gradibus illud qvam hoc, aut hoc qvam illud. Nunc, cum pituita, ex. gr. eum in mixto principatum obtinet, ut frigidum atqve humidum sint sex graduum, siccum duorum, calidum trium, haud difficulter concesserim, deterrimam hanc esse contemperationem, sed neqve crediderim, pulchritudinis eandem matrem esse posse, cum calor, qvi colorum suavitatem

moderatur, ita superetur à frigido, ut cadaverosum potius, qvam pulchrum corpus hæc qvalitatum conjunctio necessariò sit effectura. Cum verò dominium pituitæ tale est, ut humidum atqve frigidum gradum sextum, siccum atqve calidum verò qvintum occupent, non negaverim, elegantissimam hinc formam effici; at verò istiusmodi temperamentum, [qvod, qvia pituita in eo prædominatur, pituitosum utiqve est] deterrimum esse, adeoqve malitiâ superare melancholicum, exempli loco in his gradibus constitutum, ut siccitas sextum, frigus qvintum, calor & humiditas secundum vel alterutra qvalitas tertium gradum possideat; id profectò nemo sibi facile patietur persvaderi. Qvo ipso clarissimè probatum est, non posse sine determinatiori limitatione definiri, qvodnam inter omnia temperamenta sit optimum, rectèqve scripsisse Jo. Magirum, lib. III. Phys. Perip. c. XI. n. 23. *In temperamentorũ generibus varias posse institui collationes. Aut enim speciem unam ad alias, aut partem speciei unam ad alias, conferimus, aut individua ad invicem. Ideoq; qværenti rei alicujus temperaturam non erit sine distinctione respondendum, ne in Sophistarum reprehensionem incurramus.* Deinde vero inconseqventem diximus esse Vavassoris discursum. Perfectio enim atqve bonitas temperamenti vel æstimatur ex toto atqve in ordine ad omnes singulosqve ejusdem effectus, qvos producere aptum est; qvo pacto nullum

lum bonum perfectumqve est temperamentum, nisi æqvale geometricè; (sed justitiâ tamen rigorosâ atqve perfectâ) qvoties enim qvalltas una superare alteram potest, suppressâ unâ, cæteræ qvidem effectus suos qvalitercunqve attingunt, ea verò, qvæ à cæteris victa est, operationem suam suspendere cogitur: vel ex parte & in ordine ad unum tantum alterumqve effectum. Utpote cum pituitosum temperamentum, ob qvalitatem humidam, qvemadmodum superius etiam ostendimus, formæ qvidem elegantiam promovet, cum luto nimis sicco forma pulchra imprimi ob resistentiam non possit, cæteris tamen effectibus, qvos alias temperamentum producit, obest potius qvam prodest. Nempe qvamqvam omnes effectus mixti elementares è temperamento fluunt, non tamen æqvaliter à singulis qvalitatibus profluunt, sed hic effectus magis ab hac procedit, qvam ab alia, vel ab alia, qvam ab hac. Ita colorum in facie humana temperatura citra dubium magis à calido est, qvam à sicco, consistentia ossium, magis à sicco, qvam ab humido, mollities carnis magis ab humido, qvam frigido, & sic porrò. Ubi itaqve una qvalitas prædominatur, ibi etiam suos potius, qvam aliarum qvalitatum, nisi forte à contrariis prorsus impediatur, procreat effectus, utpote humidum & frigidum cum moderato calore corporis venustatem.

Per has enim qvalitates corpus & magis carneum & magis proportionatum, cum nihil solidi & duri obstet, & magis lævigatum & magis candidum & magis coloratum redditur. Difficilius autem hoc temperamentum robur corporis & valetudinem procreabit; nam ad hos effectus magis actuosæ reqviruntur qvalitates, utpote caliditas, qvæ vegetum reddat corpus, & siccitas, qvæ durum & adversus injurias tutum. Ex qvibus omnibus qvadam necessitate consequitur: si omnes qvalitates sint in æqvali gradu, omnes singulosqve effectus ex tali temperamento ultrò resultaturos esse. Qvare consequentia Vavassoris: pituitosum temperamentum pulchrum efficit; Ergo æqvale hoc non præstat; nulla prorsus est, sed jure optimo invertitur, hunc in modum: pituitosum temperamentum ob humidum frigidumqve, qvod ei inest, licet cæteris qvalitatibus qvodammodo subjugatis, pulchrum reddit: Ergo temperamentum æqvale, ob idem humidum frigidumqve, qvod ei inest, multò magis pulchrum reddet, cum cæteris qvalitatibus nativus vigor, citra ullam suppressionem, adhuc constet. Atqve hoc est, qvod diximus, incertam esse Vavassoris assertionem & argumentationem inconsequentem.

LXXXIV. Sed imperfectum nihilominus est pituitosum temperamentum & cæteris omnibus deterius? ais. Id qvidem, qvam verum

rum sit, paulò ante palam fecimus. Nunc hoc addimus: effectum tamen pulchritudinis, non eâ parte, qvâ imperfectum est, [est autem imperfectum, in qvantum siccum & calidum in debito gradu deficiunt] sed eâ potius, qvâ in perfecto summoqve gradu eas qvalitates, qvæ pulchritudini efficiendæ naturâ destinatæ sunt, possidet, producere. Qvantumvis itaqve cæteris deterius, & si ita velis, deterrimum sit, in ordine ad corporis robur & constantem valetudinem, qvam ob deficientem siccitatem & calorem operari non facile potest, neqvaqvam tamen cæteris deterius, sed nobilius atqve præstantius est, in ordine ad hunc effectum, qvi est conformatio partium & colorum. Comparando itaqve hoc temperamentum ad cætera, ideò deterius dicitur, qvod cum minus nobilem effectum, [pulchritudinem nempe, qvæ facilè læditur, subitò emarcescit, & rarò reparatur] attingat, nobilioribus tamen, ut corporis robore & valetudinis firmitati, procurandis sit impar. Qvamqvam ideò pulchritudo pulchritudo esse non desinit, aut ex magnorum naturæ munerum catalogo eliminanda est, qvia facile amittitur; hoc enim cum omnibus rebus hujus seculi commune habet. Qvid magis nobis in precio est, qvam opes? Tamen

Irus & est subitò, qvi modo Cræsus erat.

Ne verò qvid desit, Logica etiam vincula in

subsidium vocemus, & argumentum Vavassorianum limitatione dissolvamus: Si flos venustatis ex omnium deterrimâ temperatione, in qvantum deterrima & imperfectissima est, tanqvam è putri solo exoritur, inde alitur atqve augescit, tum optimam ille corporis constitutionem, velut parentem & educatricem, non agnoscit; ita concedo majorem, nego minorem. Si vero venustas ex deteriori temperamento, in qvantum id eam in se qvalitatum qvarundam perfectionem includit, qvæ par sit producendo effectui naturali, in se optimo, oritur, tum non agnoscit optimam corporis constitutionem pro matre; ita negatur major & conceditur minor. Perfectio enim illa qvarundam qvalitatum pars est temperamenti optimi, omnem qvalitatum harmoniam & perfectionem in se continentis. Qvidqvid itaqve competit parti, id longè magis competit toti. Neqve enim qvalitatum illarum vigor minuitur, sed potius augescit, qvando aliis qvalitatibus in meliori temperatura junguntur.

LXXXV. In probanda qvoqve propositione sua: ex pituita formositatem oriri; Vavassor extra oleas vagatur. *Hac utraq;*, inqvit, *pituita dico & forma muliebre genus abundat. Hac utraq; secundum mulieres, puerilis ætas valet. Hanc utramq; ex cunctis terræ regionibus maximè septentrio affert, ex qvatuor anni tempestatibus hyems fovet.* Qvamqvam enim non negemus in Christo puero pro ratione ætatis puerilis, cui peculiare

liare temperamentum competere indubium est, puerilem qvoqve magna excellentia reluxisse formam, [neqve etiam absurdum est, molliori atqve delicatiori modo qvalitates tum fuisse temperatas, & pituitam, ea tamen cum Geometrica proportione, ne vel ipsa cæteras vel cæteræ hanc extinguere possent, qvasi regnum tum agitasse] de formâ tamen ejus in ætate virili, de qva Vavassori hic cumprimis qvæstio esse videtur, non ex eodem temperamento judicandum est. Neqve enim Christo, in illa ætate vel delicatam vel muliebrem formam attribuimus, sed virilem, cum gravitate & majestate junctam. Abundent igitur mulieres pituita & forma simul, non tamen idcirco necesse est, Christum, qvia formæ venustate excelluit, & pituita abundasse. Non enim sociantur pituita & forma virilis, sed illa & forma muliebris, Multi in sacris viri pulcherrimi prædicantur, qvi tamen pituita ideo non abundarunt, qvia ea inconstantiæ & mobilitatis parens est, cum illi, sine ullo valetudinis detrimento annos suos ad ultimam perduxerint senectam. Qvæ cum ita sint, aliam audiat Vavassor argumenti sui limitationem: Si flos venustatis muliebris ex deterrima omnium contemperatione tanqvam ex putri solo exoritur, tum ille ipse flos venustatis muliebris, mollis & delicatæ, cito transeuntis & emarcescentis, optimam corporis constitutionem, velut patrem educatricemqve

non agnoscit ; potest propositio salva per omnia, qvam defendimus, veritate concedi. Si vero venustas muliebris in vultus inprimis rubore, faciei candore, lævore & nitore cutis, magnâ cum inconstantia consistens, ex pessimo temperamento oritur, tum venustas virilis, qvæ cum facie etiam subnigra, & cum cute etiam subaspera, exemplo Davidis, qvamqvam majore cum constantia, consistit, optimam constitutionem non agnoscit parentem ; negatur hæc propositio, cujus contrarium potius intellectum subit, qvamprimum illa exauditur.

LXXXVI. Immerito itaqve succensuit Vavassor, Theologum se ad Physicam vocari. Qvorsum vero majori jure revocabitur, cum de naturali principio qvæstio est, qvam ad scientiam naturalem ? Neqve enim certè ad Theologos ablegari possumus, cum calcei nobis consuendi, aut vestimenta resarcienda sunt : jubemur ire ad sutores & sartores. Cur minoris itaqve æstimabimus Physicam, qvando materia naturali philosophiæ propria mutuo inde nobis sumenda est ? Ridendus ille qvorundam fastus est, qvidum Theologi audiunt, supergressos se hoc ipso nomine cæterarum disciplinarum humilitatem magno supercilio ita persuasi sunt, ut ægrè ferant, ad Grammaticam se amandari, cum Priscianum indignis verberibus tractant, aut ad Metaphysicam, cum in mysteria ejus peccant. Sed nolo

lo hoc facinus imputare Vavassori, viro perqvam erudito, cujus illi plerumqve rei sunt, qvi bonis literis vel animum nunqvam imbuerunt, vel à scientiarum Philosophicarum, à qvibus sibi vehementer metuunt, interiore solidaqve notitia longe sunt remoti.

LXXXVII. Satis diu in argumento qvarto occupati fuimus. Igitur qvintum argumentum à remotione deformitatis procedit. Rejicitur autem à Christo omnis fœditas, partim per typos affirmantes, partim per rationes deformitatem negantes. Victimas enim veteris legis ad Christum referri, nemo dubitat. At in Levitico gravissimo edicto cautum est, ne ulla labes ullusqve defectus in iis deprehenderetur. *Qvæ si omnia*, ita Vavassor cap. I. §. 9. *tam accuratè & enucleatè perscripta, tam præcisè vetita, potius ad novæ legis significationem directa sunt, qvam ad veteris usum comparata; nonne à Christo omne removeatur vitium corporis, omnis deformitas facessat oportet, ut probata & lecta & grata Patri sit hostia, idemqve legitimus & idoneus Sacerdos fiat, ut impleantur Scripturæ, fides qvoqve istis prædictis constet, imaginibus & simulachris res & eventus tandem aliqvando respondeat?* Jam ubi nulla fœditas, nulla deformitas, nullum vitium, nulla macula, ibi summa sine dubio pulchritudo est. Nam ne formosissimum qvidem hoc in mundo sine ullo deformi defectu deprehendes. Præterea deformitatis omnis causa est peccatum, & corporis intemperantia. Qvi enim intemperan-

perantiæ & gulæ sunt dediti, facie aut nimis rubicanda aut suppallidà nobis apparent. At Christus modo naturæ planè extraordinario ab illibata virgine natus est, cujus semen in utero materno à peccaminoso sangvine perfectissima Spiritus S. operatione segregatum, & ab omni impuritatis origine præservatum fuit. *Ejusmodi* autem *sunt Dei miracula, ut qvam qvæ natura perfecta sunt, longè pulchriora melioraqve reddantur.* Ita Chrysost. Hom. XXI. in Johannem.

LXXXIIX. De Ægyptiis, eorumqve Diis ac sacris refert Clemens Alexandrinus, libr. III. Pædag. cap. II. *apud eos templa, eorumqve porticus, vestibula ac lucos magnificè instructos, eorumqve atria multis columnis cincta esse; parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendere, ita ut nihil desit; ædes autem auro argento & electro collucere & ex India ac Æthiopia variis fulgentibus lapillis, adyta verò intextis auro obumbrari peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris & ad ejus, qvod est præstantius, spectaculum properans imaginem, qvæ templum habitat, qvæsieris sacerdotem qvempiam exiis, qvi in templo sacrificant, gravi & venerando vultu adspicientem, & Ægyptiorum lingvâ pæanem concinentem, cum veli aliqvantum contraxerit, tanqvam Deum ostensurum, magnam suppeditare occasionem irridendi Numinis; neqve enim intus inveniri DEUM, qvi qværebatur, ad qvem festinabamus, sed felem vel crocodilum vel serpentem indigenam, vel aliam ejus-*

ejusmodi belluam, qvæ templo qvidem sit indigna, sed antro, spelunca ac cœno magis congruat, apparere DEUM Ægyptiorum, belluam, qvæ super vestem stragulam purpuream volutetur. Illudit nempe Paganorum stupori, qvod ea animalia in Deos consecrarint, qvorum ipsosmet qvasi puduerit, ut cum sub velo illos custodiri & ab hominum oculis removeri necesse fuerit, pulchritudinem ipsis ab extrinseco potius templorum ornatu, qvam interna naturæ dispositione, conciliarint. Qvamvis vero DEO vero, in essentia sua considerato, nullum sit, ut illis gentilium Deastris, corpus, qvod ideo externa specie neqve debuit unqvam repræsentari, neqve repræsentari potuit: dubitandum tamen non est, cum aliqvando in personæ suæ unitatem humanam recipere carnem & homo fieri voluerit, templum Veteris Testamenti, qvod Servatoris nostri etiam qvoad corpus ipsius typum fuisse, ipse haud obscurè significavit Joh. II, 21. magnificentius haud fuisse extructum ornatumqve, qvam fuit qvi ei inhabitare debebat, hominem indutus, Dei Filius. Qvamqvam enim per splendorem istum animæ cumprimis in Divino corpore dona & Divinitatis magnificentia significata fuerint, nullo tamen idoneo argumento doceri potest, excluſam esse corporis gloriam, cujus qvasdam in typis illis imagines, qvales ex. c. illa est, qvæ ossium ipsis integritatem prænotavit, refulsisse, extra controversiam ullam est collocatum.

LXXXIX.

LXXXIX. Jam de sacrificiis, de victimis, Christi personam vitamque penè totam referentibus, malo audire Vavassoris, quam nostra, verba; cap. I. §. 9. p. 36. f. *Qui illud dicam, hoc habeo argumenti, quod ut omnes in veteri Judæorum lege victimæ ad unum Christum referebantur, Christumque exprimebant, qui seipse hostiam præbiturus erat ad sacrificium, sic & quales oportebat ipsas esse, talem hunc præsignificabant longo intervallo futurum. Istæ porrò quales esse debuerunt? Ut est in fontibus Hebraicis,* תמימם, *integræ, ut LXX. ediderunt,* ἄμωμοι, *non reprehendendæ; ut Vulgatus reddidit interpres: immaculatæ, sine labe ac macula. Quæ tria unum valent ac sonant, ut nihil in victimis vitii nec deprehenderetur, nec ineesset, traduntur que postea sacris literis explicatius: In quo quis non miretur, idem de sacrificante quod de hostia præscribi, easdem leges & conditiones & penè totidem verbis referri? ut satis significet, jam tum præmonstrari, fore olim eundem sacerdotem & sacrificium, immolatorem & victimam. De hostia sic: Homo, qui obtulerit victimam DEO, tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut aeceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem aut impetiginem, non offeretis ea Domino. Ita de sacrificante: Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus, si cœcus fuerit, si claudus, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in corpore.* Sequuntur verba, supra à nobis descripta.

scripta. Fatetur hic Vavassor, perfectionem & integritatem in victimis requisitam corporis Christi perfectionem designasse. Ut autem vox תמימם, à radice: תמם, *perfici, compleri, absolvi*, quamlibet perfectionem, sive in quantitate, sive qualitate consideratam notat; victima enim Deo offerenda non tantum non debebat ulla sui parte manca esse, sed nec ullo modo deformis, verum perfecta, quantum fieri poterat, statura, forma, proportione, valetudine; quo pacto fieri non poterat, quin ex omnibus agnis, capris, tauris, vitulis, selectissimæ quoque pulchritudinis exempla, quæ quidem haberi poterant, seligerentur: consuetudinem æmulati Gentiles animalia sacrificiis destinarunt pinguissima lepidissimaque, & præterea auro & argento & hederâ & lauru coronarunt: Ita quid impedit, quo minus hanc vim eadem vox & ad Christum diffuderit, qui non tantum defectui nunquam ulli obnoxius, sed præterea perfectis corporis dotibus atque qualitatibus instructus, formosissimus inter filios hominum, Deo sese obtulerit hostiam, DEO Patri usque quaque placentem?

XC. Quid vero in Divino immaculatoque Christi corpore peccati & fæditatis moralis prorsus experte, in quo præterea, ut in proprio templo habitavit gloria unigenito à Patre Filio digna; Joh. I, 14. vitii, quid turpitudinis hærere poterat, in quo causa nulla, prin-

principium nullum, origo nulla ullius defectus reperiebatur? Immo qvid non formosum & amabile in eo corpore esse poterat, qvod uberrimi formositatis & amabilitatis fontes qvotidie irrigabant? Ut ex gula atqve Venere, qvicqvid in humano corpore malorum & morborum est, originem trahit; hinc enim valetudinis perpetua infirmatio, hinc lues Gallica, hinc stomachi intemperies, hinc frons cuprea, hinc nasus pustulis qvasi montibus qvibusdam interstinctus, hinc pallor per vices & rubor, hinc ante annos languida senectus: ita temperantia, qvæ modum brutis illis oris atqve ventris voluptatibus ponit, egregiam oris speciem non tantum conservat, sed, qvod miraculo simile est, deperditam excitat & procurat. Per temperatum enim cibi atqve potus usum temperamentum debilitatum reficitur, pristinasqve acqvirit vires, ut operationes suas jam citra impedimentum edere possit. Hinc Bened. Pererius, in Comm. ad Gen. Libr. VII. c. V. Q. III. ad qvæstionem, qvæ causæ fuerint tam longævæ vitæ eorum hominum, qvi vixerunt ante diluvium? seqventes duas, ut potiores, cæteris præmittit: *Prima fuit bonitas constitutionis & temperationis humani corporis, qvâ illi homines vigebant*; [qvam Lib. IV, c. II. Q. I. talem esse dixit, ut complexio hominis cæterorum animalium corporibus propius accederet ad æqvalitatem & ad mediocritatem, longiusqve remo-

remota esset ab excessu primarum qvalitatum, cum aliorum animalium corpora vel nimis terrea sint vel nimis aqvea,] *tunc enim natura recens à Deo facta integra erat, firma ad seipsam conservandam, fortis ad resistendum rebus contrariis, nec dum tot morbis fracta & vitiata. Vigor igitur ille & robur naturalis constitutionis longo tempore permansit, nimirum usqve ad diluvium, per qvod cernimus, vitam hominum insigni brevitate fuisse diminutam. Sècunda causa fuit sobrietas & continentia in victu & potu, & omnis vitæ moderatio. Erat enim naturalis & simplex victus & potus: varietas autem, mixtura & condimenta ciborum vitam debilitant atqve minuunt, sicut docent Hippocrates & Plinius. Unde Horatius Poëta:*

- - - simul assis
Miscueris elixa, simul conchilia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita.

Et Ecclesiastes affirmat, crapulâ multos periisse. Deniq; qvotidiana demonstrat experientia, lautè, opiparè & largè edentes & bibentes esse brevis vitæ. Agnovit itaqve Pererius, temperantiam qvasi auxiliatricem manum porrigere naturali corporis temperamento, illudqve si infirmatum fuerit, virtuti suæ restituere, ut operationes suas in corpore, inter qvas est & conformare partes ad suavem proportionem, illosqve jucundis coloribus imbuere, citra ampliorem moram, qvam ei ante fecerunt, immoderatius ingurgitati cibi, obire possit. Sed audiamus omnium

illustrisimè hæc perorantem, sanctioris Academiæ Philosophum, Clementem Alexandrinum, qvi libro III. Pædag. c. XI. p. 182. scribit: *Pulchritudo optima primum est pulchritudo animæ, qvando fuerit sancto spiritu & iis, quæ ab eo oriuntur, ornata lætitiis anima, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, qvo nullus color nitidior unqvam visus est. Postea autem exerceatur qvoqve pulchritudo corpris apta membrorum competentia & partium cum bono colore. Hic est sanitatis aptus & compositus ornatus, per qvem ficti simulacri accedit adverum transitus, convenienter figuræ, qvæ à Deo data est. Adornandum autem secundum naturam magno prædita est artificio potus temperatura & cibi commoderatio.* (Temperantia hæc est, de qva porrò dicit.) *Non solum enim corpus ex his sanitatem obtinet, sed etiam facit, ut ex his appareat pulchritudo. Ex igneo enim fulgor & splendor accedit, ex humido autem nitor & gratia; ex sicco virtus & stabilitis, ex aëre autem spirandi facilitas & par æqvilibrium: ex qvibus concinna & pulchra hæc rationis statua ornata est. Sanitatis autem liberalis flos est pulchritudo*; (supra dixerat Vavassor: neqve sanitatem ex pulchritudine, nec pulchritudinem ex sanitate seqvi, aut inferri posse unum ex altero) *sanitas enim intus operatur, exterius autem efflorescens, pulchritudo bonum colorem manifestum ostendit. Pulcherrimæ ergo & saluberrimæ agendæ vitæ rationes, corpora exercentes, germanam & firmam efficiunt pulchritudinem, calore in*

seipsum

seipsum atrahente succum omnem & frigidum spiritum. Hæc ille, commonefaciens suos, ut ornaturi corpus internæ potius ejus constitutioni emendandæ incumbant, qvam externo vestium ornatu, improbum humanum artificium DEI opificio præferentes, illustrent.

XCI. Christum verò omnium mortalium temperantissimè moderatissimèqve vixisse, non arbitror, qvemqvam addubitare posse. Sive enim cibi potusqve moderationem in genere morum consideres, qvatenus vel excessus vel defectus eorundem culpam in se habet, impium & sacrilegum est, sanctissimæ ejus vitæ vel minimam vitii cujuslibet labeculam adspergere, qvi si in vita qvicqvam potuisset admittere indecori, jam non amplius vitæ nobis exemplum & melioris vitæ meritum fuisset. Sive temperationem illam in genere spectes naturæ, nunqvam facile cogi potuit, ad cibum potumqve abundantius, qvam volebat & proderat, sumendum: nec nisi forte rarius, paupertatis onere pressus, continere se necesse habuit etiam à qvotidiano atqve necessario cibi. Cum enim interrogaret discipulos suos diceretqve: *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliqvid defuit vobis? Me* scilicet, *tanquam patre, vobis filiis de omnibus necessariis providente*; interprete Joanne Winkelmanno; & responderunt: *nihil unquam*, Luc. XXII, 35.

XCII. Vavassor eqvidem, cap. III. §. IV. p. 103. vivendi, qva Christus utebatur, ratio-

nem exponens, ostendere conatur, necꝫ victum ejus temperatum semper fuisse, neqve pulchritudini corporis qvicqvam ex eo accrescere potuisse. *Num qvi gignere*, ait, *atq; alere consuevit succum, sanguinem, colorem, victus ad pulchritudinem, qvæ ex istis ferè tribus efflorescit ac redundat, aliqvantum adjecit? Multò etiam minus. Christum videmus duplicem duobus temporibus vixisse vitam, in qva utraqve non modo nullam lautitiam, nullos sumptus epularum agnoscas, sed mediocritatem hominum qvoqve tenuiorum reqviras. Alteram, cum privatis impensis aleretur inter suos & qvasi filius familias potestate ac domo paterna contineretur. Qvod tempus cum jure civili & more gentium posset esse brevius, in qvinqvennium prorogavit. Non enim visus est emancipari voluisse, fierique sui juris, nisi postqvam ad annum circiter trigesimum pervenisset ætatis. Alteram, cum aliena misericordia sustineretur; sive grati illum & memores beneficiorum populi, qvos docebat pariter & sanabat, tectis ac sedibus suis reciperent; sive perseqverentur viatico diversas Palæstinæ oras peragrantem. Et conditio qvidem prior statusqve, in qvo se ipse nascendi initio constituit, posteaqve mansit complures annos, cum eum sibi parentis numero esse volnit, qvi vitam ignobili artificio tueretur, minimo contentum tenuissimo cultu vivere cogebat. Statim verò atq; alterum genus cursumqve vivendi iniit, processitq; in publicum atq; operam suam studiumq; navare cœpit mortalibus, etsi interdum condixit publicanis & principibus Judeis, nonnunqvam se ultro convivam obtulit*

non

non invitatus, tamen cum neqve res soli ullas, neqve moventia possideret, non in nominibus qvicqvam, nec ferè in nummis haberet, nisi ex pia nonnullorum liberalitate & beneficentia paululum qvid; facere non potuit, qvin si minus aliqvando deficeretur necessariis, plerumq; certè non abundaret utilibus. Præsertim cum ex sua tenuitate egentium & mendicorum sustentare non dubitaret augustias. Itaqve ei non solum nihil erat annonæ qvæsitum ante & congestum domi, aut in cella penuaria, cum degeret in oppidis; sed ne sola qvidem & desertæ loca cum obiret & longum iter ingressus esset, provisæ frugis aliqvid portabatur una, qvod subsidio viæ esse poßet. Ut diverti necesse haberent discipuli in propinquas urbes atqve villas, ad coëmenda cibaria. Qvi si qvando prius idonea qvædam compararent ad vescendum, id qvod sæpe obliviscebamur facere, vel panem comparabant solum, vel erant pauci & minuti pisces pro obsonio. Adde qvod cum spatium cibi sumendi vacuaq; hora non daretur ab interventoribus; modo prandium differebat ad vesperam, ac ne provocatus quidem à suis prægustabat quidquam, modo nullo cibo transigebat diem, ut postridie mane quasi ex inedia hesterna esuriret. Quid ege nunc proferã admirabile illud & præterquam in hoc uno inauditum jejunium, cum escis omnibus se dies quadraginta continuos totidemq; noctes abstinuit.....! Hic igitur victus tam frugalis, tam aridus atq; asper, tamq; nullus, qvid ad præclaram & eximiam speciem attulit momenti, aut qvomodo corpulentiorem aut habiliorem Christũ reddidit, qvi si ad tuendam valetudinem satis per se valuit, arcendamq; mortẽ, magnum sanè & plusqvam humanũ

fuit. Quod nisi paruisset ipse legibus suis, cavisset-que imprimis, id quod aliis cavendum præcipit, ne mœstitiam imitaretur eorum, qui dedita opera vultum corrumperent, præque se jejunia longa ferrent & ostentarent, ac laudem siccorum & continentium in victu quærerent, aut nisi summa naturæ bonitas esset, quæ egeret parvo, nec facile incommodis difficultatibus cederet; aut nisi denig vis humana major subveniret aut adminicularetur ad tempus, non erat dubium, quin, qui pallor infecisset ora, quæque macies occupasset totum corpus, hominem nobis non solum non speciosum, sed exsanguem & enectum & horrendum aspectu traderet.

XCIII. Non inficiamur prorsus, quod jam sæpius contestati sumus, eum fuisse Christo ex necessitate quadam vivendi ritum, quo labefactari quodammodo potius, quam augmenta sumere corporis decora potuissent. Nam præter ea, quæ in discursu modo allato à vero haud abesse ex paulo post dicendis apparebit, vita, quam vixerat, universa laborum plenissima erat, sæpissimè dormiebat sub dio, per æstum ac frigus noctem agebat, non omni modo temperata erat, quam habitabat, regio, cibi potusque ex intemperata atque à Deo maledicta terra enascentes non ea semper mixtura coquebantur, quæ sanitati corporis & ornatui ejusdem promovendo prodesset, vagabundus quasi de regione in regionem transcurrebat, multa hostium suorum scommata, sarcasmos, insidias, maledicta deglutire necesse habebat.

Ex

Ex his tamen atqve ejusmodi aliis nondum ulla vi seqvitur, qvod Vavassor, qvem & de cætero in recensenda victus, qvo utebatur Christus, ratione hypothesi suæ nimium inserviisse postea demonstraturi sumus, inde confidenter admodum elicit: nisi vis aliqva humana major opitulata ei ad tempus subveniisset, dubium non fuisse, qvin & pallor ora & macies corpus ita occupassent, ut hominem exsanguem potius, horrendum ac enectum, qvam speciosum nobis traditura fuissent. Unde enim probabit, unqvam miraculo, [nisi forte in qvadragesimali jejunio, de qvo supra jam aliqvid diximus] intercedente factum esse, qvo minus vel inedia nimis longa vel sitis nimis diuturna corpus ejus exesum ita qvasi corroserint, ne in frusta dilaberetur, & semiustulato cadaveri qvam homini similius fieret? Qvemadmodum miracula citra necessitatem & apparens in textu sacro indicium pro lubitu nostro fingenda non sunt aut multiplicanda: ita causa nulla est, cur dicamus, dum privatam agebat Christus in officina patris sui vitam, cibum potumqve ad necessitatem parentibus aut sibi ipsi unqvam defuisse; cum pauperes illi qvidem, nunqvam mendici, attestante Evangelica historia, fuerint, dum vero publico cœpit ministerio fungi, nihil se unqvam rerum necessariarum in hospitio ejus desideravisse, Apostoli testes sunt; qvi itaqve potuit Christus vel inedia consumi, vel siti arefieri,

ubi, qvos in convictu suo habebat, cibo potuqve, qvantum opus fuerat, abundabant?

XCIV. Ponamus vero, aliqvando eum necessariis eguisse, [qvamqvam indigentiæ ipsummet suæ miraculo etiam subvenisse, aliqvoties memoret Scriptura; Marc. VIII, 6. Luc. V, 6. Matth. XVII, 27.] ne cibum potumqve ad satietatem sumere potuisse, non ideo exsanguem & enectum & horrendum redditum esse adspectu, illico credendum est. Qvod enim naturæ etiam peccati labe infectæ aliqvousqve tolerare possunt, citra insigne vel valetudinis vel formæ detrimentum, qvidni & Christus, qvi eo meliore omnibus, qvo à peccati pollutione remotior est, constitutione gaudebat, proferre longius & tamen minus exinde potuerit accipere damni? Qvod agnoscit ipse Vavassor, qvamqvam non sine qvapiam dubitatione, cum ait: forte summam naturæ bonitatem, qvæ parvo egeret, in causa fuisse, ut non facile incommodis atqve difficultatibus cederet. Sed vero & infirmiores naturas parco & qvi infra desiderium sit, cibo potuqve non se sustentare duntaxat, sed corrigere etiam innatam malitiam, tantum abest, ut frugalitas illa nimia corpus enecet & horridum reddat, exemplis & Medicorum consensu exploratum atq; compertum est. De Cyro Xenophon refert, eundē freqventer dixisse: causam se valetudinis suæ duplicem prædicare, primo, qvod nunqvam ad satietatem commederet deinde qvod variis corporis exercitiis cibos benè concoqvere anniteretur.

De

De Daniele atqve sociis Sacra Historia memorat. dum contemptis delicatioribus & regiis cibis, nil nisi aqvam biberent & legumina commederent, intra exiguum tamen temporis spatium plus decoræ pulchritudinis & elegantiæ acqvisiviſſe, qvam reliqvos, qvos qvotidiana & superflua è regis culinâ fercula saginabant. Agesilaum Plutarchus scribit non tantum à crapulâ, sed à saturitate etiam abstinuisse, ut corpori ipsius melius esset. Qvî itaqve abstinentia isthæc, si qvæ fuit, & qvaliscunqve fuit, nocere Christo potuit, qvi cum omnibus abundare potuisset, liberè volenterqve abstinuit, defectumqve istum minore cum virium suarum & formæ jacturâ, qvam cæteri, infirmiore utentes naturæ constitutione, pertulit? Qvid? qvod lectisimæ formæ virgines atqve fœminæ pulchritudinem hodie non alio certiore medio conservant, qvam parco cibi potusqve usu, qvo rarissimè ad satietatem fruuntur, ratæ, epularum vel lautitias vel copiam carnes ingrato qvodam tumore inflare, nimiâqve rubedine inficere genarum vultusqve gratiam. Neqve vero etiam in viris corpulentior habitiorqve forma ita ad corporis elegantiam reqviritur, ut si absit, vel deformis vel non formosus homo existimari debeat. Nonnunqvam, si cætera sint paria, commendare formam, nonnunqvam eandem dehonestare, nonnunqvam citra naufragium ejusdem prorsus abesse potest. Ut adeo frustra qværat Vavassor pin-

guina Christo hospitia, qvorum beneficio carnosum reddere Christum & pinguem & obesum qveat, cui, ut est apud Persium,

Pinguis aqvaliculus propenso sesqvipede extet.

XCV. De cætero in duplici, qvam duxit, vitæ genere non ea mendicitate aut rerum domesticarum inopia pressum fuisse Christum, qvæ formæ ipsius fraudi esse potuisset, eò qvod de egestate isthac rerum ad victum qvotidianum pertinentium nusqvam ullibi ullo verbo legatur, longè verosimilius est, qvam adeò macram tenuemqve ei fuisse culinam, ut stomacho ejus haud rarò cum fame fuerit belligerandum? In familia domoqve materna opificium Patris ignobile qvidem, sed honestum & alendæ familiæ, non minus, qvam sunt cæteræ artes manuariæ, accommodum, eo copiosius victum vestitumqve necessarium sufficere poterat, qvod parentes unica sobole locupletati, Josephus manuum suarum artificio & diligentia, Maria laboribus aliis, sexum fœmineum ornantibus facultatulas suas vel pararent vel augerent. Posteaqvam verò eundem publica functio freqventer à Parentibus abesse & peragrare Judæam finitimasqve provincias, jussit præter eos sumptus, qvos sine dubio subinde è Parentum liberalitate accepit, eximia munificentia à qvibusdam mulieribus, qvas maximis affecerat beneficiis sustentatum esse, docet Lucas, cap. IIX. 3. Nihil eqvidem Christo in domibus, nihil in cella penuaria congestum, ut hodie Christi sociis & imitatoribus, Jesuitis & Mona-

Monachis, [veluti cum, referente Thuano, anno hujus seculi duodecimo, direpto Aqvisgranensi Jesuitarum Collegio, tantus ciborum, qvadragesimali jejunio destinatorum, apparatus inventus est, ut diripentes regios se putarent invenisse thesauros] sed tamen nihil unqvam ipsi ac discipulis ideò deerat, comparabantur res necessariæ, (neqvc enim fieri aliter in peregrinationibus potest] præsenti pecunia. Juda loculorum curam habente & qvasi œconomo, neqve ullo constat indicio, vel prandium præter voluntatem propriam dilatum in vesperam, aut sine cibo ita transactum diem fuisse, ut prostridie mane qvasi ex inedia hesterna esuriret. Ut adeo longè rectius nos concludamus: aut nihil aut parum potuisse tali, qvantumlibet parco ac paupere, victu de corporis pulchritudine decerpi.

XCVI. In ipsâ verò Christi natura nullum latuisse ullius intemperantiæ aut fœditatis seminium, illibata ejus è Spiritu S. conceptio evidenter demonstrat. Is enim ἐπιλεύσει sua & obumbratione, semini miraculosè excitato, ita se conjunxit, ut ab omni impuritate præservaret, & qvovis auro atqve argento magis defecatum redderet. *Quid enim tanti operis effector peccaverit*, at ipse Vavassor, *qui huc modo incubuit, ut & corpus ex puro & incorrupto matris sanguine fingeret, & puncto temporis absolutum paratumq; adsubitam ac præsentariam animæ susceptionem exhiberet?* Nec aliud qvid eos ex Romano cœtu, qvi & ipsius Mariæ immaculatam conceptionem propugnant, ut hoc facerent,

facerent, commovit, qvam qvia istâ ratione certius faciliusqve fieri persuadebantur, ut omnes à Christi corpore sordes maculasqve vel abstergerent vel præcaverent. Qvid verò potuit ex massâ tam purâ, tam sanctâ, tam illibatâ, non dico vitiosum, sed vitio etiam simile provenire? A vitio verò & defectu alienum non foret, si procedentibus annis intemperies qvædam & qvalitatum sine exacta harmoniâ pugna, atqve ex ea deformitas, imò mors ipsa se in corpus Christi effudisset. Id enim purum non est, ex qvo impuritates profluunt; & nisi perfectius aliqvid Christi corpori, qvam cæteris mortalium, adjicere voluisset Spiritus S. haud opus fuisse videtur, ut singulari sua præsentia & operatione fundamentum qvasi jaceret hujus corporis & non sine futuræ perfectionis omine, qvalibus ac qvantis prærogativis hoc præ aliis omnibus corpus gavisurum esset, in ipso ejus initio præmonstraret. Qvare ex materia generandi corporis Christi, operante sanctissima perfectissimaqve intus anima, omnem ejusdem corporis ornatum, omnes nobilitates tam morales qvam physicas ultrò profluxisse necesse est, qvousqve non decetur, relictum in ea ullum imperfectionis, ullum infirmitatis, ullum turpitudinis ullius à Spiritu Sancto fuisse principium, qvod verò cogitare à Christiana pietate alienum est, nedum eloqvi.

XCVII. Sunt inter veteris & recentioris Ec-

Ecclesiæ Doctores, qvi Spiritum Sanctum non tantum virtute ac potentia sua Divina materiam, ex qva corpus Christi generari debuerat, præparasse, & sanctificasse sed & fœcundasse, id est, animam è nihilo creatam corpori infudisse, corpusqve ipsum in utero Mariæ uno momento partibus suis & membris omnibus integrum formasse, contendunt. Supponunt nempe, in cæteris hominibus giguendis hunc esse naturæ ordinem, ut primo producatur semen qvodpiam actu inanimatum, virtute tamen formandi membra, qvam πλαστικὴν vocant, præditum, qvæ cum partes vel præcipuas vel omnes intra aliqvod mensium spatium delineaverit, accedere demum Divinitus animam, fieriqve, qvi antea imperfectus fuerat, perfectum & absolutum hominem. Cum vero profanum videatur, asserere, qvod ullo temporis articulo qvidpiam Christi fuerit, cui Divina ejus natura personaliter haud fuerit unita, & vero illa soli materiæ, anima rationali destitutæ, uniri haud potuerit; inde necessum esse, Christum hac ante cæteros homines omnes instructum fuisse naturæ prærogativa, ut in primo statim conceptionis momento & adfuerit semini anima & ut adesse posset, membris patribusqve corporis omnibus, qvæ hominem integraliter absolvunt, constiterit. Augustinus lib. LXXXIII. Q. LVI. *communis*, ait, *naturæ lex est, ut conceptio humana certis temporum spatiis & moris procedat; at*

Do-

Domini nostri sancta nativitas singulare hoc habuit, ut in ipso primo conceptionis instanti, humanitas ejus non sensim, ut in meris aliis hominibus, sed simul tota atq; integra fuerit efformata à Spiritu S. Scholastici, interqve eos Thomas, conceptionem in qvosdam actus distribuunt, qvorum primus sit virginei sanguinis in locum conceptionis attractio; alter corporis ipsius ex sanguine in membra efformatio, tertius carnis sic formatæ accretio. De qvibus statuit Thomas, attractionem per motum brevissimo tempore factam esse, accretionem motu & tempore peractam, sed efformationem corporis, qvamvis etiam motum tempusqve flagitet alias, hic tamen Divina potentia in instanti esse perfectam. Nostri certè propositi non est, hanc sententiam, cui & Vavassor accedit, refellere, qvamqvam contrarium nobis placere, id est, animam qvidem materiæ seminali, ut apud alios qvoscunqve homines, ita & in Christo, per traducem ab anima Mariæ propagatam, primo qvoqve momento præsentem, sibiipsi successu temporis membra effigiasse, neqve Christum, qvantumlibet ejus carni sine ulla mora sese personaliter conjunxerit Divina τῦ λόγυ, à primo conceptionis instanti absolutum omnibus membris hominem vel fuisse vel esse debuisse; qvippe *qvi fratribus suis per omnia debebat assimilari.* Heb. II. 17. non diffiteamur, si tamen immediata Spiritus S. manu universa ista membrorum corporis Christi compages efficta atqve elaborata est, qvî

fieri

fieri potuit, ut tantus artifex, qvi per Bezaeelem ſtupendæ elegantiæ ornatum qvem, imitari nulla unqvam potuit manus, veteris Teſtamenti tabernaculo intulit, cum jam non alienis, ſed ſuis digitis opus & majoris precii & gravioris momenti inceptarer, perficeretqve nemine in operis conſortium vcniente, non & ingenii & artificii & pulchritudinis incomparabile ederet ſpecimen? Non eqvidem immeritò Jan. Huardus, in Scrut. Ing. c. XVII. p. 548. hunc in modum argumentatur: *Evangeliſtæ in eo occupati non fuerunt, ut conſtitutionem corporis Chriſti, redemptoris noſtri, referre voluerint, qvoniam ad eum ſcopum, qvem ipſi propoſitum ſibi habebant, prorſum nihil id faciebat. Nihilominus facile omnino eſt, conſtitutionem ejus conjicere, ſuppoſito eo, qvod hominem eſſe rectè per omnia temperatum, eſt ſumma atq; integra perfectio, qvæ naturaliter alicui competere poteſt. Ac qvum Spiritus S. ipſe formarit eum & convenientibus organis inſtruxerit, certum eſt, nec cauſam materialem, ex qva eum formavit, nec intemperiem aëris Nazarei reſiſtere ei potuiſſe, aut facere, ut in operatione ſua erraret, prout aliis agentibus naturalibus contingit. Qvin potius fecit, qvod voluit; qvippe qvem nec potentia nec ſcientia nec voluntas fabricandi perfectiſſimi atq; ab omni prorſus defectu immunis hominis deficiebat; præſertim qvum, qvod ipſe de ſe Chriſtus dicit, in hunc mundum venerit, ut & pateretur pro humano genere & veritatem homines doceret, iſt hæc verò temperies, qvam optimum eſt naturale inſtrumentum ad utrumq; illud expediendum.*

Etſi

Etsi enim Divinitate sua potissimum adjutus magnum redemptionis negotium peregerit, & nescio qvid profani sonet, naturalem temperiem citra ulteriorum adjectam informationem instrumentum vocare tam Divini operis, [nisi qvod, cum & ipsa natura humana ad illud concurrerit, qvalitates qvoqve ejus aliqvid attulisse momenti, ad ἐνεργήματα nempe carnis, ut in tertio genere communicationis idiomatum appellantur, una cum Divinis actionibus ad unius effectus seu ἀποτελέσματος unitatem confluentia, exserenda, ambigendum non sit] cætera tamen, ex qvibus temperamenti & eorum, qvæ ex eo oriuntur, inter qvæ & formæ decor numeratur, perfectionem concludit, vi sua non carere, nemo est, qvin ultrò animadvertat. Claudamus itaqve hujus argumenti tractationem verbis Vavassoris, qvibus ille qvidem deformitatem à Christo amovet, sed qvæ non minore virtute pulchritudini, eiqve singulari, probandæ inserviunt, cum inqvit, cap. I. §. 5. p. 29. *Illud neqve pono pro argumento neqve differo, qvod jam olim Chrysostomus judicavit, esse ea, qvæ geruntur à DEO, fiuntqve miraculo, iis, qvæ natura suis ipsa viribus molita unqvam est, molirive potuit, potiora. Ex qvo conseqvens existat, & oculos cæcis redditos perspicaciores, panes multiplicatos suaviores, & ex aqva vinum factum nostratibus exqvisitius, & similia horum. Satis superqve habeo, non fuisse Christo fraudi, qvod Divinum Numen non mortalem ullum patris qvodammodo*

modo loco habuerit, ejusq; conceptum, cui Spiritus S. operam admirabilem dedit, si non continuò perfectiorem, certè nihilo imperfectiorem, (at qvæ est ratio concludendi hoc, ea & illud) *quam si generatus humano satu, editusq; in lucem esset, existimari oportere.* Nunc ad reliqva argumenta properandum est.

XCIIX. Sextum argumentum præbet Historia. Nicephori Callisti, H. E. l. I. c. 40. de forma Christi verba, ex interpretatione Joh. Langii, retulit in notis Arndius. Centuriatores Magdenburgici, cent. I. l. I. c. 10. fine additâ κρίσει ita recensent: *Ut ex antiquis descriptionibus accepimus, figura Christi talis fuit. Formosa species corporis fuit: Statura septem integras spithamas excessit. Capillum habuit nonnihil flavescentem, non densum, & in extrema parte aliquantulum crispum: nigra supercilia, non multum curva, nec sine intervallo. Oculos fulvos, qui nominantur Charopi: non luscioſos, nulla deformitate insignes, non vagabundos, naso erecto, barba flava, non prolixa. Capilli verò capitis prolixi fuerunt: quia nunquam novacula, aut ullius hominis manu tonsi fuerunt. Collum leviter inflexum fuit, ne prorsus erectus incederet. Color faciei subfuscus, tritico similis: facies non rotunda, sed qualis fuit matris, aliquantulum demissa, paululum rubescens: & vultus ipse significabat hominem intelligentem, & mores graves & placidos, & prorsus ab iracundia alienos. Prorsus autem similis erat purissimæ matri suæ.* Publius Lentulus, Proconsul, Epist. Prima, in Libro, qvi inscribitur: Monimenta

S. Patrum orthodoxographa, excusa Basileæ; ex urbe Hierosolymitanta ita ad Senatum Romanum perscribit: *Lentulus, Hierosolymitanorum Præses, S.P.Q.Romano S. Apparuit nostris temporibus & adhuc est homo magnæ virtutis, nominatus Christus Jesus, qvi dicitur à gentibus propheta veritatis, qvem ejus discipuli vocant Filium Dei, suscitans mortuos & sanans languores. Homo qvidem staturæ proceræ, spectabilis, vultum habens venerabilem, qvem intuentes possunt & diligere & formidare. Capillos verò circinos & crispos, aliqvantum cæruleoreis & fulgentioreis ab humeris volitanteis; discrimen habens in medio capitis, juxta morem Nazarenorum: frontem planam & serenissimam, cum facie sine ruga & macula aliqva, qvam rubor moderatus venustat. Nasi & odoris nulla prorsus est reprehensio, barbam habens copiosam & rubram capillorum colore, non longam sed bifurcatam, oculis variis & claris existentibus. In increpatione terribilis, in admonitione placidus & amabilis, hilaris servata gravitate, qvi nunqvam visus est ridere, flere autem sæpe. Sic in statura corporis propagatus, manus habens & membra delectabilia, in eloqvio gravis, rarus & modestus, speciosus inter filios hominum. Valete.* Qvibus adjungimus testimonium Fl. Josephi, qvo Servatorem nostrum, lib. XIIX. Antiq. Jud. c. IV. al. VI. huncin modum describit, ex versione Sigism. Gelenii: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum, qvi libenter vera suscipiunt; plurimosq; tam de Judæis*

qvam

qvam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, qvem accusatum à nostræ gentis principibus Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum deligere, qvi ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertiâ die vivus, ita ut Divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt: & usq; in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.

XCIX. Hic verò universam video doctorum indoctorumqve in me irruere catervam & isthæc testimonia vix me proloqvi patientem, objectionum, exprobrationumqve me nimbis qvasi obtegere atqve suffocare; qvid tibi cum fabularum mendaciorumqve architecto, Callisto? qvid cum supposititio & ementito, nescio qvo, Lentulo? qvid deniqve cum Pseudo-Josepho? Nempe his tibi commentis, his opus est artibus ad affingendam Christo, qvæ aliis argumentis doceri neqvit, pulchritudinem? Audio, lubenterqve majores etiam sustinebo impetus, si, qvæ fides horum hominum penes me sit, qvod postmodum exponam, non inviti, priusqvam atrocius in me sæviant & ipsi audiverint. Nunc id planum facere instituo, multa à Vavassore aliisq; præsentibus testimoniis objectari, qvæ, ubi ad intemerati judicii trutinam exacta fuerint, non tantum ipsâ vanitate suâ ultrò concidant, sed veritatem etiam eorum, qvæ ab istis sive veris sive subornatis testibus dicuntur, non parum corroborent atqve firment.

C. Loqvatur itaqve primò contra Nicephorũm Calliſtum Vavaſſor, cap. IV. §. 13. p. 135. *Qvid*, inqvit, *pauca nobis patrum verba, breves ſententiolas facimus opponi, quas nullo negotio diluamus? Nicephorum inter hiſtoricos rem perſecutum oratione & pulcherrimam Servatoris effigiem pluribus complexum, præterimus? Bonum factum, lector. Cum mille & trecentos annos ignoraremus formam omnem & modum & facturam quandam Chriſti totius, nec quisquam auſus eſſet, niſi generatim & dubitanter loqui & conjecturas dicere; exortus eſt tanto poſt Nicephorus ὁ καλλίστος, qvi ſpeciem nobis venuſtiſſimam verbis depingeret, neque crepundiis Chriſtum aut pannis & præſepi, neque veſtigiis ſolummodo & imis unguibus, ſed omni corpore agnoſcendum præberet, non ſtatum, non colores, non capillos, non ſupercilia omitteret. At qua Scriptor auctoritate? Si hominem ſpectes, nulla; qui cum libros hiſtoriarum ſe profiteretur ſcribere, itaque inſcriberet, neque judicavit, neq; exiſtimavit. Si hominis opus conſideres, tanta, quantum ii habent, de quibus id per partes exſcripſit. Qvocirca quamdiu non conſtabit, quam puris ex fontibus illud de Chriſti forma elegans & exquiſitum hauſerit, tamdiu ſuſtinebimus aſſenſum. Imo vero cum ſciamus, ex turbido eum lacu, id eſt, ex Epiphanio Monacho, auctore non ſatis idoneo, cujus hoc ſcriptum penes me aliquandiu fuit, ad verbum ſumpſiſſe, non eſt cunctandum, fidem ei, quam ſuus obſes aut ſponſor non præſtat, derogare. Pater certè Annalium ſacrorum, Baronius, qvi ſi verè iſthæc de Chriſti forma putaſſet dici, omni ratione confirmaſſet, tam parvi Nicephorum hoc loco fecit,*

ut

ut ejus in eam rem verba ne recitare quidem sustinuerit, sæpeq; alias cum erroris tum mendacii & calumniæ damnavit. Quo magis pudeat adversarios, & hunc & scriptores nullius precii alios proferre, ac venditare pro suis, qui nos ex incertis, hoc ipso, quod aliquid asseverant, faciant incertiores. Alibi, cap. III. §. 2. p. 81. cachinnis exsibilandum objicit Nicephorum, quod Christum fingat matri suæ, id est, mulierculæ similem. *Quocirca*, inquit, *quisquis es tu, si tamen es aliquis, qui Christum matris fuisse simillimum ore vultuq; putes adhuc, non quæro, quibus auctoribus in eam opinionem veneris; ostendam enim infra, quanta ipsi auctoritate sint? Sed interim hoc habeas volo, eatenus hoc tibi concedi posse, quoad utriusq; generis ratio patitur: non ut illico matre formosissima filius forma nihilo inferior generatus sit, neq; ut puer pænè puella nascendo evaserit, natura dubitante, utrum è duobus faceret. Qua laude nihil, meo quidem judicio, fingi potest vitiosius, aut à viro alienius. Sint ista sanè generi deteriori atq; imbecilliori arma à Deo concessa, quibus exarmet ferociam virorum & sævientes roget sine voce, & cogat, dum supplicat, ipsamq; adeo fortitudinem, ab omni re alia invictam, devinciat. Næ iste nomine vir indignus suo & ab omni solida expressaq; gloria infelix, cujus in aliqua famæ & existimationis parte id, quod inchoatum solummodo & leviter adumbratum, quodq; muliebre totum est, ponatur.*

CI. De Nicephoro Callisto, quod in exordio statim occupo, prorsus statuo: aut nunquam legisse ejus historiam, aut antiqvitatis

apprimè ignarum esse, qvi non animadvertat, pleraqve fabulosa, saltem incerta esse, qvæ, cum refert, vetustiorum fideqve digniorum auctoritate destituuntur. Joach. Camerarius, in cap. II. Johann. ita de eo: *Nicephorus Callistus, autor futilis, undecunq; acceptas fabulas, à purâ doctrinâ Ecclesiasticâ abhorrentes, intexuit narrationibus historiæ suæ.* Is. Casaubonas, Exerc. I. ad Baron. c. XII. *Nicephorus, autor vanissimus, futilissimus, nec συγγραφεὺς sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸς merito suo dicendus, cui ipse Baronius, qvoties animum intendit, fidem omnem abrogat.* Gerh. Jo. Vossius, lib. II. de Histor. Græc. c. XXIX. *Condidit Nicephorus hoc opus, annum nec dum trigesimum sextum egressus, ut ait ipse in Proœmio. Ineptum ac ridiculum historiæ Ecclesiasticæ scriptorem vocat Beza, Notis ad Actor. Apost. c. I. vers. 13. Videlicet propter fabellas complures & errores non exiguos: qvos in eo etiam Baronius, Possevinus atq; alii observarunt. Sed ætatem cogitemus, qva vixit.* Video ei passim fabulas & futilitates & vanitates & errores impingi, sed id nondum tamen immotum indicium est, vel verum non esse, qvod de formâ Christi retulit, vel verum esse non posse. Fateor, me homini soli non fidere, neq; pro certo habere, qvod narrat & ab aliis præterea testatur, se accepisse. Neqve adeò in parem cum cæteris vel numerum vel existimationem hoc sextum argumentum cupio collocari. Hoc tantum profiteor, si vera sunt, qvæ recenset, neqve muliebri neqve invenustâ

stâ formâ indui Christum; cumqve insuper in aliis, ubi fides ejus suspecta est, convinci mendacii argumentis aliunde petitis qveat, hic præter hominis simplicitatem, qvâ sine judicio omnibus undecunqve relatis & allatis credidit, rationem nullam esse, cur & hæc relatio apertæ fraudis & indubitati mendacii debeat accusari.

CII. Si verò Romanæ Ecclesiæ, cui religionis fide adhæserat Vavassor, indolem atqve consuetudinem intuemur, longè minores ei, qvam nobis erunt, de historiæ veritate dubitandi causæ. Qvid enim illis magis in more est, qvam iis fidei articulis, de qvibus inter nos atqve illos controversia est, fidem è dubiis aut iis certè scriptoribus fidem mutuari, qvorum auctoritatem in aliis vehementer elevant & premunt? Qvod summus vir, Isaacus Casaubonus, ut alias sæpe, ita & in Nicephoro vel approbando vel rejicien do, Card. Baronio, qvamtumlibet is sæpe alias cum erroris tum mendacii & calumniæ eundem damnarit, haud injuria objecit, l. c. *Nicephorus*, inqviens, *scriptor fabulosissimus & judicii in literis nullius. Qvare qvicqvid apud ipsum legitur, nisi alia accedat autoritas, non pluris facio, qvam folia farfari. Ipse Baronius, qvot locis istum fabulatorem aspernatur, rejicit, confutat? Qvi utinam sibi constaret, nec qvod alibi destruit, idem alibi adstrueret.* Cui inter Romanæ Ecclesiæ Scriptores non arridet fabula de assumptione

Mariæ, qvam cum mille & trecentos annos ignoraremus, nec qvisqvam ausus esset ex indubitatis veræ antiqvitatis auctoribus, nisi conjecturas qvasdem dicere, exortus est tanto post Nicephorus, qvi universum negotium ita depinxit, ac si interfuisset ac vidisset ipse & oculis id suis usurpasset? Qvare nec à Theologis Romanarum partium tam acerbam duramqve in Nicephorum ferri sententiam videmus, ac à nostris atqve Reformatis dictam esse, ex superioribus, innotuit. Nam Bellarminus, libr. de Scriptorib. Eccles. Sec. XIV. p. 286. ita censet: *Porrò in historia hujus auctoris, ut Græci & Schismatici, non mirum videri debet, si inveniantur errores proprii Græcorum, ut de processione Spiritus S. à solo patre in ipsa præfatione. Magis mirum est, inveniri non paucos errores in rebus historicis, ut ex Annalibus Card. Baronii constat.* Nec severius Jo. Maldonatus, adductus à D. Gerhardo, in Patrol. p. 621. *Qvantum autor iste mereatur fidei, ab aliis æstimari malo, qvàm à me dici; mihi semper audacior est visus.*

CIII. Non reticet autem Vavassor ipse, eam certe Nicephoro, aut Epiphanio Monacho, qvem exscripsisse dicitur, communiter haud abrogari fidem, qvæ iis debetur, qvos ipse vel compilavit vel excerpsit. Præcessit verò Nicephorum integris octo seculis Theodorus Anagnostes seu Lector, ab officio, qvod in magnâ Ecclesia Constantinopolitana, Suidâ teste, obibat, ita vocatus. Vixit enim sub Zeno-

Zenone, Anastasio & Justino, Orientis Imperatoribus, seculo qvinto ad sextum vergente. Is itaqve in Collectaneorum ex Historia Ecclesiastica, libro I. ex versione Wolffgangi Musculi, hunc in modum refert: *Sub Gennadio pictoris cujusdam manus exaruit, qvi loco Jovis Servatorem pingere præsumpserat, qvem Gennadius precibus suis curavit. Dicit autem, qvi ista scribit, aliam formam Servatoris veritati magis consonam esse, qvæ crispis sit & modicis capillis.* Sunt collectanea ista sine dubio excerpta ex majori Historiæ Ecclesiasticæ opere, ut arguit inscriptio secundi libri: ἀπὸ τῦ δευτέρυ βιβλίυ è *libro secundo. Credo*, ait Gerh. Jo. Vossius, Add. ad lib. II. de Scriptor. Græc. p. 535. *Nicephorus Callisti non integram Theodori historiam, sed solum ea, qvæ excerptu digniora putavit, suo dictavit amanuensi.* Nam collectanea ista â Nicephoro fuisse collecta, primi libri titulus docet, qvi habet: ἐκλογαὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἀπὸ Φωνῆς Νικηφόρυ καλλίστυ τῦ Ξανθοπούλυ; *Excerpta Historiæ Ecclesiasticæ, ab ore excepta Nicephori Callisti Xanthopuli.* Apparet autem partim ex verbis Theodori, partim ex inscriptione librorum, Nicephorum non tantum se longè vetustiorem auctorem, de formâ Christi referentem, legisse, sed forte præter Theodorum alios etiam, in eadem historia occupatos. Nam & ipsum Theodorum hæc sua ex aliis se prioribus descripsisse, ipse haud obscurè subinnuit, cum ait: *dicere hoc alium, qvi hæc scribat.* Nec etiam verba Theodori, qvæ

partem duntaxat excerpunt eorum, qvæ auctor non nominatus de formâ Christi scripserat, vel hilum diversa sunt ab iis, qvibus post intervallum octingentorum annorum Nicephorus usus est. Nam ille: *forma*, ait, *Servatoris veritati congrua est, qvæ cirsipis sit & modicis capillis*; hic verò: *Cæsariem habuit subflavam, ac non admodum densam, leniter qvodammodo adcrispas declinantem.* Qvamqvam verò cætera non adjiciant Eclogæ illæ è Theodoro excerptæ, qvæ ad reliqvam faciei ac corporis formam addidit Nicephorus, nemo tamen, qvi Theodorum Nicephoro aut hunc illi contulerit, dubitabit, cætera qvoqve in integro Theodori opere lecta fuisse, qvæ tamen perinde omisit excipere Nicephorus, ac reliqva, qvorum tam parca seges est, *ut libri isti Collectaneorum vix digni sint appellatione* ἱστορίας ἐκκλησιαστικῆς judice Vossio. Cujus eqvidem rei certiores essemus, si, qvos libros in Veneta Bessarionis Bibliotheca extare, Appendix Possevini ad apparatum sacrum testatur, non tantum *epitome Historiarum Ecclesiasticarum Theodori Lectoris*, sed & *compositio ejusdem Ecclesiastica è variis auctoribus*, publicis typis unqvam descripta fuisset aut etiamnum describeretur. Qvamqvam & Labbæus, apud eundem incomparabilem Vossium, vel plures historias scripsisse Theodorum Lectorem, vel plures fuisse Theodoros Lectores, arbitretur.

CIV. Sed qvid descriptæ à Nicephoro formæ

formæ faciemus? qvæ & monſtrum nobis depingit, qvod ſeptem palmos ſeu pedes longitudine excedat, & mulierculam qvandam, qvaſi è Mariæ, matris ſuæ, vultu exciſam atqve expreſſam, deniqve neſcio qvem hiſtrionem, capillis ex humeris volitantibus, ſuperciliis & barbâ inſignem, qvi & reliqvo membrorum habitu à formoſitate, ſi relatio vera ſit, qvam à deformitate longius recedat. Aſt, bona verba! Nam neqve monſtroſus eſt homo, qvi ſeptem longitudinis palmos attingit, cum modum Varro jam olim dixerit ſummum adoleſcendi humani corporis ſeptem pedes, ſupra qvos ſcilicet, ſi adſcendat, ex ceſſibus potius naturæ qvam ejusdem perfectionibus ſit ad ſcribendum. Plinius, lib. VII. Hiſt. Nat. c. XVI. in Crerâ terræ motu rupto monte inventum eſſe corpus memorat ſtans, XLVI, juxta alias editiones, XVI. cubitorum. Cui ſi qvis fidem habendam non eſſe cenſeat, à Jacobo Dalechampio plura ſubduntur, vetera pariter atqve recentiora exempla eorum, qvi vel undecim cubitos vel octodecim pedes vel duodecim ſpithamas exceſſerunt. Hi ſi naturæ monſtra fuerunt, non ideò Chriſtus iis annumerandus eſt, licet is ſupremum in ordinariâ hominum ſtatura gradum aſſecutus eſſet. At verò nec Vavaſſori ipſi indubium eſt, utrum ſeptem ſcripſerit Nicephorus, qvem numerum facile potuiſſe deſcribentis manu mutari ideò contendit, qvia

qvia cum cætera sua Epiphanio Monacho debeat, ex qvo fideliter exscripserit, is autem sex tantum palmorum mentionem faciat, in numero græcis literis notato erratum esse, haud improbabile censeat. Ita enim loqvitur, cap. III. n. V. §. 4. p. 110. *Nego præterea Nicephoro, qvod in secundo historiarum Christum septem pedum fuisse scripsit. Cur negem, præterqvam qvod enormis longitudo facit, qvæ in admodum paucos, fermeqve monstrosos cadit; eo qvoqve adducor, qvod cum ab Epiphanio qvodam monacho, & ea, qvæ de Mariæ Virginis ac matris forma prodidit, ut fatetur ipse, & ea, qvæ de Christi, ut apparet ex totidem utriusqve scriptoris verbis, transtulerit, numerum sciens an imprudens mutavit, proqve pedibus sex, qvos Epiphanius disertè literarum notis, non numerorum consignatos habet, septem substituit. Illud igitur & rei & hominis causâ non crediderim.* Qvis verò etiam præstabit, aliter non scripsisse Nicephorum, qvi descriptorum manu vel falsari potuit vel corrumpi? Non enim constat, nisi de unico exemplari, in prædâ Turcicâ reperti, qvod ex reliqviis bibliothecæ Matthiæ, Hungarici Regis, Joannes Langus & in latinam linguam convertit & typis primus describi curavit.

CV. Cum vero Divinæ & immaculatæ suæ genetrici per omnia similis fuisse dicitur Christus, neqve ideò puer penè puella nascendo evasit, ut jocatur Vavassor, [nam similitudo illa non aliter intelligenda est, qvam utriusqve

usqve generis vel sexus ratio patitur] neqve gloriam Christo & laudem in re qvapiam leviculâ & muliebri affectavit. Publium nempe Virgilium ab ingenio, ab arte, ab eruditione non parum laudamus, qvod Æneæ suo formæ qvoqve gratiam à maternis lineamentis & coloribus mutuatus fuerit; cujus hi lib. I. Æn. v. 592. s. extant in eam rem versiculi:

Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit;
Os humerosq; Deo similis; namq; ipsa decoram
Cæsariem nato genetrix, lumenq; juventæ
Purpureum & lætos oculis adflarat honores.
Qvale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

Nam, observante Jov. Pontano, partim describitur hic Patri suo, Jovi, similis, qvo ipso in formâ efficitur dignitas,

Os humerosq; Deo similis;

partim matri suæ, Veneri, à qvâ venustatem mutuatur,

\- - - *namq; ipsa decoram*
Cæsariem nato genetrix, lumenq; juventæ
Purpureum & lætos oculis adflarat honores.

Qvarum hanc pulchritudinis speciem Cicero muliebrem dicit, qvæ nempe gratiam & intuentium amorem suffuratur, qvod amoris illicium & oculorum philtrum dicitur illam virilem, qvæ oris purpureo colore & humerorum latitudine auctoritatem viris conciliat. Tribuit autem Virgilius Æneæ, secundum

Servi-

Servium, h. l. *laudem nimiæ pulchritudinis, cui nec ipsa lucis claritas derogarit*, cum ait:

clarâq; in luce refulsit;

cum alias nimius lucis splendor res cæteras, qvantumlibet eximias, obscuret & qvasi extinguat. Nec ea etiam præterit, qvæ cum mulieres commendent, rarius in viris conspiciuntur, utpote colorum suavitatem & candorem, Pario marmori vix cedentem. Ut. J. C. Scaliger, libr. V. de Re poët. c. III. hunc locum Homerico conferens multis modis eundem superare pronunciet. Nam, inqvit,

Os humerosqve Deo simili

longè luculentius est, qvam majorem & crassiorem, μείζονα καὶ παίσσονα (habitiorem & corpulentiorem, dixerat Vavassor) *efficere; hoc enim boum est. Et cæsaries est verbum militare, qvo non contentus addit: decoram. Homerus autem* ὄλας κόμας *pessimè Crispitudo namq; pusilli animi nota est, aut levitatis. Idcirco leones crispi minus animosi existimantur. Illa verò penè supra humanum captum*;

lumenq; juventæ

Purpureum:

Etiam illa non minus:

læsos oculis afflarat honores.

Statius qvoqve Papinius, qvo nullus veterum aut recentiorum, teste eodem Scaligero, propius ad Virgilianam majestatem accedere valuit, propinqvior etiam futurus, si tam prope esse noluisset, Achillem pulchritudine qvoq; maternâ & multâ ex parte muliebri induit, cum ait: *Di-*

Diriguit, totisqve novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atqve ora redit, lucemqve genarum
Tingit & impulsam tenui sudore pererrat.
Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro.
Sic variis manifesta notis, palletqve rubetqve
Flammarecens.

Et ibidem:

Dulcis adhuc visu niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoq; nitet coma gratior auro,
Tranquillæq; faces oculis & plurima vultu
Mater inest.

Apud Frid. Taubmannum, ad superiorem Virgilii locum. Qvod si hoc Virgilium, Statiumqve circa viros militares & fortes facientem non toleramus duntaxat, sed à Divino ingenio & judicio, captum penè omnem humanum transcendente, immani elogio prædicamus: cur id vitio vertemus Nicephoro, cum materna formæ decora, qvantum virilis id facies permittebat, in Filio expressa esse atqve nituisse dicit? Cum præsertim qvotidie fieri videamus, ut filii matribus suis persimiles generentur, qvi tamen eam non à Vavassore non ferent contumeliam, qvod pueri nascendo in fœmellas evaserint, aut cum forma animum gerant humilem, summissum, mollem, fractum, abjectum, verbo, effœminatum.

CVI. Ut verò neqve staturam longiorem, qvæ cum pulchritudine, ex Aristotelis sententia

tentia necessario connexa est, [III. Eth. *Pulchritudo in magno corpore consistit; parvi verò formosi sunt quidem, sed non pulchri*;) neqve vestigia materni in Filio vultus, qvicqvam formæ dignitati derogare, hactenus demonstravimus; ita nec cætera, è qvibus formam Christi componit Nicephorus, vitii ullius corporis aut offensionis argumentum præbent. Crines flavos non hodie tantum sed olim etiam præ cæteris æstimatos fuisse, ex indubitatis historiarum monumentis constat. Nam & ab Homero in Heroibus flava coma laudatur, & ab iis, qvi Imperatorum res gestas memoriæ mandarunt, ut singulare naturæ munus, celebratur. Cumqve nimis flavus, & qvi ad rufum declinat, color, mollior videatur & seqviori sexui convenientior; qvare & aliqvando apud Romanos malam notam, utpote meretricibus usitatus, meruit, apud Juvenalem, Sat. VI. v. 121.

Et nigrum flavo caput abscondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar.

sufflavus, qvo virilior, eo elegantior erit. De Nerone Suetonius, c. LI. *Sufflavo capillo, vultu pulchro magis, quam venusto.* Eosdem crines dum non crispos densosqve, sed ad crispos leviter declinantes facit Nicephorus, [de qvo, qvamqvam de cætero ei fidem non facile habendam esse dictitet, dubitare tamen non vult Cl. Salmasius, in I. Cor. II. *in omnibus*, inqviens, *Romæ Christianæ vetustis monimentis, qualia multa*

suggerit

suggerit liber Italicus, inscriptus: ROMA SUBTERRANEA, visitur cum comâ prolixâ, in fronte discriminata, ac per genas descendens, intorta, sed leniter;) naturalem capillorum elegantiam describit. Unde Petronius naturaliter crispos *ingenio suo flexos* appellat: & Arculphus, L. de Locis Sacris, *subannellatos*, id est, interprete Jo. Jonstono, Lect. Philol. c. XIV. §. 28. *in annulos per extremitatem flexos*, qvi & idem Christo eosdem tribut. Qvales cæteris semper prælatos fuisse, *C. T. Rango*, libro de Capillamentis, cap. VI. membr. 7. ostendit. De Augusto Tranqvillus, c. LXXIX, *Capillum habuit leviter inflexum & sufflavum. Est*, ait Casaubonus, *qvem probant Physiognomonici.* Supercilia nigra laudat Horatius, libr. I. Od. 32.

Et Lycum nigris oculis, nigroq;
Crine decorum.

Oculorum gratiam in Augusto Svetonius, c. LXXIX. *Oculos habuit claros ac nitidos*, (*acres* vocat noster) *qvibus etiam existimari volebat, inesse quiddam Divini vigoris, gaudebatq;, si qvis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret.* Nasus longior, singularis mansuetudinis indicium, nisi prorsus excesserit, [unde ἐπίῤῥονος apud Lucianum à vet. Interprete, *justo naso præditus* redditur] eo corpori ornamento est, ut nec Deus ipse eundem sibi attribuere dubitaverit. Unde freqventer: אַרֹךְ אַפַּיִם, *longus naribus*, vocatur. De Augusto iterum Tranqvillus: *nasum habuit & à summo eminentiorem & ab imo de-*

ductiorem. Color triticeus is ipse est, qvem in eodem Augusto Suetonius, *inter aqvilum candidumq; medium* vocat, qvalis in Davide à sacris auctoribus laudatur, de qvo Casaubonus: *Aqvilus color propriè non est niger, non enim nigræ sunt aqvilæ, accedit tamen ad nigredinem, ut is, qvi veteribus Græcis πέλας dicebatur. Talis ferè color aqvæ, præsertim concitatæ, qvæ Poëtis μέλαν ὕδωρ dicitur. Color, qvem intelligit Suetonius, est, nisi fallor, qvalis in iis apparet, qvos solis æstus torruit.* Sed qvis reliqvum qvoqve corporis Christi habitum, ut à Nicephoro depingitur, eum ipsum esse ausit inficiari, qvi gravitatem atqve prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemqve iracundiæ expertem, præ se ferret? Qvi cum fomam ejus à summo capite ad extremam caleem, neqve vestigiis solummodo & imis unguibus, sed omni corpore agnoscendam præbet, non statum, non colorem, non capillos, non supercilia omittit, qvid, rogo te, peccat? Aut qvis hæc talia ab Historico non potius reqvirit? Suetonio in solo Octavio & forma & statura & barba & vultus & oculi & dentes & capillus & supercilia & aures & nasus & color & coxendix & femur & crus & manus & digiti & vesica & vestes, qvod & in cæteris ferè Cæsaribus facit, notantur: qvis non diligentiam potius ejus, qvâ nihil, qvod scitu vel necessarium fuerat vel curiosum, prætermisit, qvam vanitatem accuset? Nempe postqvam semel Nicephori nobis institutum

tum displicuit, modum finemqve insultandi homini reperire non potuimus, nisi & ea rejectaremus, qvæ si alii dixissent, gloriam etiam dictorum haud exiguam à nobis reportaturi fuissent.

CVII. Baronius deniqve, cur ne verba qvidem Nicephori, cum in aliis arrepta sæpe occasione eundem suggillet & errores ejus in apricum solem ponat, referre sustinuerit, aliis eqvidem dijudicandum relinqvo. Neqve enim negat Baronius, extitisse aliqvando Servatoris imagines, è qvibus vel earundem descriptionibus genuina ejus facies potuerit vel à Nicephoro, vel qvocunqve alio, præsentari. Qvod tamen, qvo affectu, qvâ fraude fiat, non abs re erit, sub oculorum conspectum ponere. Disputat Baronius, Tom. III. Ann. Eccles. ad ann. 314. veram utiqve esse, qvæ de leprâ Constantini circumfertur, relationem. Qvod ut iis, qvibus hæc fabula diu suspecta fuit, persuadeat, ex Actis ab Hadriano Papâ descriptis memorat; admonitum in somnio Constantinum à duobus viris, qvos ipse Deos vocabat, coram ipsi adsistentibus, ut Sylvestrum, Romanum Episcopum, ad montem Soractem persecutiones ejus fugientem, adduceret, piscinam ipsi ostensurum, in qva si lotus fuerit, fore, ut lepra eundem desereret. Cum accerseretur Sylvester, informaretqve Imperatorem, vires illos in somno ei apparentes Apostolorum principes

esse, Petrum atqve Paulum, non acqvievit Constantinus, priusqvam ex imaginibus horum Apostolorum, qvas ex Ecclesia Romana per Diaconum adferri curaverat Sylvester, de veritate hujus rei qvam certissimus redderetur. Poterat Baronio objici: ubi istæ & unde tandem imagines, Petrum Paulumqve, qvi Constantino in propriâ se forma visendos præbuerant, tam exactè exprimentes? Respondet itaqve hunc in modum: *Qvod spectat advenerandas imagines Petri & Pauli, atqve imprimis Salvatoris nostri, Jesu Christi, ad sua qvoqve tempora esse in Ecclesia conservatas, seqve eas aspexisse, testatur Eusebius, lib. VII. c. XIV. in fin. hisce verbis: cum & nos Petri & Pauli Apostolorum & Christi etiam ipsius imagines, in picturis eorum varietate expressas, conservatasqve adspexerimus.* Anteqvam cætera Baronii adjiciamus, desideramus hic in celebri Annalium conditore candorem. Neqve enim ullibi dicit Eusebius, imagines se Christi & Apostolorum, in Ecclesia ad sua usqve tempora conservatas, [qvod ideò ei adfingit Baronius, ut superstitioso imaginum cultui aliqvam antiqvitatis reverentiam conciliet] adspexisse. Narrat autem Eusebius historiam, de statuâ ab Hæmorrhousa Christo atqve sibi posita, eidemqve subdit: *Hanc autem statuam imaginem Jesu habere dicunt. Mansit autem ad nostra usqve tempora, sicut & ab illis videri potest, qvi in eam civitatem commigrant. Nec mirum videri debet, eos, qvi ex gentibus olim à*

Ser-

Servatore nostro curati sunt, ista feciſſe, qvando & Apoſtolorum ipſius imagines, Pauli videlicet & Petri, denique & ipſius Chriſti, in tabulis coloribus depictas aſſervari vidimus, qvod veteres ex gentili conſuetudine, eos, qvos Servatores putarunt, ad hunc modum honorare ſoliti fuerint. Video hic, ab Euſebio aſſeverari, veteres gentiles, qvalis & hæmorrhouſa fuerat, ex paganâ conſuetudine, eos, à qvibus, ut Servatoribus, beneficio adfecti fuerunt, ſtatuis & imaginibus colere conſueviſſe. De Chriſtianis, qvod hunc ritum tum temporis imitati fuerint, nec verbum video. Videtur potius innuere Euſebius, eo ipſo qvod mos iſte ex gentili conſuetudine deſcenderit, adeoqve qvidpiam ex Paganiſmi ſuperſtitione traxerit, eundem Chriſtianæ Eccleſiæ diſplicuiſſe. Video præterea, teſtari Euſebium, gentiles à Chriſto vel Apoſtolis curatos, imagines eorundem διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας aſſervaſſe, idqve, apud eosdem ſcilicet, conſpexiſſe Euſebium: aſſervatas autem eſſe illas imagines in templis, in Eccleſia, ut hoc additamento de ſuo Euſebium, etiam invitum, ornat Baronius, ne gry qvidem ejus video. Qvid verò amplius ſacrorum annalium Pater? *Qvod ſi ejusmodi, Apoſtolorum principum extabant imagines & viſebantur in Palæſtina, tot præliis ſæpe devaſtata: qvantò magis Romæ eadem integræ atqve ſinceræ, eorundem vultus accuratius exprimentes, aſſervari potuerunt, ubi iidem Apoſtoli diutius vixerunt & tan-*

dem martyrium passi sunt, ubi ars excultior & custodia diligentior sit adhibita? Cæterum eadem ipsa tabula tunc à Sylvestro Imperatori Constantino ostensa, hactenus magna veneratione asservatur in ejusdem Petri Basilica Vaticana: cujus qvidem exemplar formis æreis affabrè expressum, Romæ editum vulgatumq; omnibus, haud necessariò existimavimus hic exprimendum. Refert sanè idem exemplum, quo S. Augustinus ait, pingi consuevisse simul imagines Salvatoris & Apostolorum Petri & Pauli, lib. I. de Cons. Evang. c. X. Qvod si Christi atqve Apostolorum imagines antiqvissimis primisqve Ecclesiæ ætatibus tam affabrè pictæ, tam accuratè expressæ, tanta diligentiâ & veneratione in Ecclesiarum matre Româ, ubi & ars excultior & custodia diligentior, his scilicet pigmentis & simulacris, adhibetur, asservatæ fuerunt, inqve ipsâ, qvantumvis tot præliis sæpe devastatâ, Palæstina eædem pasim visebantur; cur illæ soli Nicephoro fuerunt ignoratæ? Cur illi neqve licitum neqve facile fuit, Christi imaginem, *à veteribus*, ut ipse loqvitur, *accipere*, & ut illi coloribus expresserunt, ita literarum verborumqve lineamentis depingere? Cur dubitamus ulterius, non destitui Nicephorum, qvod pasim ei objectatur, scripti sui in hoc argumento antiqvitate & auctoritate? Esto, alios scriptores non habuerit, aut non satis idoneos & fide dignos, ex qvibus descripserit, habuit imagines accuratè expressas & vel ex ipsâ Româ, qvæ ejus fuerat in

omnes

omnes orbis Ecclesias cura atqve solicitudo, arte excultiore factas in orientem missas. Qvid igitur culpæ meruit, qvod prævenit Ecclesiæ Romanæ scriptores, & qvod illi ex tanto tempore, si tam acccuratæ imagines in manibus ipsorum fuerunt, facere neglexerunt, imaginis tam venerandæ colores calamo suo delineavit & posteritati haud invidit? Cur deniqve, cum tantis gaudeat Romana Ecclesia, veram Servatoris nostri formam sciendi, præsidiis, non hodieqve eandem mundo communicat, cum tam liberalis fuerit in edendis Mariæ & Apostolorum imaginibus? Cur non prodit aliqvando cononizata à Pontifice Christi imago, ut controversiarum de formâ ipsius, non tam inter Lutheranos, qvi ex contentionis studio Pontificis decretis nunqvam acqviescent, & Pontificios, qvam inter monachos ipsos, qvos non pudet Nicephorum & scriptores nullius precii alios proferre ac venditare pro suis, qvi nos ex incertis hoc ipso, qvod aliqvid asseverant, faciant incertiores, qviqve his altercationibus Ecclesiæ suæ dignitatem prostituunt, sit finis? Cur verò patitur sanctissimus & amore in Christianos omnes, tanqvam delictissimos filios suos, flagrantissimus Pater, non dubios tantum hærere de genuina forma Servatoris sui, qvi vitam pro ipsis & sanguinem in ipsorum salutem profudit, sed devotissimos etiam qvosvis & religiosissimos imaginum adorato-

res coram adulterina Christi imagine, cum veram & accuratam in sinu suo possideat, procidere & invocare loco Christi nescio qvod imaginis spectrum? Sed nimirum imago tantum Petri & Pauli à Sylvestro ostensa est Constantino, illa tantum in Petri Basilica Vaticana asservata est, nec alia qvam hæc formis æreis affabrè expressa est atqve vulgata. Audio, & facile capio Baronium. Qvomodo itaqva probandæ huic assertioni in testem selegit Eusebium, qvi tamen Servatoris perinde meminit, ac Apostolorum, Petri & Pauli? Qvomodo *imprimis* Christi imaginem asservasse Ecclesiam pronunciat Baronius? Qvid meruit Christus, ut illius solius imago periret, superstite Pauli, superstite Petri? Qvæ isthæc est custodiæ diligentia, qvam in Vicario Christi prædicat Baronius, qvi Principis sui imaginem ex oculis & memoriâ hominum permittit evanescere, servorum verò ejus studiosè conservat? Aut istæ, qvas vulgavit Roma, non sunt integræ atqve sinceræ Apostolorum imagines, aut Christi imaginem perinde ut illorum, imò magis qvam illorum, extare oportet, aut deniqve nulla ejusmodi, qvæ ex prototypo suo accuratè sit expressa, imago in Ecclesiâ extitit, aut extitisse in Ecclesia testatus est Eusebius. De statua vero atqve imagine Christi, ab Hæmorrhoussa erecta, postea nobis dabitur dicendi occasio,

CIIX. Qvod vero Lentuli Epistolam ex Ortho-

Orthodoxographis à nobis supra relatam concernit, eandem haud alio fine adduximus, qvam ut constaret, qvaliscunqve illa demum ætatis sit, eo tamen tempore & qvando illa edita fuit, complurimorum animos opinionem de formoso Christi corpore occupasse. Neqve etiam ullâ in re à Nicephori descriptione illa discrepat. Hominem vocat Christum staturæ proceræ, qvem ille sex vel septem pedum longum descripserat. Qvæ eqvidem longitudo, ceu supra diximus, justam hominis mensuram non excedit, si inprimis vocem de pede Romano non exaudiverimus, *nam aliarum gentium*, ait Is. Causaubonus ad Suetonii Tib. Ner. c. LXVII. p. 395. *pes brevior. Qvare etiam novem pedes alios in historiâ Græcâ reperimus, cujusmodi fuit Proæresius ille, Sophista insignis, de qvo in vita scribit Eunapius, tantæ illum proceritatis fuisse, qvantam vix animo concipere qvis valeat, nedum facile credere. Tum addit: ad nonum enim pedem assurgere eum apparebat, adeò ut Colossus qvidam esse videretur, cum ejusdem ætatis hominibus, qvi procerissimæ staturæ erant, collatus. Sed & decem pedum homines historia Græca memorat, ut Nicetas Andronicum Comnenum; sed mensuræ diversæ. Apud Capitolinum legimus, fuisse Maximum pedum octo & prope semis. Qvod si accipiamus de mensurâ veteri Romanâ, valde insigni proceritate fuerit.* Longitudinem certè sex pedum [qvomodo vel scripsisse vel scribere debuisse Nicephorum contendit Vavassor] non ita raram tum in viro

aut miraculosam fuisse, qvin plurimi ad eandem adscenderint, vel id argumento est, qvod in delectu tironum ea fuerit semper proceritas exacta, ut senos, vel certè qvinos pedes & denas uncias habere probarentur, *Vegetio* teste, libr. I. cap. V. Nec multò aliter Impp. Valentinianus & Valens, qvi in Tit. Codic. Theodos. de Tironib. dilectum haberi jubent, in qvinqve pedibus & septem unciis usualibus. *Justa igitur statura*, ait his adductis Casaubonus, *æstimatione Romanâ senum pedum circiter fuit, qvem modum servatum in Nerone scribit Suetonius, in conscribendâ ex Italicis senum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri*, [qvi & ipse secundum Eginhardum staturâ eminenti fuit, qvæ tamen justam non excederet; *nam*, ait, *septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse figuram*;] *phalangem appellabat*. Cæsariem Nicephorus Christo tribuit subflavam & ad crispos leniter declinantem: Lentulus vocat capillos circinos & crispos, aliqvantum cæruliores & fulgentiores; ille prolixiores, hic ab humeris volitantes; ille oculos subflavescentes & acres, hic vultum venerabilem, qvem intuentes & diligere possint & formidare; ille barbam flavam, nec admodum demissam, hic copiosam & rubram capillorum colore, [rubrum autem seu potius ruffum ad flavum colorem refertur; unde sæpius apud Historicos confunduntur hæ voces] non longam, sed bifurcatam; cætera qvoqve tantum abest, ut secum

cum invicem disfideant, ut se potius mutuò illustrent atqve declarent.

CIX. De cætero miror, Janum Huardum, virum alias non ineruditum, & persuasum fuisse, genuinam esse hanc Lentuli epistolam, & ex tam frivolâ ratione persuasum fuisse. Egerat de ingenio regio, probaveratqve, ad illud requiri temperamentum ex omni parte exqvisitissimum atqve perfectissimum. Inter optimi verò temperamenti signa retulerat corporis formam & pulchritudinem. Cum itaqve forma à Lentulo delineata & pulcherrimum & temperatissimum corpus referat, non dubitat, pro verâ agnoscere hanc epistolam: *atq; ideò*, ait, *pro vera habeo relationem illam, qvam ex urbe Hierosolymitana faciebat Senatui Romano Publius Lentulus, Proconsul. Nam in hac relatione tria aut quatuor hominis benè temperati continentur signa. Primum est, qvod capillum alebat ac barbam colore suo avellanam nucem, probè maturam, referentem. Qvi color, si rectè consideretur, est rubeus tostus adustusve, qvalem Deus volebat esse agno, qvi in figurâ Christi sacrificandus erat.* Pulchrè ruffum hunc colorem confirmat præsens typus, sed pulchrius testimonium, qvod ex Prophetâ adfert: *Ac qvum cœlum intraret cum triumpho illo ac majestate, qvæ talem principem decebat, dixere qvidam Angeli, qvi incarnationem ejus ignorabant: Qvis est iste, qvi venit de Edom, tinctus vestibus de Bosrâ? qvasi interrogare cupientes, qvisnam sit ille, qvi veniat de terrâ rubra, vestibus indutus, eodem colore tinctis;* denotan-

tando capillos ac barbam, qvam alebat, rubeam, ac sanguinem, qvo notatus, signatusqve incedebat. Sed mittamus tam suaviter somniantem Medicum, utuntur inter Theologos hujus tam inficetæ Epistolæ auctoritate, Jo. Molanus, lib. IV. de Picturis, c. XLVIII. ut probet: commodè percipi posse, qvalis fuerit Christi forma & statura? & Alph. Mendoza, Salmanticensis Professor, in Controv. Theol. Qu. V. ut probet: Christum capillos habuisse paulò prolixiores & infra aures dimissos; qvos nobis suggerit, vir eruditissimus, Rob. Cocus, Anglus, in Censura qvorundam scriptorum, qvæ sub nominibus sanctorum & veterum auctorum citari solent, p. 2. qvi seqventibus Lentuli Epistolam argumentis νοθείας convincit: *In Lentuli Epistola describitur Christus capillos ab humeris volitantes habens & in medio capitis discrimen juxta morem Nazarenorum. Ubi si putidum commentum de Nazareno discrimine, in capitis medio, non satis idonea suspicionis causa Pontificiis visa est, ut insulsum aliqvem fraterculum aut Monachum sub cucullo Lentuli latere autumarent: at Christum aluisse comam & capillos Nazaræorum more, tanqvam ex voto fuisset Nazaræus, vel inde animadvertere debebant, fictum esse, qvod Christus vinum biberit, à cujus potione, qvi Nazaræatus voto obstricti erant, abstinebant; inqvit magnum illud Oxoniæ decus, Johannes Rainoldus.* Qvisqvis is est, qvi mentitum hunc fœtum ficto Lentuli nomini supposuit, utrum per Nazarenos eorum ordinem, qvi Nasireatus voto obstricti

obstricti tenebantur, an verò sectam Nazarenorum aliam, qvæ juxta Epiphanium ante & post Christum Judæorum Ecclesiam affligebat, intellexerit, asseveranter pronunciare non audio; promiscuè enim nomina apud eos, qvi Hebraicarum literarum & consuetudinum ignari sunt, capiuntur; perqvam verosimile tantum est, si qvæ ex otioso Monachorum grege obstetrix hoc ovum enisa fuit, commendatione Nazareni in Christo moris vota monastica obliqvè consecrare atqve firmare voluisse. De cætero Lentulum Proconsulem & Hierosolymorum Præsidem ignorant omnes ejus ætatis historiæ, ut apprimè non tantum rudem rerum Judaicarum, sed audacem esse oportuerit, qvi hoc nomen, cum alia certiora in promptu essent, fraudi suæ piæ substituit. Qvis verò ex Epistolæ stylo tam insipido, tam lento, tam ab iis temporibus, tam â personis in ea functione constitutis alieno, non olfaciat sive dolum fictoris sive malitiam? Qvid deniqve illud est: *speciosus inter filios hominum*? Qvasi vel Romani unqvam ita locuti sint, vel Lentulus Hebræo ori ita se submiserit, ut phrasi etiam peregrinâ delectaretur. Sed mittamus ista.

CX. Josephi verò testimonio ideò usi sumus, qvod videretur, cùm expressam corporis Christi mentionem non feciisset, isthoc tamen tam magnifico elogio, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, *si tamen virum eum fas est dicere*, ea qvoqve

qve in externo Christi habitu complecti, qvæ majorem eundem cæteris hominibus argue-rent, & Divinam sub eximii corporis specie majestatem, unâ cum reliqvis, qvæ recenset, prædicationis, suæ & resurrectionis & alio-rum operum miraculis, proderent. Qvam-qvam non ignorem, qvam judicia de præsen-ti loco varient, compluribus eundem, ut Jo-sepho suppositum, accusantibus, aliis autem adversus has injurias tutantibus; qvorum sententias memorabili studio collegit Chri-stophorus ARNOLDUS.

CXI. Cum in superioribus adversus Ba-ronium, de qvibusdam, qvas in Ecclesia con-spexisse Eusebium falsò asseruerat, Christi imaginibus disputaverimus, non abs re erit, si hoc argumentum, in qvantum illud ad propositum nostrum conducit, priusqvam ad ultimum asserti nostri fundamentum prope-remus, perseqvamur. Imagines Servatoris o-mnes ad duas classes haud male refert Vavas-sor, ἀχειροποίητων & manufactarum. Illarum numero accensent tres, deqve iis seqventem in modum judicat: cap. II. §. 12. p. 68. *Triplicem es-se magno in honore intelligo Christi effigiem, non ma-nu factam, Edessenam, Camulianensem, Veronicam: qvibus annumeres licet expressum, qva mortuus in-volutus est sindone, totius corporis simulachrum. Qvæ qvam fide dignæ sint omnes, non habeo, qvod af-firmem, nec mea refert in præsenti, qvid liqveat. Tan-tum dico, vel ex iis nihil certi exploratique elici,*

obsoletis

obsoletis ac fugientibus lineamentis, vel nihil in iis turpe visu atqve horridum adspici.

CXII. Qvid his imaginibus tribuit Vavassor, qvas nonnulli in Ecclesia Romana magnopere extollunt, satis hinc liqvet. De Edessena plenos ubiqve reperias libros; qvorum compendium in Observationibus exhibet celeberrimus Arndius. Primus ejus meminit Evagrius, sexti seculi Scriptor atqve jam recepta imaginum λατρεία imbutus. Cujus verba, lib. IV. H. E. c. XXVI. sunt: *ad extremum igitur, cum desperatione debilitati,* [Edessani, à Chosroe Persarum Rege obsessi] *ferè succumberent, sanctissimam imaginem Divinitus fabricatam, qvam non hominum manus effinxerat, sed Christus Deus Abgaro,* [*qvandoqvidem eum videre cupiebat*] *miserat, proferunt, eamqve in fossam, qvam construxerant, importatam aqva conspergunt, ex qva non parum in rogum & struem lignorum immittunt, atqve Divina potentia fidei illorum, qvi illud molie-bantur, subsidio veniente, qvod ab illis antea fieri neutiqvam poterat, jam facilè confectum fuit.* Seqvitur eundem Simeon Metaphrastes, seculo nono, qvem tamen Vossius ducentis annis posteriorem facit; inprimis vero eximius imaginum defensor, Joannes Damascenus. Post qvos omnes Nicephorus Callisti colophonem fabulæ imposuit, cum libro II. c. II. scripsit: *postqvam Abgarus scripto persuadere non potuerit Christo, qvod voluisset, pictorem eximium ad eum misisse, qvi faciem Domini in picturâ effingeret. Atqve*

qve illum qvidem advenisse, & stantem in loco sublimiori Christum fingere tentasse, qvum verò splendor vultus Christi cœptum impediret, Salvatorem textum linteum petentem faciem suam in eodem prius loco expressisse & ad regem misisse. Nempe ut superstitio tractu temporis crescit, ita Eusebio, qvi primus commercii cujusdam literarii inter Christum & Abgarum meminit, inseqventes scriptores, pro credula quilibet simplicitate, qvidpiam adjecerunt, donec in eum ornatum excresceret commentum, qvali id vestivit Nicephorus. At verò ipsa Christi ad Abgarum & hujus ad illum Epistolæ Apocryphis jam olim à Gelasio annummeratæ sunt, & qvamvis easdem tueatur Baronius, is tamen ipse non à Reformatorum tantum parte, nominatim Is. Casaubono, Exerc. XIII. refellitur, sed à cordatioribus inter suos etiam, novissimè Henr. Valesio, viro doctissimo, deseritur. Ex qvo facile erit judicare, qvid de adjectis ad Eusebii relationem laciniis sit sentiendum. De qvibus ideò Arndii nostri χρίσιν adponemus: *Prout Nicephorus recitat, ipsa specie prima sapit seculi superstitionem, in qvo vixit. Certè si seculo Augustini hæc talis imago Christi ab ipsomet expressa in rerum natura fuisset, non ita ille scripsisset, libr. IV. de Trin. c. IV. ubi testatur, incertum esse, qvæ fuerit Domini nostri Jesu facies & B. Virginis & D. Pauli his verbis: Ipsius Dominicæ carnis facies innumerabilium cogitationum diversitate variatur & fingitur, qvæ tamen una erat, qvæcunqve erat. Qvam-*

qvam

qvam interim libenter fatear, seculis seqventibus Christi imaginem à viris sanctis, sed qvalemcunqve & qvocunqve modo expressam domi adhibitam. Ita in Gregorio lib. VII. Ep. LIII. legimus, Secundinum qvendam imagine Domini eo fine esse usum, ut sibi in eam intuenti memoria Christi recalesceret, non verò, ut adoraret & cultu afficeret. Verba sunt Gregorii: Scio qvidem, qvod imaginem Salvatoris nostri non ideò petis, ut qvasi DEUM colas, sed ob recordationem Filii DEI in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Qvæ si ita non essent, rectè tamen Vavassor infert, nihil ex iis certi exploratiqve elici posse, obsoletis ac fugientibus lineamentis. Nam si eadem numero mappa hodienum alicubi reperiretur, magnâ sui parte venustate detrita esset, qvam Evagrius fossæ illatam & aqvâ consperſam memorat, qvæ deformem potius, qvam formosum Christum ideò referret. Nec etiam si illa alicubi integra monstraretur, cordatiores & prudentiores in Romanâ Ecclesiâ pro genuina, id est, primo, qvod Edessæ asservabatur, exemplari venditaturos esse existimo. Ut adeò omnia hic dubia essent atqve incerta.

CXIII. De imagine Camulianensi, cujus Vavassor meminit, qvamqve & Arndius præterit, nihil habeo dicere, cum illius rei vel fabula vel historia me prorsus fugiat, qvæ forte ne vulgarium qvidem scriptorum babet auctoritatem, nisi forte illius Legendæ, qvam auream vocant, qvam Ludovicus Vives imme-

ritò dicit auream vocari, cum scripta sit ab homine plumbei cordis & ferrei oris.

CXIV. Omnium verò minimam meretur fidem, ea, qvæ Veronica dicitur, qvæqve adhuc hodie Romæ in S. Petri Ecclesiâ asservatur & statis diebus populo ostenditur. Fabellæ hæc est series: piam hanc matronam Christo, in calvariam tendenti & undecunqve sudore diffluenti, linteum capitis sui peplum ad extergendam faciem porrexisse & in eo imaginem faciei Dominicæ fuisse exqvisitè expressam, mulieriqve in amoris pignus redditam. Si testes hujus rei reqviras, non Matthæus, non Marcus, non Lucas, qvi passionis Christi historiam ex indubitatâ Spiritus S. inspiratione adornantes, cum minutiora attigerint, hoc miraculum silentio præterierunt, sed vel Christianus Adrichomius producitur, homo recens; vel S. Brigitta, qvæ scripserit ex ipsius Christi revelatione, hunc sudorem exisse de Christi facie, *propter qvalitatem rogantis Christum ad consolationem futurorum*; qvasi Veronica ad solamen posterorum sudarium porrexerit eâ mente, ut Christus effigiem suam imprimeret illi linteo, etiamsi non egeret extersione, neqve sudor extergendus ex Divinâ ejus facie efflueret. *Qvod ægrè admittendum video*, ait Anselm. Solerius, Cemelienſis, libr. de Pileo, sect. XVII. p. 349. *etiamsi ex abundanti ea posterorum consolatio proposita Christo videri possit.* Dubitat de eo, qvod Christus ipse revelavit Brigit-

gittæ, qvas revelationes, teste Possevino, in Apparatu S. Johannes de Turrecremata, Cardinalis, aliiqve docti viri ante annos CC. publicâ auctoritate, diligenti examine præmisso approbarunt ac divulgarunt. Adeò sacram habent antiqvitatem recentiores in Ecclesia Romana scriptores, etiam Pontificum atqve conciliorum auctoritate firmatam, qvibus singula verba Paparum multo posteriorum totidem sunt oracula Divina. De cætero imaginis hujus Veronicæ falsitatem redarguit silentium, non tantum Evangelistarum atqve Apostolorum, sed etiam Ecclesiæ Doctorum, & ipsorummet Pontificum Romanorum, qvi longa seculorum serie ductos Divino spiritu Historicos insecuti sunt, adeo ut ne Synodi septima atqve octava, qvantumlibet alias imaginum cultum acerrimè propugnaverint, ejusdem faciant mentionem. Si vero nihilominus superstitiosulo cuipiam Romanum hodie linteum arrideat, expectabimus, donec lineamenta ejusdem vivis coloribus depicta nobis communicent, ut qvantum illa vel à deformitate vel à pulchritudine absint, ex oculari inspectione arbitrari qveamus.

CXV. His imaginibus Christi ἀχειροποιήτοις dum annumerat Vavassor expressum totius corporis simulacrum, qva mortuus involutus est sindone, eqvidem qvid velit, vix intelligo. Sindoni corpus Christi implicatum fuisse, cum sepulchro inferretur, S. Johannes memo-

rat, sed ille idem & caput sudario involutum, qvod post resurrectionem ejusdem separatum, à sindone repertum fuerit, recensetː non suppressurus, si imago Christi vel sindoni vel sudario fuisset impressa. Neqve reliqvos video, qvi, ut vel reperta fuerint hæc S. Lipsana, vel ubi hodienum asserventur, percensent, ejus imaginis ullam injicere mentionem. Beda, libr. de Loc. Sanct. c. V. ex relatione Arnulphi Episcopi, ait inventum sudarium istud ætate suâ & jussu Regis Saracenorum igne probatum, mansisse illæsum & eum, cui hæreditate obtigerat, ditasse affatim. E contrario autem, qvi ejus possessionem præ aliis bonis neglexerat, ad extremam esse redactum inopiam. De imagine altum silet. Ansh. Solerius, l. c. ex Marco Attilo Serrano, sudarium hoc asservari ait in Basilica Lateranensi; cum verò Beda addat, hoc sudarium habuisse longitudinis pedes octo, verisimile admodum nonnullus esse visum, hoc capitis Christi involucrum illud ipsum esse, qvod Vesontione apud Seqvanos magna cum veneratione custodiatur. Habemus hic duo sudaria, [reliqviæ enim in Romana Ecclesia per stupendam Dei benedictionem ita multiplicantur, ut si qvis solius crucis Dominicæ ligna undiqvaqve comportaret, integram ex iisdem urbem ædificare citra dubium posset] addit Solerius tertium, Taurinense, qvod Alphonsus Palæotus velit esse hoc sudarium capitis Christi, in sepulchro jacen-

centis, pedes longum duodecim. Nihil hic, ne verbo qvidem, de imagine sudario impressa. Qvale itaqve sudarium, aut qvalem sindonem producturi sint vel Solerius, qvi tractationem sacrarum, imaginum, interqve eas non manufactarum, promittit, vel alii, impresso Christi demortui simulacro insignem, nisi ea forte naturalis virtus fuerit corporis Christi, ut qvoties aliqvid se contingeret, id specie sua signaret, qvo pacto infinita, qvibus usus est Christus, sudaria imagine ipsius notata fuerint, eqvidem ignoro.

CXVI. Imagines manu factas haud incommodè partiemur insculptas, pictas atqve signatas. De sculptis meritò nostra facimus Vavassoris verba, c. II. §. 12. p. 69. *Jam ipsæ*, inqvit, *ex auro, argento, ære, marmore, saxo, statuæ, qvarum habet materies casus rariores, ob idq; est conservatio & facilior & diuturnior, neq; scio, qvid nos lædere possint, & expecto, qvam mox nobis in eamrem grave dent, firmumq; testimonium. Nondum enim mihi Christi visum signum ullum, aut lectum de ullo, aut auditum, cujus ego vitia, si qvæ sint, non debeam potius artifici, qvam archetypo attribuere. Nisi forte plurimum ponimus in icunculis è cavo vel saxo, vel robore, ad prospectum & venerationem prætereuntium extantibus ruri atq; in viâ, qvas aut ipsa materies, aut cœli tempestas, aut situs & longinqvitas temporis reddidit fumosas, tamq; excoctas & atras, ut ait ille, qvam carbo est. Qvas tamen ne vulgus qvidem imperitum colendas & ornandas, ut solet, susciperet, si*

qvid in iis turpitudinis & majoris cujusdam vitii, extra colorem, qvem excusare novit, & in eas, de qvibus dixi, locorum & annorum & reliqvas injurias conferre deprehendisset Nec nobis etiam adversa sunt, qvæ cap. IV. §. 15. p. 139. ad eundem ferè modum decidit: *Relinqvebantur*, ait, *cælandi, pingendiq; & similium artium periti, qvorum in artificio vita qvædam mortuorum posita est, qvod eos præsentes corporibus & qvasi dimidiâ parte sui vivos, posteritati sistant. Veruntamen ex antiqvis operibus eorum, qvi propius ab ætate Christi abfuerunt, ac scitari potuerunt facilius, qvisnam sensus Christianis primis esset ac judicium, qvid qvæso sinceri usq; ad nostram memoriam, aut qvid omninò salvi remansit, unde aliqvid consequi amplius, qvam ut divinemus, liceat? Profluvio sanguinis liberata mulier à Christo statuam ei, pietatis & grati animi monumentum, simul ne pulcherrimi facti memoria moreretur, faciendam curarit, qvam monstrarent tempore adhuc Juliani. Habuerit Severus Alexander in Larario effigiem Christi, inter cæteras heroum, qvas cultu privato & domestico veneraretur qvotidie. Adorandam plebi proposuerit impia fœmina, cui Marcellina nomen fuit, profanamq; fecerit, cum pari honore dignaretur imagines & Homeri & Pythagoræ. Alia de aliis simulacris conscripserunt Eusebius, Evagrius, Damascenus, sive, qvæ viderant ipsi, sive qvæ legerant, seu qvæ auditione modo acceperant. Qvid tum deinde? cum nihil horum in manus nostras tam longo intervallo venerit, hiq; ipsi, qvi de istis Christi signis atq; imaginibus prodiderunt, qvales essent, formosæne an deformes, planè tacuerint.* CXVII.

CXVII. Negari utiqve non potest, partim relationes omnes de statuis Christo erectis incertæ veritatis esse, partim si qvid in se veri haberent, neqve pro pulchritudine neqve pro deformitate argumentum inde certum peti posse. Nam neqve in statuis ita accuratè forma exprimitur, ut in picturis aliis, si inprimis ab artificibus conficiendarum statuarum imago ad vivum exemplar, qvod verò circa Christum factum ullibi esse nunqvam commemoratur, haud exigitur, & opera ipsa ab injuriis externis facile vel mutantur vel deteruntur. Cæsariensis statuæ ab Hæmorrhousâ erectæ primus ex tanto qvatuor ferè seculorum intervallo meminit Eusebius, & ita qvidem, ut rectè judicat celeberrimus Dannhauerus, Dram. S. Act. I. Metam. IV. p. 801. *ut vera sit an falsa historia, jurare non ausis, Non enim è certâ suâ scientiâ confirmat & nullas tabulas aut acta publica allegat; præter auditum, rumores vulgi, traditionem incertam & ἀδέσποτον nihil affert.* Eusebii verba ex lib. VII. c. XVII. sunt ista: *Mulierem illam Hæmorrhousam, qvam ex sacris Evangeliis per Servatorem morbo suo liberatam cognovimus, ex civitate Cæsariensi oriundam esse, ac domum ejus in illâ ostendi, beneficiiq; Servatoris in illam collati admiranda tropæa hactenus durare ferunt. Stare enim supra lapidem sublimem, ante domus illius fores, æneam imaginem mulieris in genua procumbentis ac manus ante se extendentis, ad morem supplicantis. Deinde è regione hujus aliam stare erectam viri imaginem, ex*

eadem materiâ conflatam, ac diploide ornatè vestitam manumq; mulieri porrigentem; ad cujus pedes in eadem columnâ ignota qvædam herbæ species enascatur & ad æneam imaginis fimbriam usq; excrescens, omnis generis morbis medeatur. Hanc autem statuam imaginem Jesu habere dicunt. Mansit autem ad nostra usq; tempora, sicut & ab illis videri potest, qvi in eam civitatem commigrant. Ajunt, ferunt; inqvit. Qvo loqvendi modo, qvæ incertis rumoribus nituntur, enunciare Historici consueverunt. Neq; etiam in seqventibus verbis vidisse se, qvod aliqvi autumant, hanc statuam asserit Eusebius, sed imagines alias, à gentilibus in memoriam Christi ex patriâ consuetudine asservatas, è qvalibus fieri potuisse supra adversus Baronium disputavimus, ut Nicephorus formæ Christi χῆμα describserit. Qva in re nunc video mecum sentire Theologum sine exemplo maximum, Mart. Chemnitium, in Exam. Conc. Trid. Artic. de Imag. p. 687. cum inqvit: *inde enim absq; dubio sumptæ postea fuerunt descriptiones statuæ, lineamentorum & habitus Christi & Apostolorum, qvæ extant apud Nicephorum.* Eusebianam modestiam integro post seculo exuit Herm. Sozomenus, qvi famæ non amplius meminit, lib. V. Hist. Eccl. c. XX. *collocavit* ait, *mulier statuam*; & insuper alio miraculo confirmat: *Julianus, Apostata, certior de eâ factus, eandem deturbavit, suamq; in ejus loco posuit. Qvo facto ignis violentus de cœlo delapsus statuam illam circiter pectus persecuit, caputq; unâ cum collo interram*

ram dejecit atq; in faciem humi eâ in parte defixit, qvæ fuerat à pectore devulsa. Ex qvo qvidem tempore ad hodiernum diem atra, tanqvam fulminis ictu ambusta, manet. Id temporis igitur gentiles statuam Christi tantâ cum violentiâ trahebant, ut eam confringerent. At Christiani postea ejus fragmentum cum collegissent, in Ecclesia posuerunt, ubi etiam adhuc custodiuntur. Mirari autem subit, Eusebium potuisse huic commento qvalemcunq; commodare fidem, cum figura gestusqve harum statuarum, qvæ cum rei gestæ historiâ exactè convenire debebant, historiæ ab Evangelistis recensitæ nullatenus respondeant. Neqve enim illa mulier coram Christo expansis manibus, supplicantis instar, constitisse, sed à tergo accedens fimbriam ejus tetigisse, [qvod, qvia maximum admirandumqve miraculum fuerat, in statua maximè atqve præcipuè repræsentari debebat] & sanitatem recipisse dicitur. Qvi post Eusebium atqve Sozomenum hujus statuæ meminerunt, utpote Rufinus, Cedrenus, Photius, Philostorgius, Theophylactus, Jo. Damascenus: qvi de suo addit, impetrasse mulierem à Philippo Tetrarchâ ponendi monumenti licentiam; Agobardus, alii; qvorum loca allegat Arndius, inprimis Nicephorus, iis tandem circumstantiis variatam & qvasi aliam dedere historiam, ut semetipsam ultrò prodat & suspectam reddat. Scribit enim Nicephorus, lib. X. Hist. Eccl. c. XXX. *temporis diuturnitate & oblivione intercidisse, cujus rei gratia ibi esset collo-*

cata. Simulacri enim illius sub dio stantis corpus non parum esse immutatum & imbres ex locis superioribus limum secum trahentes statuæ ipsi aggessisse, adeò ut cognitio ea, quæ ex literis omnia indicantibus provenit, incerta reddita fuerit. Illos tamen, qui medicam herbæ vim experti fuerant, summa diligentia causam tantæ efficatiæ, quam ignorabant, investigantes, terram illam effodisse & literas tum demum apparuisse, rem ipsam certò indicantes; herbam verò deinde ab eo tempore, neq; eo ipso neq; alio loco esse conspectam. Qvæ scilicet egregium arguunt veteris Ecclesiæ erga monimentum tam memorabile studium. Qvis verò non videt, vel meras fabulas hæc esse, vel historiam fabulis probè probeqve mistam? Ut adeò seculo jam octavo Carolus Magnus apud Agobardum de hac statuâ, iisqve, qvæ circa eandem referuntur, haud frustra dixerit: *si tamen factum esse creditur.*

CXVII. Pictarum imaginum nonnullæ dicuntur antiqviores & ad vivum expressæ, aliæ recentiores. Inter antiqviores celebrantur Lucæ & Nicodemi. De illâ Thomas Aq. Part. III. Qu. XXV. Art. III. ad 4. *Dicitur B. Lucas depinxisse imaginem Christi, qvæ Romæ habetur.* Utrum hæc illa sit, qvam alii Mariæ esse ajunt unâ cum puero Jesu, pronunciare non possum. Plures enim sine dubio Lucas, si pictor fuisset, confecit, inprimis autem castissimæ virginis, Mariæ, effigiem, *qvæ adhuc integra cernitur, præter innumerabilem tabellarum, cereorum & aliorum munerum multitudinem, in æde Laure-*

Lauretanâ, juxta Chr. Adrichomium, Descr. Terr. S. p. 141. De hac verò Synodus Nicæna septima & Athanasius, libro de Pass. Imag. Dom. c. IV. testantur, Beryti eandem in Syriâ à blasphemis Judæis crucifixam esse, qvæ sanguinem inter manus impiorum & aqvam effuderit, atqve inde miraculis passim per Asiam, Africam & Europam inclaruerit. Qvâ verò formâ, qva elegantia utraqve vel fuerit vel sit etiamnum, non video à qvoqvam delineari.

CXIX. Qvacunqve autem specie prædicentur, commentitiæ sunt. De ea, qvæ Lucæ attribuitur, Vavassor, cap. IV. §. 15. p. 140. *Qvod*, inqvit, *Romæ visitur Mariæ Matris effigies, unâ cum puero Jesu, expressa coloribus & penicillo, ut ferunt, à S. Lucâ, mihi suspectum est silentium eâ de re Baronii in Annalibus. Qvæ qvamvis dubitationem non habeat, est, ut scimus, puerorum omnium qvædam ἀειώτης, etiam ἄνευ κάλλους, qvemadmodum Aristoteles loqvitur, qvæ progrediente ætate deflorescere ac dilabi solet. Minimè ut appareat, qvid pueris, ubi viri evaserint, aliqvando futurum sit, qvos plerumqve dissimiliores sui, qvam aliorum, videamus fieri.* Eqvidem de pulchritudine Christi in omni, atqve adeò & in puerili ætate constituti, qvæstio est, neqve cum venustus puer fuerit Christus, illicò in deformem virum degeneravit, qvia nonnunqvam, [perpetuum enim hoc esse, experientia refragatur] progrediente ætate venustas perire solet & evanescere; id enim esset à particulari procedere; qvinimò qvali

qvali pulchritudine Christus in pueritia fuit; eadem & virum perseveravisse, id argumento est, qvod cum alii vel ex temperamenti vel intemperantiæ vitio sui dissimiliores fiant, ipse & temperatissimus fuit & temperantissimus: placet tamen nobis, qvod Vavassor haud ita facilem, ut alii credulæ simplicitatis fratres, ad credendum qvibuslibet è trivio fabellis sese præbeat. Qvis enim credat, tot à Luca pictas imagines in veteri Ecclesia extitisse, & tamen plerisqve, etiam celeberrimis, in ea Doctoribus ignoratas? Eusebius Cæs. cum Constantia uxor Licinii, recens è gentilismo conversa, mitti sibi Christi imaginem peteret, per epistolam, qvæ Act. VI. Syn. VII. extat, hunc in modum respondit: *qvia de qvadam imagine qvasi Christi scribis, eamqve vis tibi à me mitti, qvam dicis & qvalem hanc, qvam perhibes, Christi imaginem?* Ex qvo meritò colligit Arndius: *Certè si illo seculo celebres tot Christi imagines vel ab ipso Domino vel à Lucâ pictæ atqve formatæ extitissent, & in veneratione qvidem, qvomodo Eusebius Episcopus ignorasset? Qvâ veritate Imperatoris sorori ita respondere fuisset ausus?* Sed nimirum errorem error generat. Persuasum nonnullis fuit, Lucam pictorem fuisse, qvem Scriptura Medicum vocat; aut itaqve otiosum eundem fuisse, aut in Servatorem suum ingratum, ni eundem cum Matre Ecclesiæ relinqveret depictum, crediderunt. Præclarè Matth. Berneggerus, in Hypobolimæa Divæ Mariæ

Deiparæ

Deiparæ Camerâ, c. V. p. 38. *Fabulam respit, imaginem B. Mariæ à Lucâ depictam, illam præcipuè, quæ hodie Loreti visitur. Nam S. Lucas non pictor, sed medicus à D. Paulo vocatur: ad Coloss. IV. 4. Et si fuit, ut fuit, Judæus, ac è LXX. discipulorum numero, non est verisimile, pictorem eum fuisse, cum apud Judæos hæ artes non fuerint in usu, ut ex libro IV. Origenis contra Celsum itelligitur. Is verò beatissimam virginem orationis & eloqventiæ suæ, quâ cæteris omnibus præstare visus est, coloribus depinxit; alio autem modo eam depingere, næ illi haud fuit otium. Accedit, qvod hanc ipsam imaginem ostendunt etiam Romæ in templo S. Mariæ majoris, qvod in aliis qvoqve reliqviis, mira qvadam fœcunditate se multiplicantibus, tralatitium apud Pontificos esse, jamdudum orbi cum eorum ludibrio & impesturæ detestatione innotuit. Nisi forte dicant, Lucam plures imagines pinxisse. Qvomodo etiam in Ecclesiâ Constantinopolitana fuisse imaginem Deiparæ virginis à Luca depictam, cui templum struxerit Pulcheria, autor est Nicephorus Callistus, libr. XIV. c. II. Sed idem fide facit Nicephorus, qvâ ibidem refert, Eudociam Pulcheriæ lac D. Mariæ misisse, cujus tanta copia etiamnum passim ostenditur à sacrificulis, qvantum vix credibile est, posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans, ut festivè Roterodamus inqvit in Colloqviis.*

CXX. Qvæ verò à Nicodemo facta esse dicitur, præter Synodi Septimæ idololatricæ & octavo demum seculo celebratæ autoritatem,

tem, non aliam agnoscit, nisi Pseudo-Athanasii cujusdam, in ipsa Synodo producti, de qvo tamen ipsius Romanæ Ecclesiæ scriptoribus haud convenit, utrum is Alexandrinus, an alius in Syria recentior Episcopus fuerit? Historia rei, ne qvid omittamus, qvod ad notitiam imaginum Christi utcunqve pertinere poterat, secundum relationem istam hunc in modum gesta fuit: Contigit, ut qvidam è Christianorum numero domicilium à qvodam conductum habitaret, qvi ex adverso lectuli imaginem Jesu Christi Domini nostri fixerat, qvæ integram Christi proportionem exprimeret. Hic non ita diu post temporis, qværebat ædes majores, qvas cum inveniisset, è domo qvam habuit, in alteram migravit; cumqve res suas omnes in eam transtuliisset, imaginem tamen illam Domini illic oblivione reliqvit, [tantum scilicet cimelium, tam arctè lecto connexum, tam religiosè à majoribus ipsi commendatum! ò hominem oblivione ipsa magis oblivioſum!] qvamvis noverat, Nicodemum, qvi ad Jesum noctu venerat, propriis manibus eam composuisse & morientem Gamalieli tradidisse, Gamalielem, cum diem sibi cerneret adesse extremum, Jacobo eam reliqvisse: Jacobum Simeoni, Simeonem Zacchæo, & sic per successiones temporum in Hierosolyma perduravisse, usqve qvo subversio illius urbis patrata est, [cum tamen Hierosolymorum excidium juxta Baronium in ann. Chr.

Chr. LXXI. Simeonis, cujus succesſit Juſtus & Zachæus, martyrium in ann. CIX. incidat.] Poſtea Judæum commoditate loci captum ædiculam illam conduxit, nondum animadvertens, ejusmodi imaginem illic affixam, ſuaqve iſthuc transferens, [ſunt enim Judæi imaginum ſcilicet valde incurioſi!] aliqvandiu illic habitavit. Qvodam autem die, cum qvosdam ex ſuis in prandium invitaſſet, contingit, ut qvidam convivarum inſpiceret, qvi plauſtra convitiorum in Salvatorem effudit & ad principes Sacerdotes hominem detulit, qvod imaginem Chriſti in ædibus conſervaret, Nazaræumqve non ejiceret. Convivator ſeipſum purgare ſtudens, terribilibus ſacramentis profitebatur, ſe ejusmodi imaginem hactenus non vidiſſe: attamen manè facto, congregati ſummi ſacerdotes & ſeniores, cum ingenti hominum ejusmodi nationis turba, ad ædes illas, in qvibus imago Domini noſtri habebatur, ire pergunt & confeſtim, imaginem contemplati, furore pleni eandem detrahunt. Tunc omnes cœperunt expuere in faciem imaginis, colaphisqve hinc illinc faciem cædebant. Talia convicia evomebant in imaginem, qvæ nemo ſanæ mentis excogitare poſſit, imaginis pedes manusqve clavis ferreis foraverunt, acceptaqve ſpongia aceto plena, [veterem ſcilicet paſſionis tragœdiam acturi] ad os imaginis applicuerunt, ſumpto calamo caput imaginis cædere cœperunt

runt & tandem jussérunt, ut qvidam latus imaginis lancea transfigeret, ex qvo [ère nempe vitæ & sanguinis experte; cur verò non etiam ad exemplum Christi gustavit acetum imago?] confestim sanguinis & aqvæ rivuli manarunt. Ejusqve virtute infinita planè miracula patrata sunt. Hactenus ex Legenda illa aurea, qvam vel pro vera vel pro Athanasiana qvemqvam non prorsus stolidum stupidumqve habere posse, admirandum videtur. Qvomodo enim se ipsam relatio, qvæ egregio artificio à verbo: *itaqve*, exorditur, atqve adeò conclusionem infert ex nullis præmissis, passim confundit atqve confodit? Cui unqvam simplicius, cui jejunius poterat obtingere somnium? Athanasio præterea Alexandrino id opus adscribitur, qvod historiam enarrat, qvæ, ut inscriptio habet, contigit temporibus Constantini & Hyrenæ, uxoris ejus, [qvamqvam hæc verba in editione Basilæensi omissa esse in Patrolog. notet *Gerhardus*] qvi tamen, ut lippis atqve tonsoribus notum est, per aliqvot annorum centurias emortuus fuit, priusqvam Constantinus Senior & Hyrene rerum potirentur. Qvare Sigbertus in Chronico, qvem seqvitur Jacobus de Voragine, refert accidisse hoc miraculum, anno Domini DCC LXVI. & Baronius observat, recenseri in ipsa Synodo hanc rem, ut recens gestam & hactenus inauditam. Cui dum Bellarminus qvoqve, libro de Scriptor. Eccles.

p. 78.

p. 78. adstipulatur: *non videtur*, ajens, *hic liber esse S. Athanasii, hujus, de qvo nunc agimus, sed alterius MULTO RECENTIORIS;* intolerandum est, Cardinalem alibi, lib. I. de Imag. c. X. tam sibimet audacter contradicere atqve scribere: *licet dubium esse potest, num sit opus magni Athanasii, tamen certum est, esse ANTIQVISSIMI AUTORIS, qvandoqvidem citatur,* [tam egregiè ei cum Baronio convenit] *tanqvam antiqvissima historia in VII. Synodo.* Sed nimirum qvia hæc fabella idolorum cultoribus suaviter blanditur, qvovis colore eandem incrustare, qvam veritati victas dare manus malunt. Qvæ causa etiam est, qvod ab aliis Pontificiis, qvod notat in doctissima Censurâ suâ Cocus & liber antiqvissimus & historia memoratu dignissima & nobilissimi illius Græci authoritatis ac acerrimi fidei defensoris, Athanasii Alexandrini, luculentus ac pius sermo, appellitetur. Qvod idcò scilicet faciunt, *qvia pictam religionem non posse pictis fictisqve imaginibus carere intelligunt*, ut in Disputationibus contra Johannem Duræum, Scotum, Jesuitam, loqvitur Guilielmus Wittakerus.

CXXI. De cæteris autem imaginibus, qvæ ex vivo prototypo expressæ non sunt, qvæqve hodie passim circumferuntur, omninò verissimum est, qvod scribit Vavassor, cap. II. §. 12. p. 69. *Non extimesco in picturis, ne qvid adversum nos, qvod si nominis alicujus ac virium, expromatur, cum nihil admodum nunc habeatur in manibus ex antiqvissima arte, nisi novum atqve ante ætatem unam*

aut summum duas elaboratum; perierint autem tot artificum, qvot credibile est singulis seculis floruisse, immortalitate opera dignissima. Et prolixius, nec tamen minus verè, cap. IV. §. 16. p. 141. *Recentes tabulæ, in qvibus Christus hodie à nostris opificibus, non ad similitudinem personæ depingitur, sed ad speciem artis, cujus illæ cunqve precii habeantur, sunt, ad cognoscendum qvidem verum, unius assis: nec novi pictores apud me magis fidem invenerint, cum si exprimant insolenti pulchritudine nobilem, ut faciunt, qvam si communi qvadam deformitate turpem expressissent, amiserint. Non enim tantum vivis imponitur assentandi studio, qvi ut difficillimè de se sentiunt, ita facillimè sibi aliqvid patiuntur dari; sed etiam favetur mortuis pietatis specie, & qvo qvisqve sanctius ac religiosius qvempiam cœlestium colit, eo videri studet pulchriorem, ob idqve propemodum veneratione digniorem. Novimus, qvo ore fuerit Carolus Borromæus, Cardinalis in paucis sanctus, dum vitam mortalem vixit, qvoqve modo formæ damnum virtutibus & animi præstantia rependerit. Nunc enitescit per pictores multò ad aspiciendum jucundior & paucis, opinor, annis ex eo, qvi erat, totus emerserit. Vidi, qvi viderint eadem tempestate, cui nos anniversariis sacris cultum nunc privatum & peculiarem tribuimus inter beatos, adolescentem hominem, ab omni potius generis, ingenii, probitatis & morum laude, qvam ab hac corporis felicem. Iidem non ita longo intervallo mortuum reqvirebant in picturis, nec ferè qvicqvam agnoscebant illius, qvem prius norant & qvicum familiariter per annos aliqvot vixerant.*

CXXII.

CXXII. Deniqve ad imagines etiam ære signatas pervenimus, qvas vel nomiſmata vel nummos vocamus. Qvo verò ſeculo cudi primus notatus imagine Chriſti nummus cœperit, inter nummariæ rei peritos video non usqve qvaqve conveniri. Pleriqve ex Johanne Curopalate, in vita extrema Johannis Zimiſcæ, Imperatoris, ad annum Chriſti nongenteſimum ſeptuageſimum, hunc orientis Imperatorem primam Chriſti imagine monetam ſignaſſe, addito hoc elogio: IHS. XPS. REX REGNANTIUM, referunt. Qvibus & acceſſit in Ration. Temp. lib. VIII. c. XV. antiqvitatis totius peritiſſimus, Dion. Petavius; & in Dialog. I. de veterum nomiſmatum antiqvitate, ab Andrea Schotto, Jeſuita, edito, de veterum nummis præclarè meritus Antonius Auguſtus. Sed antiqviorem ſub Heraclio, qvi Zimiſcem tribus cum dimidio ſeculis anteceſſit, aliisqve, etiam Orientis, Imperatoribus cuſum jamdiu eruditi dederunt. Qva de re nota Auguſtiniano Dialogo, ſive ex Joſepho Caſtalione, ſive ex Joſepho Scaligero ab Andr. Schotto addita ita habet: *Immò antiqvior longè uſus pingendi Chriſtum, Dominum in throno Regio ſedentem, eodem titulo: IHC. XPC. REX REGNANTIUM, ex illo Apoc. Johannis: Rex Regum & Dominus Dominantium, cap. 17. 14. & 19. 19. 1 Tim. VI. 15. In nummis Chriſtianorum Cæſarum aureis, ut Fl. Juſtiniani, Cæſaris, anno Chriſti, 576. imperantis, ut notat Octavio Strada, de vitis Im-*

peratorum Romanorum, p. 265. Item Adolphus Occo, p. 583. ad Christi annum, 527. Rursum Strada, p. 272. in Heraclii Constantii IV. nomismate. Qvin & Divæ virginis imago, throno sedentis, visitur in Heracleona, Cæsare, anno Christi 161. Idem Strada, p. 273. Qvemqve Strada corruptisimum exhibuerit, eum se alibi nitidiorem, meliorem-qve dedisse ait doctisimus Chr. Adam Rupertus, in Observ. ad Synops. Besold. min. cap. XVI. p. 606. Neqve hodie qvemqvam dubitare arbitror, postqvam exempla ejusmodi nummorum non tantum in Cimeliarchiis virorum Principium, aliorumqve, pasim visuntur, sed & ab iis, qvi illa Romanæ pariter atqve Græcæ antiqvitatis monumenta, æri inciſa, orbi communicarunt, describuntur.

CXXIII. Neqve tamen video hanc faciei Christi in nummis effigiationem supra seculum à nato Servatore sextum, cum Justinianus sub ejus initium, Heraclius sub finem vel potius initium seqventis vixerit, ascendere. Saltem, si qvi faciem Christi præferentes, cusi antea sunt, id neqve exemplis, quantum mihi constat, neqve ex fide digni auctoris relatione hactenus innotuit. Primus eqvidem, qvi in nummis Servatoris nostri nomen, qvoad initiales literas XP. expresit, Constantinus est, Imperatorum Christianorum primus. Cujus rei triplex nobis specimen promit Cæs. Baronius, duo priora ad A. 312. nummorum æreorum, qvi extant apud Horatium Tygrium de Mariis

Mariis & Angelum Breventanum, qvosqve Romæ ipse vidit, in qvorum uno Constantini Magni imago cernitur, inqve ejus galeâ duæ istæ literæ X. & P. Christi nomen complexæ, in altero Labarum cum iisdem literis oculis objiciuntur; tertium ad A. 323. qvi ex una parte faciem Constantini Maximi, ex alterâ verò draconem medio ventre cruce transfixum ac Christi, cujus nomen crucis fastigio literis X. & P. affixum est, virtute penitus superatum præfert; eo prorsus modo, qvo in vestibulo Palatii pingendum curasse hoc pietatis suæ Symbolum Constantinum, refert Eusebius, libr. III. de Vita Const. c. III. Post eum verò plerique Imperatores omnes initiales illas Christi literas, ut palatiis, armis, vexillis, clypeis, galeis; juxta primum Christianorum Poëtam:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Ita & nummis, [cujus rei innumera ubiqve conspiciuntur exempla] curarunt insculpi. Eqvibus inprimis memorabilis est Constantii, Constantini M. Filii, qvi Labarum sacris literis insignitum exhibet, cum ἐπιγραφῇ: IN HOC SIGNO VICTOR ERIS; qvem nummum cum doctissimo Commentario nobis delineavit cura viri de antiqvitate Nummaria præclarissimè meriti, Caroli PATINI; in Numism. Imp. Rom. p. 476. qvale Labarum

num ex visione Divina artificiosissimè, confeciſſe Conſtantini Parentem, teſtatur Euſebius; libr. I. de Vita Conſtant. c. XXII. & XXV. Utrum verò & nummis inſculpi hanc imaginem curaverit Conſtantinus Magnus, incertum eſt, cum tales nuſpiam comparere aſſeveret allegato Dialogo Antonius Auguſtinus. Sed tamen ipſa Chriſti facies illis temporibus in nummis nunqvam cernitur; qvinimò nec nomen totum, niſi poſterioribus ſeculis, expreſſum. Marqvardi enim Freheri nummus, argenteus, amplisſimæ qvidem formæ & artificii exqviſiti, qvo inter nummos antiqvi operis, varii generis & materiæ, vix præſtantiorem alium apud ſe amicos ſpectatores æſtimare ſolere ipſe ſcribit, qvi Conſtantini Imperatoris ſtatuam eqveſtrem, cum inſcriptione: CONSTANTINUS IN CHRISTO DEO FIDELIS IMPERATOR ET MODERATOR ROMANORUM SEMPER AUGUSTUS, una, altera parte multiplicem qvandam & μυσηριώδη hiſtoriam, addito elogio ex verbis Apoſtoli: MIHI ABSIT GLORIARI NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, exhibet, qvamqvam *ei nullam parem, certè majorem, in Romanæ antiqvitatis peculio ſupereſſe* putet Freherus, recentior tamen eſt, qvam ut in Conſtantini Magni ætatem qvadrare poſſit; qvod ex indubitatis argumentis docuerunt *Joſephus Scaliger*, in Commentatione de Numiſmate Conſtan-

ſtantini, ipſeqve *Freherus*, in Diatriba de eodem numiſmate, qvi eundem reliqvorum Conſtantinorum uni, utpote vel Pogonato, vel Copronymo vel Monomacho vel Porphyrogennetæ, vel deniqve, qvo magis inclinat, Palæologo, [qvi ſeculo XV. rerum in oriente potitus eſt] attribuit, emblematis autem jucundiſſimam edit expoſitionem, & meo judicio probabiliorem, qvam qvæ eſt *Phil. Camerarii*, cujus diſſertatio de hoc Numiſmate inſerta eſt Hor. Subciſ. cent. III. cap. LXXV. p. 279.

CXXIV. Qvæ cum ita ſe habeant, non immeritò novum & ſuſpectum videri poſſit, qvod Vavaſſor noſter ex ore Jacobi Sirmondi, penes ducem Altempſium, nummum aſſervari prodit, qvi ex Sirmondi judicio tempore inter Conſtantinum atqve Theodoſium medio, ex Vavaſſoris verò ſententia ipſa Conſtantini ætate cuſus ſit. Qvam in rem operæ pretium erit, ipſius adſcribere verba ex cap. II. §. 14. p. 73. *Accedit*, ait, *qvod neqve penes Cardinalem Altempſium is nummus, ſed penes Ducem iſto nomine fuit, neqve affirmatè Conſtantini ætate, ſed interjectis inter Conſtantinum & Theodoſium temporibus, dicebatur* [à Sirmondo] *cuſus; neqve rectè dubitatur, qvin parte una ſui Chriſtum expreſſerit. Nam qvod inſculptum alterâ in parte templum, unâ cum inſcriptione: ἀνάστασις, idem iſte Chriſti corpus interpretatur, qvod is deſtructum morte ac diſſolutum tertia die poſt recepta vita reſtituit; videndum, ne iſta ſit*

verior explanatio nostra, ideò templum poni, cujus pro foribus milites semisomnes excubarent, quod ibi, ubi Christus humatus est ac de integro revixit, templum Constantinus exædificandum curarit, incidi porrò inscribig: ἀνάστασις, propterea, quod istud huic templo nomen à re & loco impositum fuit. Et basilicam quidem extructam eò loci Constantini jussu, Eusebius prodidit, trigesimo de vitâ illius. Appellationem vero Basilicæ Anastasin bis video apud Hieronymum agnoscere. Semel ad Pammachium, adversus errores Johannis Hierosolymitani: nonne cum de Anastasi pergeretis ad crucem, tu tortus invidia adversus gloriosum senem clamitabas. Iterum apologia adversus Rufinum tertiâ: Ergo ideò in Anastasi immolato agno dexteras junximus, ut tuas Romæ schedulas furaremur? Ex iis autem conjici licet, eisdem ferè temporibus numismata sic esse ad posteritatis memoriam insignita. Quod tamen tam præclarum & illustre antiquitatis monumentum fatalis quædam fortuna literarum nobis invidit, donec unum id modo, de quo loquimur, primum apparere Romæ nuper cœpit. Vide nunc, quid facias Johanni Curopalatæ, à quo Johannes Tzimisces, Imperator, primus effigiem Servatoris nummis impressisse dicitur, quod tanto ante, id est, quingentis & quinquaginta amplius annis factitatum, non temerè nec nulla ratione opinamur.

CXXV. Non debebat, si in familia Altempsiana extaret tam raræ antiquitatis pignus, tenebris tamdiu recondi, saltem à Sirmondo universa hujus nummi conditio, mate-

materia, figura, magnitudo, inscriptiones utriusqve faciei, Christi ex una habitus & ex alterâ parte templi lineamenta, sculpturæ deniqve ipsis genius & ratio describi debebant. Qvid enim sine istis dextri in tota re nummaria judicari potest? Aut qvi sine cæteris sola tibi inscriptio: ἀνάστασις, idoneum tantæ antiqvitatis monumentum præbet? Freheriani nummi, cujus antea fecimus mentionem, imaginem Emblematicam & effigiem Imperatoriam, Constantinum M. & historias eo tempore gestas signare autumat Camerarius, & ex parte Freherus ipse, etsi nummum recentiorem esse, qvam illius ætatis, credant. Qvidni & in aliis fieri potuerit, ut res sese longe vetustiores repræsentarent? Sed nec Johannem Curopalatem simpliciter negare, qvod ante Tzimiscen, nulla imaginem Christi gerentia numismata, signata fuerint, indicium facit Freherus, l. c. cum inter alia: *postqvam*, inqvit, *Imperatores Christo nomina dederunt, missis prioribus illis & consuetis & variantibus figurarum characteribus, religionem etiam illam Numinis consecrare voluerunt. Ita Constantinus primus crucis signum & characterem, ut labaro clypeoqve & galeæ suæ, ita etiam nummis insculpsit; qvod institutum successores ejus secuti constanti devotione servaverunt, idq; diversis modis expresserunt, ut apud antiqvarios videre est. Postea ipsum etiam Dominum apposuerunt, modo Imperatori ad latus & diadema ei sua manu imponentem, (ad exprimendum scilicet titulum illum, qvo θεοστεφεῖς se*

vocabant, à Deo coronatos, quod illorum æmulatione etiam Carolo Magno adclamatum legimus) *modo adversa parte nummi tenentem librum vitæ cum inscriptione*: *JHESUS CHRISTUS REX REGNANTIUM. Alii denique in totum omissa suâ imagine & titulo Christum solum insculpserunt, cum literis*: *IHS XPS EMMANUEL; aversa parte modo has literas: IHESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON; quod primum instituisse Joannem Zimisces, Imperatorem, Cedrenus & ex eo Curopolates*, [vel potius ex hoc ille, ut probat Gerh. Jo. Vossius, lib. II. de Hist. Græc. cap. XXVI. p. 298. de quo tamen videndus, Cl. Jac. Thomas. de Plag. Liter. §. 380. f.] *scribunt; modo integram crucem, cum literis suis IHS. XPS. NIKA.*

CXXVI. Quod si sincerus ex omni parte nummus, quique Constantini Magni ætatem non mentiretur tantum, sed haberet, & cujus scalptura undiquaque illæsa adhuc esset, reperiretur, quærendum restaret, utrum is non conjecturam tantum, sed firmum etiam de forma Christi argumentum præberet? Et Vavassor quidem affirmantem sententiam tenacissimè defendit: *etsi*, inquit, *passim detrahi sciam ab hominibus, etiam non indoctis; de tota hac nummaria seu numismatum ratione quasi aut error atque imperitia, aut adulatio & licentia fingendi occuparit omnia, tamen adduci non possum, ut his clarissimis priscæ vetustatis monumentis, quæ sub oculorum sensum cadunt, nihil credendum existimem.* Quo minus

*minus faciam, causas meas disce. An qvisqvam omnium, qvi pravitates corporis per insignes virorum principum, etiam tum, cum viverent, in nummis recognoscat expressas, ut Vespasiani, ut Maximini, ut Diocletiani, ut Juliani, dubitet, aliqvid loci fuisse veritati? Qvod autem multa ejusdem diversis locis, ab artificibus fabricata diversis, numismata sic similia existunt inter sese, ut qvi unam unius effigiem viderit, omnes viderit, num hoc satis est probabilitatis, ignoratione & insciti*â *qvam minimum à primo proprioq; aberratum esse? Ecqvodnam demum majus indicium qværimus veræ imitationis, & effictæ similitudinis, qvam qvod repræsentant nummi eadem omnia, qvæ de cujusqve habitu ac figura oris scripta historici reliqverunt? Hæc eo spectant, ut intelligatur, neutiqvam esse testes rejiciendos & iniqvos ejurandos eos, qvorum sit sive inter se, seu cum aliis, tam cohærens & conspirans & penè constata testimonii ratio. Præsertim cum hoc veriores esse debeant, qvo minus se dant potentioribus, neq; oculis inserviunt, neq; vitia artificio obscurant. Itaq; non modo Christi, si qvæ sunt, numismata non respuo, sed etiam postulo, flagito, mihi qvamprimum exhiberi gestio, vicissim daturus manus, si qvam præ se deformitatis umbram ferant. At verò neq; olim eruta significantur in libris, neq; monstrantur nunc in* κειμηλίοις *ac thesauris elegantium & curiosorum hominum, neq;, ut spero, existent unqvam boni artificis ac bonæ notæ, qvæ fidem faciant, ullum in corpore Christi nævum, ullam turpitudinis maculam hæsisse.*

CXXVII. Petrus qvidem Firmianus, in Secul.

Secul. Gen. p. 22. haud parum videtur, huic opinioni detrahere, cum inqvit: *Plurimorum Principum nummos vidisti, sed forte hæc ingeniorum monimenta, mutamqve & fidelem variæ ætatis historiam in his operibus non adverristi. Sub Augusto artifices etiam augusti expresserunt in ære non indignos tanto Principe vultus. Nec citò periit industria. Aliqvi etiam ex Cæsaribus, qvos in supplicium generis humani ultor Deus mundo præfecerat, pari gratia videntur in nummis, regnum suum apud iratos posteros etiam aliqvo modo commendantes venustate artificii. Sub Constantino artes non neglectæ qvidem, sed infeliciter laboriosæ, humanissimum Principem barbarâ manu ita posteris exhibuerunt, ut honor ipse, qvi meritissimo Principi ab imperitis delatus est, haberi possit pro injuria majestatis. Nec mitius cum aliis principibus actum est, qvi post illum regnaverunt. Julianus in eos artifices incidit, qvos meruerat; truces oculos, vultum horridâ barbâ rigentem, ipsa artis malignitate effecerunt horridiores, ut tyrannus, qvi doloris compendio è vivis excesserat, longâ tyrannorum istorum qvasi sævitie, etiam apud posteros puniretur in nummis.*

CXXIIX. Sed, ut qvid eâ de re habendum sit, constet, ex eorum, qvi nummariæ rei diligentissimè incubuerunt & variorum numismatum thesauros oculis manibusqve suis accuratè lustrarunt, relatione sciendum est, artem sculpendi signandiqve antiqvissimis seculis inde ab Alexandro ad Valerianum usqve Cæsarem, in summo qvasi fastigio viguisse, ut vultus

tus principum & res qvaslibet alias nemo hodie tam exqvisitè repræsentare pingengo possit, qvam tum fecere sculpendo; defeciſſe autem posterioribus seculis & in Heraclio qvasi finem adeptas esse. Qvam in rem malo audiri Anton. Augustinum, Dial. I. p. 6. *Illud*, inqvit, *inprimis apud omnes constitutum est, pictores, sculptores, aurifabros, cæterosqve id genus artifices, præcipuè verò eos, qvi aut monetam ipsi feriunt, aut feriundam curant, magnam in omnem partem ex veteribus nomismatis utilitatem capere posse, & solere. Qvod hæ artes mirificè degenerarint à pristinâ illâ elegantia, ut, vel me tacente, qvivis non omninò hebes inspectis operibus retro annis abhinc centum elaboratis, deprehendet. Apertissimè verò ex omnibus omnium ætatum numismatis jam inde ab Alexandro Magno, qvo regnante in Græciâ & Asiâ hæ artes ad summum perductæ viguerunt, usq; ad Gallienum, Imperatorem; qvâ tempestate simulcum imperio ceciderunt. Circumferuntur tamen nummi omnium ferè Imperatorum Romanorum in Justinianum usqve, sed in qvibus veterem illam elegantiam artificiumqve desideres. Nam qva ab ipsa Justiniani ætate conflata reperiuntur, adeò inepta sunt, ut artis nitoris atqve elegantiæ vix vola, ut ajunt, atqve vestigium appareat. Hunnis, Vandalis, Alanis, Gothis & Longobardis, qui in magna Europæ parte imperarunt, acceptum id plerique referunt. At verò jam tum artes jacere cœperant, ab ipsis lutulentis & inqvinatissimis pedibus porrò conculcatæ atqve oppressæ, peneque extinctæ fuere*

Qvam-

*Qvamqvam non defuere ea tempestate præstantissima ingenia, hominesqve literarum studiosi, qvi si in felicius seculum incidissent, majori haud dubiè in precio haberentur. Cæterum in antiqvis, ut dixi, nu*m*mis, magna extant perfectæ picturæ signa, ad vivum delineatis hominibus, rebusq; tam affabrè ad vivum imaginem expressis, ut supra nihil possit: qvædam etiam nomismata sic leviter extantia, ut in auro argentoq; pustulato, alia altius assurgentia reperiantur, & qvaqvaversum, ut non in plano impressa signa ac tabulæ, sed integrè sculptæ statuæ esse videantur. Sunt & aliæ artis perfectæ documenta, qvæ nonnisi â su*m*mis artificibus cognita, tam accuratè expressa vulgò feruntur, veneuntq;, ut ægrè à veris discerni qveant.* Qvæ causa etiam est, ut, qvi nummos nobis veteres æri incisos dederunt, vel in Augusto vel in Justiniano vel in Anastasio vel in Heraclio qviescant, cum ex oculorum inspectione pateat, qvam tetræ multæ etiam horum facies appareant, ut incredibile sit, eo vultu personas tam illustres comparuisse. Celeberrimus hodie nummariæ rei Interpres, Carol. Patinus, illustri Numismatum suorum operi hunc imponit finem: *Qvemadmodum Heraclii Numismata series finiunt in Cimeliarchiis, sic finem imponent operi nostro. Illud ulterius poteramus extendere; Constantinopolitanorum enim Imperatorum monetæ nobis non deerant, at illæ tam rudes sunt, tamqve barbaræ, ut lubenter abstinuerimus. Si tamen hasce scalpturas, brevibus nostris co*m*mentariis adornatas Reip. curiosæ placuisse cognovero, id, qvod ad posteriorum Imperato-*

eorum historiam spectat, indagare & publici juris facere non intermittam.

CXXIX. Itaqve si de priscis illis numismatis, in qvibus effigiandi artificium qvasi miraculo est iis, qvi eadem oculis usurpant & cum recentioribus qvibuslibet conferunt, loqvaris, argumenta Vavassoris facile evincunt, magnum certè ea pondus adferre cognoscendæ formæ ejus, qvem nummus refert, si qvidem constet, imaginem ad vivum exemplar fuisse expressam. Cur enim formæ gratiam, in nummo relucentem, soli artificis vel ingenio vel industriæ adscribat Firmianus, cum, qvalem ille vultum conspiciendum exhibet, talis qvoqve ab Historicis & non alius, vivis qvasi coloribus depingatur, neqve, si nummus innumeris in locis ab artificibus innumeris scalptus impressus sit, ullo etiam lineamento diversam imaginem præbeat, eqvidem haud asseqvor. Augustum nummi non alia forma præsentant, qvam qvalis à Suetonio aliisqve descripta extat. Neqve ideò Caligulæ, Neroni, Vitellio, aliisqve melior, aut Domitiano, Caracallæ, Heliogabalo, deterior debebat in nummis forma obtingere, qvam natura his monstris concesserat, neqve melior poterat Vespasiano & Trajano, qvamqvam meruerant factis meliorem. Qvalem qvemqve finxerat natura, talem & ars formabat, qvæ religiosissima tum fuerat illius imitatrix. In Numismatibus aureis, argenteis, æreis, à Romulo usqve ad

Justi-

Justinianum Aug. cura & impensis Caroli, Ducis Croyjaci & Arschotani, congestis & æri incisis, Tab. LXV. n. V. & IX. cernitur Constantinus Magnus, eiqve hæc observatio additur: *Constantinus Magnus, ad amussim, prout à Cedreno & Nicephoro, lib. IIX. cap. LV. describitur: nempe cervice crassa, capillo non denso, barbâ rarâ, naso paululum incurvo, oculos leoninis.* Julianus, Apostata qvidem, sed de cætero, à regnandi artibus & moderatione & literarum studiis & rerum gestarum successibus haud parvum laudandus, liberali qvoqve forma valuit, qvam neqve barba, [qva & alii optimi principes, Hadrianus, Antonius, Posthumus, Claudius, aliiqve superbiebant, qvamqve ipse sibi, ut Philosophus assumpserat] dehonestat, etsi & in Patinianis nummis interdum sine barba, ad morem Constantii, qvem imitari gestiebat, occurrere dicatur, neqve numismata etiam deformem potius, qvantum ex inspectione judicare licet, qvam formosum sistunt. Neqve tamen & hoc inficiamur, duobus ferè ante Constantinum Magnum seculis scalpendi artificium inclinare ad decrementum cepisse, & subinde magis magisqve iniqviora fata expertum propemodum ad interitum seculo qvinto sextove properasse, in qvibus, si qvis Justinos & Phocas & Heraclios & eos, qvi magno hos numero insecuti sunt, intueatur nescio qvas vel pupas vel terriculamenta obversari oculis suis existimabit. Qvales postea

in

in monasteriis otiosi nobis monachi sanctulorum sanctularumqve imagines, coloribus qvidem & auro pulchrè vestitas, sed de cætero neqve decore neqve proportione neqve arte ullâ conspicuas, magno numero exhibuerunt, qvas hodieqve multis in locis memoriæ causâ asservari videmus.

CXXX. Hæc qvamqvam ita se habeant, non tam video, cur tantopere desiderare Vavassor numismate Christi imagine insignita, cur postulare & flagitare, cur exhiberi sibi qvamprimum petere debeat, victas daturus manus, si qvam præ se deformitatis umbram ferant? An enim fieri non potest, ut ex sequioribus ætatibus tale in nummo vultus Christi portentum, qvale Nicephori, Basilii, Romani, Isaacii, Alexii, Andronici, aliorumqve in numismatibus hodieqve visitur, nobis exhibeatur? Aut qvi aliter fieri potest, qvin forma Christi rudi seculo rudi manu in nummis effigiata, rudis pariter & deformis prodeat? Non itaqve deformis Christus illicò erit, si ab imperitâ manu deformis pingatur. Jam si ad superiora secula ascendamus, vindicemusqve nummum Altempsianum ævo Constantiniano, nec illa ætas ita amplius scalpendi arte excelluit, ut faciem Christi citra omne dubium genuinam nobis sistere potuerit, cum jam inde à Gallieno usqve, qvi duabus annorum centuriis Constantinum Magnum præivit, descisçere à perfectione suâ

sculpendi peritia cœperit, deqve accurationis pristinæ laude amiserit plurimum. Valebunt itaqve nummi, Christi imaginem complexi, si eo temporis decursu, qvo ipse vixit, cusi signatiqve & si ab iis artificibus sculpti fuerint, qvi Octavii Augusti aut Tiberii nomismatibus Imperatorum vultus impresserunt. Neqvi mihi qvis facile persuaserit, non inter tot artifices qvosdam minus accuratos doctosqve fuisse, qvorum opera si superficiaria & impolita fuerint, qvid mirum est, si non aliter ad posteros transierunt? Sed qvid dicemus amplius? Si primo secundoqve seculo ante artificii inclinationem aut auro aut argento aut æri incisus fuisset Servator, nondum tamen de formæ veritate aut convenientiâ qvicqvam certi pronunciari posset, nisi constaret, è qvâ pictura artifex imaginem expressisset. Neqve enim, qvi non amplius erat in vivis, ad vivum delineari poterat. Neqve etiam scalpturæ, nisi ad vivum, ubi membrorum vel elevatio vel depressio, qvod ad imagines pictas commodè fieri neqvit, accuratè ad prototypum exigi potest, saltem qvoad primum exemplar, conficiebantur. Cum verò fieri non potuerit, ut Christus ad vivum, qvi hominum omnium contemptissimus fuerat, nummo incideretur, ex qvacunqve autem postea imagine pictâ in metallum transfusus fuerit, cum de imagine non constet, neqve de veritate aut certitudine signaturæ in nummo qvicqvam certi haberi ne-

necesse est. Quod si deniqve accuratam Christi in nummis effigiationem concedamus, de alterâ tamen tantum illi pulchritudinis parte, conformatione scilicet membrorum testabuntur, cum & colorum suavitas atqve harmonia, qvæ nummis effingi neqvit, in partem venustatis accedat, de qvâ proinde aliunde debebit judicari. Utadeò ex his in propatulo sit, qvaliscunqve demum cum facie Christi nummus reperiatur, eundem nihil prorsus, qvod Vavassor asseruerat, ad formam Christi cognoscendam momenti conferre posse.

CXXXI. Deniqve si consulamus nummos cum facie Christi hodie extantes, eosqve ante aliqvot secula cusos, [nam in recentioribus qvilibet sibi vel pro lubitu vel pro artis modulo Servatorem fingit] eos ita comparatos esse comperiemur, ut neqve deformitatem inde neqve venustatem colligere nos posse videamur. Nam de Zimiscæ nummis, qvibus vultum Christi insculpi, adjecto Græco qvidem titulo, sed Latinis characteribus: BASILEVS BASILEON, curavit, Anton. Augustinus ita scribit: *complures id genus nummos reperias, sed ut rudi admodum seculo à rudibus sculptos facile deprehendas. Christi imago est, umbilico tenus depicta, tiarâ, umbonis instar, cum signo crucis capiti imposita, qva forma ferè in templis Christianorum hodieq; conspicitur. Librum clausum manu gestat, significans, qvantum conjicio, librum illum clausum, de qvo Beatus Johannes in Apacolypsi scribit.*

De Constantini verò nummò, si vera est Vavassoris conjectura, ipse Vavassor hæc refert : *Non nemo innuit aliqvid, de qvo nihil præter auditum habet. Ait enim, istud accepisse se à viro eximiæ pietatis & doctrinæ, Jacobo Sirmondo, extare, qvod ipse viderit, numisma vetus æreum Christi, cujus scalptura faciem exhibebat satis deformem & horridam. Atq; accepit vir eruditus omninò secus, ac Sirmondus dixit. Consultus enim hic à me super ea re, negavit, sibi qvidqvam tale aut in mentem venisse, aut ex ore excidisse unqvam. Adjecit modo, oblatum sibi, Romæ cum degeret, numisma ejusmodi, unde conjectura capi posset, severiorem Christum vultu fuisse, qvam blandiorem, idq; se, qvando occasio tulit, narrasse qvamplurimis. At de deformitate planè nihil, neq; à se commemoratum esse, neq; ex eo nummo colligi potuisse. Atq; hoc & sæpe mihi, cum intulissem de isto sermonem, declaravit in congressu qvotidiano & confirmare, ita rem se habere, paratus est iis, qvibus id curæ percunctari fuerit. In tantum autem verum est, ut ipse, antequam in hanc eruditi viri notam & observationem incurrissem, idipsum de numismate, qvod refuto nunc, qvasi contra me prolatum, ex Sirmondi ore conjecerim in chartam, ut eo alicubi pro me, hac dissertatione, uterer.*

CXXXII. Atqve ita, qvid in descriptionibus formæ Christi, qvales apud Nicephorum Lentulumqve comparent, qvid in statuis, qvid in picturis, qvid in nummis deniqve, veri falsiqve, certi atqve incerti insit, satis longâ disputatione consideravimus. Nunc post intervallum illud

ad

ad viam regressi septimum sententiæ nostræ, atq; adeò ultimum proferimus argumentum.

CXXXIII. Illud procedit ex auctoritate veterum pariter atqve recentiorum Ecclesiæ Christianæ Doctorum. Qvantum huic rationum generi tribuamus, non potest obscurum esse ex iis, qvæ in antecedentibus contra Vavassorem disputavimus. Argumentum, qvod sub manu est, fidem non ita attingit, qvin incolumi salute vel ignorari possit vel diversis opinionibus agitari. Qvâ in materiâ, consentiente mihi Vavassore, Ecclesiæ Doctorum autoritas plus non habet roboris, qvam ratio, qva sententiam qvilibet suam firmat, fulcitqve. Fatemur enim, neqve omnes neqve ex omnibus plures sententiæ nostræ adstipulari, qvamqvam nec sententia nobis opposita, ut suo loco demonstraturi sumus, numero atqve multitudine eorundem glorietur, cum magna veterum atqve recentiorum Doctorum pars nihil uspiam de ista qvæstione controversiæ moverit, aut vel obiter etiam ejus meminerit.

CXXXIV. Hieronymum, Bethleemensis Ecclesiæ Presbyterum tanti æstimat Vavassor, cap. IV. §. 6. *ut malle se sequi eum vel errantem, qvam alios vera sentientes*, profiteatur. Is itaqve, indicante hoc nobis Vavassore, ita scribit in Matth. cap. IX. *Certè fulgor ipsa & majestas Divinitatis occultæ, qvæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat adspe-*

ctu. Et in cap. XXI. *Ignotum qviddam atq; sidereum radiabat ex oculis ejus & Divinitatis majestas lucebat in facie.* Et Epistolâ ad Principiam Virginem: *Nisi habuisset & in vultu qviddam oculisq; sidereum, nunqvam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qvi ad comprehendendum eum venerant, corruissent.* Pulchritudinem in genere constat è duabus partibus consurgere, qvarum prior est συμμετρία μελῶν *apta membrorum competentia*, altera εὐχροία *elegans coloris temperatio.* Sed hæc singula in pulchritudinis speciebus, utpote virili & muliebri diversa ratione ita commiscentur, ut in hac delicata qvæpiam venustas, in illâ comis gravitas prædominetur. Qvæ hoc ipso qvod comis est, neutro priorum carere potest, qvia vel torvitas vultus vel membrorum cæterorum devians à rectitudine dispositio gratiam severitati omnem subtrahit, colorum verò vel exuberantia vel defectus auctoritatis existimationem in adspicientium oculis imminuit. Cui itaqve singularis gravitas cum singulari humanitate vel comitate juncta competit, ei necessum est, convenire etiam singularem membrorum omnium inter sese conformationem & colorum suavitatem, qvæ est pulchritudo. Qvamqvam igitur Hieronymus, qvoad expressam literam, gravitatem tantum in Christo commendet, nemo tamen est, qvin animadvertat, cætera eum qvoqve consequenter dicere, id est, virilem in Christo pulchritudinis laudare excellentiam.

CXXXV.

CXXXV. Videt certè sentitqve Vavassor, qvo impetu in sententiam suam hæc sanctissimi Patris testimonia arietent; qvare connititur eorundem virtutem iis interpretationibus elidere, è qvarum examinatione eximium lumen verbis pariter Hieronymi atqve rei ipsi adfulgebit. Postqvam enim præmisisset, tria eundem in Christo præ cæteris inusitata & miraculosa prædicare; tum, qvod ipsum discipuli confestim, nulla deliberatione habita, nullo capto consilio, seqverentur; tum, qvod profanos venditores ac forsan iniqvos exigeret è templo. *Plerique*, ait, *arbitrantur, maximum esse signorum, qvod Lazarus suscitatus est, qvod cæcus ex utero lumen acceperit, qvod ad Jordanem vox audita sit patris, qvod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi verò inter omnia signa, qvæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, qvod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus & videntibus, lucra destrui sua, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasqve subvertere & cathedras confringere, & alia facere, qvæ infinitus non fecisset exercitus;* tum, qvos satellites contra se missos cum armis, sibiqve jam propemodum vim & manus inferentes, adfligeret ad terram, hunc in modum se ad Hieronymum exponendum accingit: *Hæc tria, ut Hieronymus decernit, miracula, qvæq; idem egregiæ Christi pulchritudini, ut adversarii contendunt, nec diffitemur, adscribit, cui tandem*

pulchritudini adscribit? Non humanæ sine dubio & naturali: neqve possunt tanti effectus tantulæ causæ respondere. Restat igitur, ut ea Divina sit ac prorsus cœlestis forma, cujus tam admirabilem videmus efficientiam. At verò pulchritudini adscribit, qvæ adspectui videntium patebat, qvæ in oculis radiabat, qvæ lucebat in facie: ea autem Divinitatis pulchritudo non fuit, qvæ qvia ipsa est Divinitas, neqve videri, qvod colorum est, neqve radiare & lucere, qvod qvalitatis materialis est, poterat. Neqve etiam Divinitas aut Divinitatis proprietas vel oculis vel faciei in se communicari poterat, cum idiomatum communicatio, ut res impossibilis atqve seipsam contradictione destruens, à Jesuitis rejiciatur, nisi aliqvis Divinitatis in oculis, inqve facie effectus produceretur, qvi cum corpori seu carni Christi inhæserit, humanus utiqve est & naturalis, in qvantum naturale extraordinario & ei, qvod naturæ non intimè, licet extraessentialiter, hæret, opponitur. Divina qvidem hæc forma dici poterat, qvia ex unione cum Divinitate in carne oriebatur; humana, qvia in carne recipiebatur & per carnem exerebatur. Qvemadmodum, ut hoc simili utar, vita hominis ab anima qvidem est, sed corpori tamen inexistit & per corpus ubiqve operatur. Atqve inde absurdum non est, è forma humana, qvæ nempe ex unione cum Divinitate personaliter emanat, tantos provenire effectus. Qvanti enim effectus respon-

spondent pasionibus Christi humanis? qvæ nihilominus naturales ei erant, qvia ex natura totius compositi, qvod ex Divinitate sustentante & humanitate sustinente constabat, exoriebantur. Restat igitur, cum Divinitas in se & attributis suis invisibilis sit, humanam formam, non Divinam ab Hieronymo intellectam fuisse.

CXXXVI. *Atqvi*, pergit Vavassor, *nihil hoc ad rem nostram: agiturqve, non qvemadmodum majestas Divinitatis occultæ, ore se insueto, tanqvam pellucidâ veste, prodiderit aliqvando & ad tempus aliqvod, ac præsentiam declararit in corpore, suis extraordinariis & mirabilibus & prodigiosis factis; sed qvo pacto naturailli, qvod proprium ac perpetuum in vita esset, donarit, ut humana specie atqve elegantia homines alios, sic tanqvam gregales, longè post se relinqveret. Aqvo plurimum abest & mens Hieronymi & oratio. Certè ignem & sidera & lucem & fulgorem usurpat, qvibus verbis est subjecta notio vel transfigurationis alterius vel majoris cujusdam claritatis & splendoris; nihil minus exprimitur hac sublimitate dicendi atqve pompa.* Tria videtur dicere velle Vavassor; primò, pulchritudinem illam, ab Hieronymo in Christo commendatam, aliqvando tantum & extra ordinem in facie Christi resplenduisse; qvando nempe ipsi visum fuerit. At verò de naturali ejus & ordinaria forma hic qvæstionem esse. Secundò, pulchritudinem hanc impropriam fuisse, constitisseqve non in faciei lineamentis, sed

in extraordinariis & mirabilibus & prodigiosis factis; de qvibus iterum nihil inter nos sit controversiæ. Tertio, si ad faciem qvoqve extendenda sit illa pulchritudo, alteram qvandam ejus transfigurationem & temporaneam claritatem atqve splendorem fuisse, qvem utraqve dissentientium pars, illæsa utriusqve opinione, facile admittere possit. Sed verò hæc talia cum Hieronymianis locis nullatenus consistere possunt. Non primum; qvia nec vola nec vestigium in textu comparet, qvod de iis rebus loqvatur, qvæ temporanea in Christo fuerant & citò transibant. Non secundum; qvia fulgorem & majestatem Divinitatis occultæ è miraculis, ceu productis ejus verbis postea manifestum faciemus, clarissimè distinguit. Non tertium; qvia transfiguratio una aut plures, præter Taboriticam, frustra finguntur. Sed intueamur loca Hieronymi, ex qvorum contextu, qvid de glosis Vavassorianis judicandum sit, patebit. Itaqve ad Matth. IX, hunc in modum scribit: *Matthæum se & publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit; cum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus.* [Dixerat enim Christus ad Matthæum: *Seqvere me*; & illico *surrexit atqve secutus est*, vers. 9.] *Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qvi statim secuti sint Salvatorem, qvasi irrationabiliter qvemlibet vocantem homi-*

minem sint secuti: cum tantæ virtutes, tantaq; signa præcesserint, [Prima ratio est, qva calumniam Porphyrii, infensi Christiani nominis hostis, & Juliani Apostatæ, retundit; miraculorum nempe majestas, qvæ cum nemini ignota fuerint, Matthæi qvoqve animum è vestigio percusserunt, ut hunc Thaumaturgum seqveretur] *qvæ Apostolos, anteqvam crederent, vidisse non dubium est. Certè fulgor ipse,* [Est hæc ratio secunda, cujus connexio cum præcedenti vocabulo: *certè,* instituta, hoc apertè insinuat: si Matthæus, cæteriqve Apostoli, miraculis commoti non fuissent, tamen fulgorem è facie relucentem tantum virium, ad flectendum eos, habiturum fuisse] *& majestas Divinitatis occultæ, qvæ etiam,* [q. d. non tantum in Divinitate, intra carnem latente & occultata, sed in ipsa humanitate] *in humana facie relucebat, ex primo adse videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete* [tertia hæc est ratio, à minore concludens] *lapide & succinis hæc esse vis dicitur, ut anulos & stipulam & festucas sibi copulent, qvantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, qvos volebat?* Cui hæc legenti in mentem venerit dixisse Hieronymum; aliqvando Divinitatis majestatem in facie humana ita reluxisse, ut ex primo adspectu videntes ad se trahere potuerit? Qvis non potius ex subjuncta de magnete & succino similitudine concludat, ut lapidi isti, ut electro, naturalis trahendi vis ineat, ita & faciei Christi competere virtutem

tutem, qva qvosvis citra laborem ad se allicere, sibiqve devincire possit? Qvamqvam non negemus, igneum hunc fulgorem gestuum actionumqve severitate Christum intendisse, cum ementes atqve vendentes è templo ejecit & qværentes sese, tanqvam fulgore qvodam, telluri affixit. Qvi enim gravi serioqve vultu est, oculorum intenso fulgore reliqvaqve ad auctoritatem composita specie, graviorem, magisqve serium effici nihil obstat. Qvare dum in secundo tertioqve loco igneum qvid & sidereum ex oculis ejus emicuisse dicit Hieronymus, gravem in se venerandumqve vultum, qvem omnes ipso adspectu admirarentur & taciti apud se honorarent, in qvandam austeritatem contraxisse, & his ignibus, his radiis templi profanatores terruisse, persecutores autem in terram concussisse intelligitur. Qværo deniqve ex Vavassore, si Divinam, non humanam in Christo laudavit Hieronymus pulchritudinem. qvi alteram qvandam transfigurationem intellexerit? Anne Divina natura transfigurari potest & claritatis atqve splendoris induere gradus? Non, autumno, dixerit ipse.

CXXXVII. Qvæ verò pro interpretando Hieronymo attulit Vavassor, ea nunc qvibusdam rationibus firmat, cum inqvit: *Et verò, si animadvertimus, parum hoc proprium fuit pulchritudinis, aut ad opum fugam traducere publicanos, aut expellere antiqvis sedibus mercatores ac tabernis, aut humi deniq; armatam cohortem sternere.*

Ista

Ista quidem vis est & potestas & imperium : habuerint qve potius hos eventus, si humanis viribus tribuas, ardentes oculi, elata supercilia, severa frons, totius vultus qvædam qvasi torvitas, cum objurgationibus & terrore verborum, qvam ullæ oris illecebræ & qvæcunqve potest esse virtus ac facultas suavissimi coloris, ad persuadendum. Neqve in Christo inficiari debemus, qvin plurimum valuerit parta multis factis illustribus & glorioſis auctoritas, confirmata opinione, qvam ejus de doctrina & moribus bona plebs haberet. Accedebat motus & incessus & corporis moderatio digna Deo, non eadem qvibus semper, nec constans perpetuò sibi; qvo enim pacto capi potuisset, aut morte affici? sed qvæ gravitatem teneret itentidem atqve ex intervallo, & majestatem, cum vellet ac Numen expromeret. Atqve hæc, ni fallor, κατάπληξις est, qvam, qvia Christo Celsus existimaret defuisse, ea re minus Deum homo ineptissimus ducebat. Aderant verò & hæc & illa, qvam idem requirebat in eo, πειθὼ, seu naturalis qvædam oris facundia, sic, ut in potestate sermonem haberet, obstupescerentqve audientes universi partim contortum fulmen acerrimorum fortissimorumqve verborum, partim mel eloqventiæ, suo proprio genere dulcissimum, & nativos neqve ascitos extrinsecus lepores. Qvæ præclaræ Christi dotes ac variæ, haud sanè intelligo, qvomodo & generatim non plus, qvam muta qvævis suavitas coloris & iners competentia membrorum, possint & privatim, hic non fuerint ad percellendos animos atqve in omnem partem versandos aptiores. Ad Hieronymum redeo, in qvo id, qvod

dico,

dico, observavi, neqvaqvam ab eo nostratem ullam formam intelligi, sed alteram longè natura diverlam, qvippe cui tantum tribuat in efficiendo.

CXXXVIII. Isthæc diluuntur, si ex generali tractatione, qvam primo capite præmisimus, repetamus, pulchritudinem congeriem esse plurium qvalitatum, qvibus proinde in se diversis diversi qvoqve respondeant effectus. Nam ex aptissimâ convenientissimâqve membrorum omnium formatione atqve proportione id habet pulchritudo, ut admirationem sui & laudem excitet, ceu Divinum qvid, qvod intra animum æstimare & suspicere solemus; ex colorum suavitate id consequitur, ut amorem sui singularem ingeneret, omniaqve uniri atqve conjungi pulchris desiderent; ex gravitate atqve auctoritate, ex utroqve priori resultante, ut qvendam nobis terrorem incutiat & ad obsequium nos vi qvapiam compellat; ex comitate deniqve, ut non inviti obsequamur, sed animo libentissimo proptissimoqve pulchrorum in nos jugum suscipiamus. De qvibus formæ effectibus cap. I. §. X. seqq. uberrimè egimus. Qvæ cum partim sensu partim experientiâ atqve exemplis constent, nescio qvam incohærenti disputandi methodo Vavassor neget, pulchritudinem Christi vel amorem discipulis, ut ipsum sequerentur, vel venerationem, ut pro Domino atqve Magistro agnoscerent, vel metum mercatoribus, ut expellenti cederent, vel pavorem militibus,

ut

ut terræ capita alliderent, injicere potuisse. Qvæ enim ista est consequentia: potestate & imperio talia ac tanta Christus perfecit: ergo pulchritudinis in iisdem nulla vis fuit? Nam, ut taceam, potestatem atqve imperium ejus neqve discipulos, priusqvam vocarentur, neqve tabernarios, neqve Hierosolymitanum militem agnovisse, Hieronymus utrumqve causam tantis operibus præbuisse dicit, & miraculorum potentiam & fulgoris ex oculis exeuntis majestatem. Qvorsum faciunt Logicorum regulæ: *unius positio non est alterius remotio*; & *unius rei plures possunt esse causæ*. Qvid? qvod imperio atqve potestati Christi flagello eos persequentis nunqvam paruissent mercatores, nisi igneo oculorum Divinorum, adeoqve pulcherrimorum, fulgure ad obsequium vel invitati fuissent vel compulsi. Jam qvid hoc rei est, committere sibi invicem, tanqvam inimicissimo odio disidentes, oris illecebras, colorum suavitate pictas, & oculorum frontisqve severitatem? In Augusto Svetonius dilaudat formam eximiam & per omnes ætatis gradus venustissimam, qvi tamen vultum miro naturæ beneficio modo adeo fingebat tranqvillum, serenumqve, ut qvidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, [τὸ καλλος ἡ τῆς ῥώμης αὐτῆς ἄρχει, ait Isocrates] qvo minus, ut destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloqvii admissus, in præcipitium propelleret; modo

modo adeo ſeverum ſeriumqve, ut multi ei acrius contuenti, qvaſi ad fulgorem ſolis, vultum ſubmitterent. Non opus eſt ad hos effectus torvo feroqve vultu, qvalem formant, qvi iracundiâ invidiæqve ſtimulis pleni devorare alios, id eſt, metui qvam amari malunt. Qvam verò in unum effectum plures cauſas conſpirare non repugnet, vel id arguit, qvod Vavaſſor locum aliqvem, auctoritati in hominum animis obtinendæ, motui & inceſſui & corporis moderationi concedit, qvod miraculorum gloriam, qvod facundam oris eloqventiam, qvod dotes Chriſti præclaras alias, eam Chriſto apud vulgum exiſtimationis opinionem peperiſſe diſputet, ut his omnibus, tanqvam fulmine qvodam, vel invitos & reluctantes perculerit. Eſto, plus hæc potuiſſe, qvam mutam qvamvis ſuavitatem coloris & inertem competentiam membrorum, non tamen ſeqvitur: ergo hæc nihil potuerunt. Neqve enim de eo qvæſtio eſt, qvid magis minusqve moverit qvoslibet, ut morem Chriſto gererent, ſed qvid moverit, atqve ita moverit, ut ſine eo neqve tam cito neqve tam facile obſeqverentur. Plus poteſt una ſanctiſſimi Spiritus actio in convertendo corde hominis, idqve ad fidem Evangelio habendam flectendo, qvam omnes omnium hominum labores; neqve hoc ignoravit Auguſtinus, qvi legerat: *Deum poſſe facere ſuper abundantius, qvam nos intelligimus*, nedum facimus; Eph. III. 20. & tamen

ſcribere

scriberenon veretur : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ permoveret auctoritas.*

CXXXIX. Nunc aliam profert Vavassor exponendi Hieronymi rationem, qvæ si & ipsa obtineat, nihil testari pro nobis religiosissimum Patrem, palam esse ait: *Observavi & istud deinde, hæc sipulchritudo, qvam Christo Hieronymus attribuit, non jam ex effectis istis admirandis spectetur, sed per se, & ex ipsius aliqvot, qvibus eam extulit verbis, humanam atq; ejusdem cum nostrâ generis intelligi posse & reapse talem reperiri in Christo; sed ne eam qvidem esse, de qva res est nobis cum adversariis. Qvæ isthæc pulchritudo & qvæ verba Hieronymi: pulchritudo, inqvit, virtutum in sacro & venerando corpore. Qvænam porrò & pulcræ & corporis virtutes istæ, nisi hilaritas oris, serenitas frontis & tranqvillitas, rubor genarum ad pudorem & verecundiam subitus ac brevis, modestia vultus, ardor & flagrantia oculorum, qvarum postremam videri potest Hieronymus verbis designasse, cum qviddam in Christi vultu oculisq; igneum ac sidereum inesse dixit, & qvas omnes multarum & magnarum rerum efficientes, intra vim tamen & captum naturæ, aliqvando legimus fuisse.*

CXL. Hæc si locum Hieronymi in Epistolâ ad Principiam contra nos tuerentur, cæteri tamen in vigore atqve integritate suâ illibati consisterent. Hoc enim pallium si primo loco circumferas, isthoc indutus ornatusqve habitu procedet: *Certè fulgor ipse & majestas Divinitatis occultæ, qvæ etiam in humanâ carne relucebat*, id est, hilaritas oris, serenitas frontis, pu-

dor ac verecundia, modestia vultus, ardor & flagrantia oculorum, cæteræqve in Christo virtutes, *exprimo adspectu videntes ad se trahere poterant.* Qvo pacto Matthæus, cumprimum vocaretur à Christo, qvia sine omni morâ vocanti obediit, istas animæ Christi virtutes & adspexit, & iis adspectis, ut Christum seqveretur, commotus est. Atqvi neqve animi virtutes oculis usurpari, neqve mente ex solo vultus intuitu, tantulâ interpositâ morâ, ita cognosci possunt, ut voluntatem nostram illicò flectant vincantqve; cum ignoti nulla sit cupido. Si verò virtutes istas in mero naturæ ordine consideres, non prout à mente atqve voluntate ad honestatis regulam reguntur, tum qværo te, qvid hilaritas oris, qvid frontis serenitas atqve tranqvillitas, qvid rubor genarum ad verecundiam & pudorem subitus ac brevis, qvid modestia vultus, qvid ardor & flagrantia oculorum, qvam vel partes sunt, pulchritudinem eam ipsam, de qvâ inter nos controversia est, componentes, vel effectus eandem inseqventes? Qvibus hoc ipso, atqve aliis, [qvandoqvidem ad pulchritudinem eminentem plura reqviruntur] pluribus in summo gradu gavisus fuerit juxta Hieronymum Christus, oportet, qvia illa tam repente adspicientium oculos animosqve commoverunt, cum, si etiam supra vulgarem sortem singula alias assurgant, tanto tamen effectui producendo nunqvam sufficere, omnis

ævi

ævi historia commonstret. Id qvod & cætera loca eò maximè confirmant, qvia Divinitatis majestatem & fulgorem, qvibus certè vocibus rebusqve omnis ista virtutum congeries, si cumprimis intra communem cæterorum hominum conditionem delitescat, exprimendis atqve absolvendis impar est, in facie Christi conspicuum, ubiqve decantant. Nempe Divinitatis majestas Hieronymo plusqvam naturales, [qvâ naturale est, qvod intra communem hominum vulgarium naturam subsistit] virtutes significat. Hæc majestas, cum in facie reluceat, cum in oculis fulgeat, cum â videntibus adspiciatur, non est ipsa Divinitas, in se spectata, sed sese spectandam in externo corpore præbens. Virtutes autem, in qvibus, tanqvam in speculo, Divinitas refulget, cum adspicientem percellant, cum sine omni intermedio vel discursu vel deliberatione, ex ipso adspectu subitò commoveant, non possunt esse virtutes mentis, sed corporis sunt, & eæ qvidem, qvæ aspectui patent, qvæ mediante visu citra ullam moram ad animum delatæ, hunc dominio suo confestim subjugant atqve vincunt. Hæc, qvæ secundum literam Hieronymiani textus in se palam complectuntur, ut cum interpretatione suâ conciliet Vavassor, necesse est prius, qvam istum nobis verborum Hieronymi sensum obtrudat, tam incertum, tam frigidum, tam ab intentione Hieronymi alienum.

CXLI. Adhucunum habet Vavaſſor, qvod obvertat, ſi qvis præcedentibus explanationibus haud acqvieſcat. *Eſt hoc tertium*, ait, *qvod obſervavi, usq; eò iſtâ ſua expoſitione non contentum Hieronymum, ut cum locos Davidis & Eſajæ repugnantes in ſpeciem & contrarios adducere vellet in concordiam, duos alios treſve modos componendæ controverſiæ attulerit. Nam & ad Davidis partem hanc: ſpecie tuâ & pulchritudine tua; pulchritudinem Chriſti collocavit in Divinitate: gloria ergo & decore ſuo, ſive ſpecie & pulchritudine Divinitatis ſuæ; & ad Eſajæ iſtam: non eſt ſpecies ei neq; decor, hunc modo ex puris ac plenis virtutibus animi pulchrum æſtimavit: candidus plenitudine ac puritate virtutum; modo ex miris eventis, qvæ ſunt ejus conſecuta mortem: inclytus erat & decorus aſpectu, qvando ad paſſionem ejus terra contremuit, ſaxa dirupta ſunt & fugiente ſole æternam noctem elementa timuerunt.*

CXLII. Qvid verò, ſi duos treſve adferat modos Hieronymus, componendæ controverſiæ? Anne ideò primum, qvi pulchritudinem Chriſto virtutum etiam in venerando corpore vindicaverat, rejicit atqve confutat? Sed, qvæ inſuper reſpondere conveniat, occupavimus hoc ipſo capite, §. XVI. & XXIV.

CXLIII. Ab Hieronymo, *qvo viro*, Eraſmo judice, *nihil habet orbis Latinius, vel doctius, vel ſanctius*; nonnulli, qvi ſententiæ noſtræ favent, ad Auguſtinum progrediuntur, eundemqve pulchritudini Servatoris noſtri calculum addidiſſe ſuum contendunt; ſed fatendum

dum est, id fieri irrito conatu. Neqve enim qvisqvam hactenus adductus est locus, qvi extra dubitationem id affirmet, cui affirmando affertur, & ne qvid dissimulemus, qvin aliam qvamcunqve, qvam qvæ corporis & faciei est, complectatur pulchritudinem. Sed qvid interim de Vavassoris adservatione sentiendum est, cum scribit, cap. IV. §. 9. p. 127. *Hoc tibi confirmare possum, decem locos à me ex scriptis ejus variis super ea re consultos esse & diligenter evolutos, ac demum sic repertum, cætera omnia pulchritudinis genera Divinitatis, animi & ex virtute, & supra hominem gestorum,* [omittit id genus, qvod Hieronymus ponebat in sacro & venerando corpore, qvod tamen Vavassori diversum est à pulchritudine corporis] *sive propria ista nominari debeant, sive metaphorica, allegorica, mystica pertractari; hanc, qvæ corporis est, qvæ verè proprieq; pulchritudo dicitur, aut si falsò dicitur, nihil enim pugno, qvæ pulchritudo vulgò opinione hominum habetur, prorsus omitti, nedum κατ' ἐξοχὴν Christo ad singulariter præter cæteros assignari. Qvamobrem, si qva usqvam vis est inductionis ad captandum assensum, hic certè valet: qvam sit infirmare adversariorum, non vociferando Augustinum, sed Augistini promendo dictum vel unum, unde argumentationem hanc mancam & debilem constet esse. Interea dum tot ac tanta locupletissimi Doctoris volumina excusserint in eam rem, nos diligentia nostra frui sinant & ex decem numero locis semel, qva in sententia fuerit, existimare. Qvamqvam, qvid locos decem loqvor, cum duo tresve nobis*

pro millibus, aut etiam instar esse omnium possint? Si enim tunc, cum discordes, de quibus supra, exposui, locos conciliare niteretur in se, hoc est, ibi, ubi potissimum dici de vera germana Christi pulchritudine oporteret, siluit tamen de corpore, de convenientia membrorum, de coloris suavitate, quid sentiat, cujus taciturnitas ipsa clamat? Dicimus; ex inductione nihil aliud qvam hoc concludi; Ergo Augustinus nusquam tradit, singulariter pulchrum fuisse Christum; qvod eqvidem largimur. Ex qvo tamen perperam infertur, negasse Augustinum, qvod formosus fuerit. Hoc enim in nullo inductorum locorum sive verbis sive virtute continetur. Qvi itaqve ex inductione doceri poterit? At, inqvies, ibi siluit, ubi dici utiqve de germana Christi pulchritudine oportuit? Respondeo, nihil aliud seqvi, qvam incertum dubiumqve Augustinum de totâ re illâ fuisse, adeoqve maluisse tacere, qvam, de quibus ipsi compertum non esset, dicere. Qvod insuper adductus à nobis supra ex libr. IV. de Trinit. cap. IV. locus confirmat, cum ait: *Ipsius Dominicæ carnis facies innumerabilium cogitationum diversitate variatur & fingitur, qvæ tamen una erat, qvæcunq; erat.* Qvid clarius est, qvam non fuisse viro in promptu argumenta, qvam certè statuere posset, qvi ex innumeris imaginibus, qvas tam tum sibi qvilibet formabat atqve pingebat, inter qvas sine dubio & pulcherrimæ fuerant, qvia fuerant innumarabiles, Christo esset in rei ipsius veritate convenientior?

tior? Dum itaqve Auguſtinum à partibus noſtris non eſſe confitemur, nulla tamen cauſa eſt, cur parti adverſæ eundem concedamus; dicimus enim: neutrum eſſe.

CXLIV. Chryſoſtomus verò, qvo diſceptatore & judice in jus ire non recuſat Vavaſſor, perinde noſter eſt, atqve Hieronymus, qvia iisdem propemodum utitur verbis. Nam Hom. XXIX. in Matth. ſcribit: οὐδὲ γὰρ θαυματοργῶν ἦν θαυμαστὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἐγεμε χάριτος qvod vetus interpres, Anianus, reddit: *ut in faciendis ſignis erat mirabilis: ſic viſu gratioſiſſimus traditur fuiſſe.* Vavaſſor verò iſthunc in modum emendat: *Neqve enim ſolum erat in edendis prodigiis admirabilis, ſed & omninò multâ gratia abundabat ad aſpectum.* Ubi, qvamqvam Græca verba traditionem, qvam in interpretatione ponit Anianus, non habeant, inhumanior tamen videtur Vavoſſoris in adverſarium ſuum cenſura, cum interpretis libertatem, qvi id addit de ſuo, qvod ſublevari poteſt ex conſeqventibus, excuſat, illius verò confidentiam, qvi voculam aucupetur ad argutandum, qvaſi opinio iſta Chryſoſtomo, tradita à majoribus, una cum ſeculis inveteraſſe diceretur, itaqve ſecuri ſit animi de mente ac ſenſu autoris, ut latinè reddita ipſi obtrudat, Græcis inviſis atqve inconſultis, caſtigat. Nam ſiqvidem aliter non legit Chryſoſtomum Anianus, ac nos legimus hodie, nihil tamen textui, qvod à mente dicentis re-

motum esset, inserit. Cum enim in Novi Testamenti historia de specie faciei Christi memoriæ nihil fuerit mandatum, ex traditione certè, de qva Chrysostomus, temporibus qvippe primis propinqvior, certiora qvam nos inaudire potuit, edidicit, qvicqvid de eâ prodidit aut prodere potuit. Qvod itaqve interpres ex totius contextus œconomia, ad sensus complementum adjecit, id alios certè, qvandoqvidem ea in re interpres non erravit, ut a Chrysostomo ipso dictum apprehendere, eoqve urgere adversarios potuisse, non potest dubitari.

CXLV. Qvam verò inter se conveniant conspirentqve Hieronymus atqve Chrysostomus, non opus est, ut operosa collatione ostendatur. Dixerat ille: *ideo confestim Christum secutos esse Apostolos, qvia viderint tantas virtutes, tanta, quæ præcesserint, signa.* Hic verò: *Christum in edendis miraculis admirandum fuisse.* Iterum ille: *Etiam fulgorem ipsum & majestatem, quæ ex humanâ facie reluxerit, primo eos adspectu traxisse.* Hic verò: *etiam ad aspectum multa gratia plenum fuisse.* Qvicqvid itaqve pro Hieronymo dictum est supra, id & pro Chrysostomo valere, res ipsa intelligendum præbet. Qva enim ratione Vavassor à gratiarum, qvas recenset, consortio, utpote decentia, qvam retinuit Christus in omnibus, multa comitate affabilitateqve sermonis, dexteritate in agendo, nec qvæsita nec accersita concinnitate, qvæ sua sponte

ſponte ex ejus minimis cum dictis tum factis extitit, multisqve aliis habilitatibus & honeſtatibus corporis, pulchritudinem, qvæ partim his ipſis abſolvitur, partim fundamentum & originem iis præbet, ſejungere posſit, ne conjectando qvidem aſſeqvi licet. Qvamqvam cum ſubaddat Vavaſſor: *His*, virtutibus *ſi excellens quævis pulchritudo careat, inſulſa ſit*; *Hæc ſi excellenti pulchritudine ipſæ careant, ſaporem qvendam ſuum tueantur tamen & conſervent*: facile tamen regeritur, frigidum eqvidem ſaporem eſſe, ubi affabilitas cum deformitate & dexteritas agendi atqve concinnitas cum exterioribus naturæ defectibus amicâ familiaritate jungantur. Nec fruſtra Poëta:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Habuerit itaqve Chriſtus & comitatem & affabilitatem & dexteritatem & concinnitatem & honeſtatem corporis, nondum tamen habuit habilitates omnes, qvia non habuit eam, qvæ has omnes qvaſi condit & acceptas reddit, id eſt, pulchritudinem. Ornatus fuerit gratiis cæteris omnibus, caruit tamen eâ, qvæ cæteris omnibus gratiam conciliat, ſine qvâ ne gratiarum qvidem merentur nomen, pulchritudine. Qvod ſi in reliqvis in tantum ſupra mortales omnes eminuit, cur in ea ſola defecit, qvæ reliquas omnes viſu efficit jucundiores? Qvâ verò ratione ad adſpectum & φαινόμενον gratiâ multa abundabat Chriſtus, qvi non abundabat eâ, qvæ adſpectui primò

& præcipuè blanditur, qvæ in adspectum, in oculos ante omnes cæteras incurrit, pulchritudine? Nam & comitas & affabilitas & agendi dexteritas & concinnitas & honestas, reliqvis omnibus, qvam visui, sensibus prius & potius assentantur. Qvare ita concludimus: Qvi Christum multis ad adspectum gratiis supra cæteros homines abundasse docet, is [cum abundare, sit plus, qvam cæteri habent, habere] & pulchritudine eundem ante reliqvos docet excelluisse, qvippe qvæ adspectui ante cæteras omnes objicitur, qvæqve cæteris gratiam parit & amorem. Atqvi Chrysostomus. Ergo.

CXLVI. Longè verò jejunius & siccius est, cum Vavassor, vi adactus veritatis, concedit, de pulchritudine utiqve loqvi Chrysostomum, sed extemporali. *Sed*, inqvit, *ut egerit Chrysostomus hoc loco propriè de pulchritudine Christi aliqvâ, sicuti revera videtur egisse, qvi Davidem & Esaiam non dissentanea locutos fuisse doceat, non modo licet, sed necesse qvoqve est, eam pulchritudinem interpretemur, qvæ nec diuturnitatem habeat & supranaturam fuerit, qvaqve velut per transennam ad subitas & majores qvasdam animorum conversiones commutationesq; aliqvando usus sit. Cum enim æstimari formam Christi velit ex Mosis forma, cum recens à congressu & colloqvio Dei rediret, itemqve ex Stephani vultu, ad angeli similitudinem accedentis, qvo tempore cœlum ei discessisse visum est, atqve in eo animadversus Divini Numinis splendor ac majestas;*

dispar,

dispar, opinor, Christi naturalis & qvotidiana facies esse debuit, qvæ nullius oculos præstrinxit, cujus fulgorem nemo, qvod sustinere non posset adversum, accusavit. Qvid enim, rogo te, cogit, ut pulchritudinem à Chrysostomo prædicatam, de eâ pulchritudine exaudiamus, qvæ nec diuturnitatem habet, & supra naturam est? Aut qvid potius cogit, ut de ordinaria & qvotidiana pulchritudine locum Chrysostomi non interpretemur? Qvæ gratia, qvæ emphasis erit, qvæ αὔξησις, qvæ exaggeratio, si sermonem Chrysostomi ita circumloqvamur: Christus non tantum in edendis prodigiis erat admirabilis, sed aliqvando etiam, qvando velut per transennam ad subitas & majores qvasdam animorum conversiones, commutationesqve opus fuerat, multâ gratiâ abundabat & pulchritudine ad adspectum? Perinde ac si Mosen laudando isthunc in modum procedas: non tantum artibus atqve præsidiis regnandi instructus erat, sed & interdum ex faciei nitore ita collucebat, ut sine velamine ab intuentibus adspici non posset. Qvam frigida hæc est attollendi sermonem ratio? Aut unde, qvove indicio probabitur, Christum, cum singulare ad agendum susciperet aut majore qvapiam vi commutare animos & convertere vellet, aliam, qvam, qvalem qvotidiè habebat, pulchrioremqve adsumpsisse formam? aut, qvod hoc fecerit, somniasse Chrysostomum? Qvod eqvidem, si factum fuisset, non debebat

hoc

hoc prodigium, tanqvam supra cætera memorabile, ab Evangelistis ullo modo silentio præteriri. Supra naturam fuisse qva gaudebat Christus, pulchritudinem, id est, supra communem hominum nudorum, neqve Divina imagine, neqve Divina persona per unionem præditorum, sortem evectam, non tantum non nego, Chrysostomum sensisse, sed etiam contendo atqve inde infero, eo ipso eminentissimâ pulchritudine fuisse, qvia ea supra naturam fuit, qvemadmodum ideò plus qvam reliqvi ex hominum numero omnes scivit, qvia scientia ejus non naturalis tantum fuit, sed & supra naturam. De cætero, si naturæ vocem de ea dispositione accipias qvæ Christo intra naturas suas, è qvibus constitit, considerato competiit, tam supra naturam suam non fuit, gratiosum esse adspectu, qvam non fuit, prodigia edere, qvorum faciendorum potentia qvoad Divinitatem essentialiter, qvoad humanitatem personaliter gaudebat. Cum verò Chrysostomus illam faciei Christi pulchritudinem formæ Mosis atqve Stephani, cum à familiari cum Deo colloqvio & conversatione recentes redirent, confert, qva in re, qvo in tertio præcipuè comparationem instituat, dispiciendum est. Neqve enim in inconstanti nitoris duratione, aut etiam in modo nitoris, qvi alius erat in Mose, alius in Stephano, componit, sed potius in excellenti gratiâ pulchritudinis, ex peculiari unionis cum Deo modo

do resultante, qvæ hunc habeat indivulso sibi nexu copulatum effectum, ut amorem singularem & venerationem conciliet. Qvo pacto opus non erat, ut cujusqvam oculos falleret aut hebetaret splendor faciei Christi, qvi in excellentia pulchritudinis Mosen, in gratiâ & amabilitate Stephanum expresserat. Omnium autem minime seqvitur, si multi vel fulgorem istum inusitatum non animadverterint, vel animadvertentes non, ut Divinum, pro merito venerati fuerint, eundem à Christo prorsus exulasse: cum plurimi miracula ejus & numero innumera & majestate stupenda & virtute movendi efficacissima qvotidie adspexerint, & tamen nec miraculorum veritatem unqvam agnoverint, nec doctrinam, cujus illa gratia patrabantur, susceperint.

CXLVII. Nostra deniqve parum interest, qvam in aliis Scripturæ locis Divus Chrysostomus pulchritudinem Christi vel intelligat vel dilaudet. Neqve enim ideò, qvod prætendit Vavassor, præsenti qvidlibet decedit. Qvamqvam & in adductis locis corporis pulchritudo non excludatur. Qvid enim impedit, cum in priori τὸ: ὡραῖον τῷ κάλλει, per τὴν χάριν, τὴν σοφίαν, τὴν διδασκαλίαν καὶ τὰ θαύματα interpretatur, qvo minus ἐν τῇ χάριτι & corporis pulchritudinem complectamur? Qvam latè enim gratiæ vox apud Latinos patet, tam amplè sese diffundit vox χάριτος apud Græcos. Qvid autem apud Latinos vulgatius est, qvam gratiam

tiam vultus ponere pro venustate? In altero loco, qvid obstat, eandem pulchritudinem ἐν τῇ δόξῃ includi? qvippe qvæ & Scripturæ phrasi universam Christi præ reliqvis hominibus excellentiam comprehendit Joh. I, 14. XVII, 24.

CXLVIII. Bernhardi, Abbatis Claræval-lensis pientissimi, testimonium, ex Serm. I. in Fest. omn. sanct. qvod magnâ sui parte diminutum dedit Vavassor, in integrum restituimus. *Legimus in Evangelio hodie: qvoniam videns turbas Jesus, ascendit in montem. Prædicantem enim Dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur, qvorum salvabat animas, sanabat corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & adspectu illius delectati; cujus nimirum vox suavis & facies ejus decora, sicut scriptum est: speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est, qvem nos sequimur, cui adhæremus. Totus desiderabilis, in qvem non solum populi, sed & ipsi qvoqve angeli sancti desiderant prospicere. Qvid vobis suavius apponemus? Nimirum hæ sunt delitiæ angelorum. Gustate proinde & videte, qvam suavis est Dominus! Et huic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ, qvæ trahitur de occultis, omne qvod desideratur, non valet comparari. Qvid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terrâ fœcunditatem. Sed à Deo hæc universa donata sunt; nec dubium, qvin multò amplius reservaverit sibi, qvam dederit creaturis.*

CXLIX. Ut hunc nobis locum è manibus

bus eripiat Vavaſſor, tria obſervat. Primò, beneficentiæ Chriſti tribui, qvod tanto numero ad eundem confluxerint pasſim populi: *ad qvæ*, inqvit, *non dico, beneficentiâ nihil eſſe facundius, neqve formoſius. Id ſatis cauſæ fuiſſe, qvamobrem ex ejus ore penderent innumerabiles populi, oculos ab eo nuſqvam dejicerent.* At hoc non qværitur, qvamnam ſufficientem confluxus ad Chriſtum cauſam Vavaſſor reputet, ſed qvam indicet Bernhardus? Is verò duplicem apertè nominat rationem, qvâ moti ii, qvibus benefaciebat Servator, ei lubenter adhæſerint, affatum & adſpectum, qvorum ille ex voce ſuavi oriretur, hic ex facie decora. Si ſolius adſpectus feciſſet mentionem Bernhardus, ad comitatem ſine dubio ſuam & affabilitatem & concinnitatem & honeſtatem refugiſſet Vavaſſor, ſed qvia faciem decoram nominat, qvæ adſpectui, ut affatui vocis ſuavitas, jucunditatem & amorem pepererit, non auſus eſt conſuetam ſibi explanationem repetere, ſed ne nihil diceret, aliqvid dixit, qvod tamen ne qvidem eminus vim adſerti Bernhardini attingit. Qvid enim? ſi maximè beneficentia Chriſti ſatis cauſæ eſt, cur innumerabiles ab ejus ore penderent populi, nec oculus ab eo deflecterent; inconcuſſa nihilominus perſtat Bernhardi propoſitio: *Vox Chriſti ſuavis & facies decora erat.* Qvæ in qvoscunqve te induas vultus, de nullâ niſi propriè dictâ facie, nec de alio, qvam qvi adſpectui obnoxius erat, decore ſeu pulchritudine

ne loqvuntur. Cumqve Bernhardus probando ei, qvod dixerat, Psalmi dictum alleget: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*; formæ scilicet speciem faciei decoræ & labiorum gratiam vocis suavitati adaptans, non parum confirmatur id, qvod hoc capite §. XVII. diximus, Bernhardum qvoqve hunc locum de externa pulchritudine, certè eâ inclusâ, intelligere. Et qvid aliud sibi vult comparatio isthæc Bernhardi: *miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terrâ fœcunditatem; à Deo hæc universa donata sunt, nec dubium, qvin multò amplius reservaverit sibi, qvam dederit creaturis*: qvam Christum, de qvo unicè eo loco sermo est, plus possidere splendoris, pulchritudinis, saporis, fœcunditatis & ejusmodi naturalium, qvalitatum, qvam cæteræ creaturæ omnes? Idqve secundum eam naturam, qvæ harum nobilitatum capax est, qvæ facie decora & labiis gaudet, qvam audire irruentes in eum populi, qvam adspicere poterant. Hæc enim posteriora priora exponunt. Finge, Christum à cæteris hominibus pulchritudine superari, tum certè sibi non multò amplius servaverit, qvam dedit creaturis. Qvod qvia verbis Bernhardi è diametro repugnat, qvid inde aliud concluditur, qvam eundem Christum qvoad carnem pulchriorem reliqvis omnibus credidisse?

CL. Deinde regerit Vavassor, hæc verba non tam esse Bernhardi, qvam Chrysostomi:

Hoc

Hoc dico, inqvit, *unum illum locum ne Bernhardi qvidem esse, sed Chrysostomi, ex eo descriptum totum & in eandem de multitudine Christum avidius secutâ sententiam. Chrysostomus enim præter ea, qvæ retulimus supra; ἦσαν, inqvit, αὐτῷ προσηλωμένοι, φιλοῦντες αὐτὸν καὶ θαυμάζοντες, καὶ ὁρᾶν εἰς αὐτὸν ἀεὶ βαλόμενοι: erant in ipso defixi, eumqve charum habebant & mirabantur atqve intueri capiebant assiduè. Qvare qvod ibidem huic respondimus, responsum Bernhardo proportione puta.* Qvæ verò in uno hic paragrapho committit crimina Vavassor? Qvid tum enim, si maximè ex Chrysostomo traductus sit iste à Bernhardo locus? An ideò Bernhardus id intra animum suum non sensit, qvod locutus est? qvod, alienis licet, extulit verbis? Cum alius cujuspiam verba nostra facimus & in usum nostrum & proprietatem qvasi transferimus, anne ideò sententiam nostram non exprimunt? Non possum profectò hariolari, qvid velit Vavassor. Unus ille locus non est Bernhardi, qvia ex Chrysostomo descriptus totus; ego dico: ideò esse Bernhardi, qvia ex Chrysostomo descriptus totus. Nisi enim suum esse eundem voluisset Bernhardus, ex Chrysostomo non descripsisset. Sit ille utiqve Chrysostomi, tanqvam primi auctoris, tanqvam inventoris, Bernhardi nihilominus est, qvi eundem ex Chrysostomo mutuò accepit, tanqvam secundi possessoris, tanqvam usurpatoris, adeoqve omni jure Bernhardi est. Qvod si non est Berhardi,

sed Chrysostomi, majoris utiqve celebriorisqve Doctoris est, adeoqve majori pondere premit supprimitqve sententiam Vavassoris, qvam si ex Bernhardo, seqviorum seculorum Doctore & monacho, primâ origine dimanasset. Sed videamus deniqve, qvam inter se Bernhardi atqve Chrysostomi verba congruant, ut tam asseveranter & citra dubitationem omnem, Bernhardum exscripsisse Chrysostomum, pronunciare non refugiat Vavassor? Chrysostomi hæc sunt: *Erant in eo defixi, eumqve charum habebant & mirabantur atq; intueri cupiebant assiduè.* Et iterum: *Neq; enim solum erat in edendis prodigiis admirabilis, sed & omninò multâ gratia abundabat ad adspectum.* Bernhardi verò ista; *Prædicantem Dominum de civitatibus & castellis populi seqvebantur, qvorum salvabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter & adspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis erat & facies decora.* Qvid hic, sodes, indicii, hunc locum ex prioribus descriptum esse? Miraculorum meminit Chrysostomus, de qvibus nihil dicit Bernhardus. Affatus vocisve suavitatem commendat Bernhardus, de qvibus omninò silet Chrysostomus. In hoc solo conveniunt, qvod populi libenter Christum adspexerint, qvod tamen diversis uterqve verbis enunciavit. Ille ait: adhærebant ei, adspectu illius delectati; hic verò: erant in eo defixi atqve intueri cupiebant assiduè. Bernhardus præterea rationes adducit & rationibus rationes fir-

firmat, cur nempe ei adhæserint; id verò omittit, saltem totidem verbis non facit Chrysostomus. Equidem jurare ausim, Chrysostomum Bernhardo, dum hæc scriberet, non in mentem venisse, nedum in oculos, omnium minimè religiosissimum Abbatem plagium committere & Chrysostomo furari verba sua, non nominato auctore aut laudato, voluisse. Ut enim alter alterum dicatur exscribere, non sufficit, ut in sensu alicujus rei conspirent; quos enim quantosque auctores ita non descripsisse Vavassor? sed ut eadem sectentur verba, quamquam & casu quopiam fieri posse, ut duo, qui iisdem temporibus scribunt, iisdem nihilominus aut non multum differentibus verbis, citra omnem plagii suspicionem, utantur, exemplis confirmat vir plurimæ lectionis & eruditionis solidæ, *Jacobus Thomasius*, memorabili de Plagio Literario Tractatu. At vix in uno vocabulo Chrysostomus atque Bernhardus nedum in integro aliquo contextu, ut ex locorum inspectione liquidissimè patet, conveniunt. Quid itaque vel minimæ causæ est, suspicari, descriptum unum ex altero locum fuisse? aut, quod responsum est Chrysostomo, responsum proportione esse Bernhardo?

CLI. Jam quid tertium regerat Vavassor, subjiciendum est: *quanquam*, inquit, *& hoc apponere præterea pro argumento licet; quod vir humanitati Christi deditissimus, de hac ejus exuperantia pul-*

chritudinis nusqvam alibi mentionem fecerit, hic locum istum perstringere verbo, satis habuerit. Tu istuc, pater sanctissime, nisi aliud sentires, sic egisses? Semel tantum materiam tam copiosam atq; uberem, tam suavitati morum tuorum consentaneam, tam cum humana natura Christi conjunctam, tractasses? Ita breviter strictimq; attigisses, ut tibi iste sermo potius excidisse, qvam tu in eum incidisse, multò etiam minus meditatum & cogitatum attulisse, videretur? Nihil de eo multis in natalem Domini, multis in Canticum canticorum sermonibus, nisi tropicum & figuratum inseruisses? Ubi Divini sponsi descriptio? Ubi sacrarum nuptiarum? ubi solenne carmen & carminis tacitum non relinqvendum argumentum, pulchritudo, si egregia, & eminentiâ qvadam præstabilis & qvavis major humana? Tantæ profectò, toties occasiones, tam præclaræ fuerunt loqvendi, ut qvi tacuerit: inficiatus esse non possit non videri.

CLII. Itaqve secundum Vavassorem verè qvis qvidpiam non sentit, si id, qvod sentit, semel tantum expresserit. Qvoqve semel dictum est, aut verum non erit, aut ex eo de vero dicentis sensu constare non poterit. Qvid in infantiâ, qvid in pueritiâ, qvid in adolescentia egerit Christus, qvam supra cæteros mortales omnes sapientiâ gratiaqve profecerit, qvam copiosa, qvam dives materia est, qvam suavitati morum Apostolicorum consentanea, qvam cum humanâ Christi naturâ conjuncta? De qva tamen nihil sive Evangelistæ, sive Apostoli, nisi unico loco & semel, cum

cum ubiqve occasio esset, ubiqve dicendi oportunitas. Si qvis hic cum Vavassore concluserit: tantæ profectò toties occasiones, tam præclaræ fuerunt & Matthæo & Marco & Johanni & Paulo & aliis loqvendi, ut qvi horum tacuerit inficiatus esse non possit non videri? Qvanto periculo Lucæ fides exponetur? Nempe, cum alia potiora Bernhardo, qvæ in Christo laudaret, in promptu essent, nonnunqvam hanc corporis pulchritudinem, qvæ nobilitatibus animæ in tantum, in qvantum animæ corpus ipsum, cedit, præteriit, qvemadmodum nec de ejusdem corporis reliqvis qvalitatibus, extra omnem dubitationis aleam constitutis, utpote εὐκρασία, valetudine, cæterisqve prolixam ullibi otationem instituit, nonnunqvam causa dicendi nulla fuit, utpote cum in Canticum commentaretur, ubi arbitrabatur, haud aliam, qvam qvalis & in sponsa compareret, ex oppositorum natura prædicari pulchritudinem, ist est, animæ & figuratam. Et qvicqvid deniqve horum sit; qvod Bernhardus semel indubitato loco disertis, neqve ambiguis, verbis professus est, nullum aliorum locorum silentium elidere posse, ultrò intelligitur.

CLIII. Qvorsum verò deniqve ista, qvæ his omnibus Vavassor qvasi in cumulum adjecit, dixitqve: *Nec solum Christo Bernhardus hanc præcellentem & insolitam hominibus formam denegavit tacendo, sed ne sponsam qvidem Christi isto, qvod*

mulierem decuerit magis, munere donavit. Te rogo, ne gravere, lector, evolvere sermones, ut inscribit, ejus duos, ubi præclarè disputat, qvemadmodum sponsa Christi eadem nigra & eadem formosa sit, qvoqve modo hoc elogium, secum ipsum pugnans in speciem, Christo conveniat. Spondebo tibi, vel potius spondeo, in meq; recipio, te literam reperturum nullam de pulchritudine, qvæ κατὰ λέξιν pulchritudo sit, propriaq; corporis; sed contra omnia per plures & continuas translationes, ad animum, ad mores, ad sermonen, ad actiones vitæ accommodata. Qvale est veliſtud: qvam formosum & in mea forma te agnosco, Domine Jesu! non ob Divina tantum, qvibus effulges, miracula, sed & propter veritatem mansuetudinem & justitiam. Beatus, qvi te in his hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Hoc jam beatitudinis munus formosa tua primitias suæ dotis accepit, nec qvod formosum est tui, imitari pigra, nec qvod nigrum, sustinere confusa. Anne, qvod sponsam Christi nunqvam corpore formosam induxit Bernhardus, ideò nec Christus pulcher ei esse potuit? Nunqvam igitur unqvam formosus deformem duxerit, nunqvam dives pauperem. Mulierem eqvidem magis qvam virum venusta forma decet, sed non tamen statim mulier eâ præ viro potitur. Decuerit etiam sponsam Christi corporis pulchritudo, eandem, primitus sibi concreatam, amisit, eademqve qvondam in ἀποκαταστάσει τῶν πάντων integra ei restituetur & illibata. Sed dum in præsenti vitâ

vitâ sub exurentibus variarum calamitatum solibus agit, dum cum qvibusvis corporis animæqve imperfectionibus conflictatur, neqve placuit unqvam Deo, eâ imaginis suæ gloriâ eandem dignari, qvâ singula ejus axiomata in præsenti vitâ possidere posset, neqve etiam eam illi naturam concesit, ex qvâ illa prono fluxu consequerentur. Qvod itaqve sponsa Christi neqve pulchra est corpore, neqve à Bernhardo pulchra describitur, inde est, qvod imagine Divina, è qva & formæ venustas, tanqvam è fonte, promanat, à prima nativitatis origine non gaudet: qva cum & nobiliore adhuc principio Christus sit instructus, qvid mirum est, eum sponsum formosum esse, cum deformis existat sponsa? In allegato verò Bernhardi loco animæ Christi pulchritudinem laudari video, non video negari venustatem corporis. Hujus verò ideò in isthoc sermone mentionem facere vel non poterat, vel non debebat, qvia eam ob oculos positurus erat pulchritudinem, qvam imitari sponsa poterat, qvam dotis loco accipere. Ea autem & mansuetudinis & veritatis & justitiæ decor fuerat, non nulla alia, qvæ corpus exornabat, forma.

CLIX. Addimus deniqve, ne qvid videamur novi defendere, qvorundam recentiorum Doctorum consensum. B. Lutherus, Tom. VI. Altenb. p. 377. Ich glaube/ daß Christus von Natur schön/ eine rechte Proportion und Maaß

aller Glieder gehabt habe. Nicol. Selneccerus, in Psalm. Tom. I. p. 254. f. 2. So jemand auch von der schöne des Leibes und der Gestalt Christi reden will/ der mags thun/ wie Nicephorus des HERRN Christi schöne Gestalt beschrieben hat. Denn Er ja schön und lieblich muß gewesen seyn/ daran ist kein zweiffel/ wie wir auch am Jüngsten Tag und hernach in alle Ewigkeit sehen und erfahren werden. Salomon Gesnerus, in eundem locum: *His verbis nondum equidem Divinam Christi naturam prædicat, quandoquidem illa cum hominibus & filiis hominum comparari nullo modo potest. Loquitur autem Propheta de humana Christi natura, in λογον assumptâ. Neq; externam solummodo speciem, quæ in corporis habitu & formæ elegantiâ spectatur, sed internam potius omnium virium animi & corporis præstantiam denotat.* Sebastianus Münsterus ad h. l. *Incipit hic laudare regem, commendatque eum cum primis ab elegantia formæ & gratia eloquentiæ.* Idem habet & Conradus Pelicanus & Aretius Felinus. Jo. Ulricus Pregizerus, in Epithal. ex Dav. Psalm. §. 38. *Formam in Christo etiam externam fuisse eximiam, non est dubium. Nam quod Esaias scribit, non fuisse ei speciem, neq; decorem, sed despectum fuisse & novissimum virorum, loquitur ex mente Judæorum, qui non reputaverunt eum, sed offendebantur, dum erat in statu exinanitionis.* Simeon de Muys, Comm. in Psalm. XLV. *Profectò dubium non est, quin Christus non animi modo, sed etiam corporis dotibus & venustate, supra cæteros mortales omnes, qui usquam*

sunt,

sunt, fuerant, aut erunt, quum etiam in his terris mortalis ageret, excelluerit, qui vir de virgine, nec ex voluntate viri, sed ex DEO natus esset. Andr. Rivetus in h. l. *In Filio DEI pulchritudinem fuisse eximiam & omnimodam, dubitare nefas est. Nam etsi subjectus fuerit aliquibus defectibus, spectantibus ad humani corporis deformitatem, non tamen omnes omninò corporis defectus incurrit, qui in hominibus aliis aq; aliis inveniuntur, præsertim iis, qui non proveniunt ex communi necessitate naturæ, sed ex causâ peculiari, scilicet vel ex imbecillitate formativæ sive generativæ virtutis, quæ deficiat in aliquo, vel ex immoderata vivendi ratione. Siquidem & perfectissima Spiritus S. virtute conceptus est prudentissimè ac temperantissimè vixit. Unde consequens est, illum nullam, neq; in habitu corporis, neq; in figura deformitatem habuisse & fuisse ejus constitutionem corporis undiquaq; præstantissimam quantum quidem virum deceret. Cum virtute Spiritus S. conceptus fuerit, non ex viriliseminе. Quæ enim Deus per se immediatè facit, longè perfectiora efficit, Est autem multum aucta hæc corporis Christi perfectio & pulchritudo, post resurrectionem ejus à mortuis.* Celeberrimus D. Dannhauerus, Hodosop. Phæn. VIII. p. m. 408. *Illustris erat humana Christi natura gloria corporis, sine dubio pulcherrimi, de quo testatur immediata formatio à Spiritu S. temperamenti vigor, oris gratia, temperantia in victu.* Subnectimus ex venustate Glossam continuam collectoris super librum Psalmorum, Petri de Harentalis, Prioris Floresiensis, *ex diversis sanctorum codicibus*, ita habet

bet titulus, *industriosè collectam: Fuit speciosus præ aliis, id est, plus quam alii, ex parte corporis, quia corpus ejus fuit formatum virtute Spiritus S. in cujus opere non potest esse error, nec defectus. Similiter ex parte animæ fuit speciosior, qui ab instanti creationis suæ repleta fuit omnibus gratiis & scientiis.* Et ex Judæis R. Isaac. Abarbanelem, qui comm. in Es. LIII. hæc de Christo habet: *Erit Meßias juvenis elegans, desiderabilis adspectu, æquabilis temperamenti in qualitatibus.*

CLV. Hunc Theologorum quorundam nobiscum consensum non in sensu alicujus principii Theologici, aut rationis, quæ quemlibet, ut nobis adsentiatur, movere debeat, ponimus, gnari, longè plures potioresque sententiæ nostræ opponi posse, sed si quis cavilletur, novæ nos atque singulari, quæque inde haud immeritò pro absurdâ reputetur, opinioni adhæresceré, ei hos tam graves, tam pios, tam eruditos Doctores obvertimus, à quibus, dum nihil alieni sentimus, sed eorum meditationes uberiori evolutione illustramus, nec impietatis, nec stoliditatis possumus accusari aut convinci. Facile itaque sustinemus, ut in scholæ suæ magistros, quos numero ait & multitudine sententiam suam oppressum iviſse, cum profligatis hostibus antiquis, nullo interpellante & victoria & pace perfunctus posse videretur frui, debacchatus Vavassor, ignominiosissimè eos traducat: *nos*, inquit, *magnam turbam ignotorum voluminum nihil contemnimus, facileque patimur*

mur congregari, atqve aliqvem in Bibliothecis locum obtinere. Est enim ad multas res ea conservatio librorum utilis, etsi evolvendi otium non fuit. Sed qvæ pro excusandis nonnullis, qvos inter cæteros tenerius observandos esse arbitrabatur, in medium adfert, sine censoria virgula dimitti neqve possunt neqve debent. *Celeberrimi*, inqvit, *qviqve istius disciplinæ doctores, qvos legerim, ubi erutis undiqve & congestis in unum argumentis pulchritudinem Christi fundarunt primum & stabiliverunt, atqve extruxerunt altius, ad extremum non demoliuntur qvidem ædificium, sed modum imponunt fastigio, idq; non ad venustatem, qvod à primo facturi videbantur, sed ad necessitatem & usum dirigunt.* Qvæ, amabo te, atqve qvalis ista exculpatio est? Nam aut hoc dicturus est Vavassor: istos novos atqve recentes è Scholâ Theologos, qvod primum adfirmarunt, in fine inficiari, id est, ex ore uno frigidum exhalare atqve calidum, & ut clarius dicam, sibi contradicere, seseqvemetipsos tanqvam pœnitentia ductos destruere; qvod qvo animo isti laturi sint, neminem fugere potest: aut certè istud vult; ideò discertè eos pulchritudinem Christi non asserere, qvia non tam pro venustate ejus pugnent, qvam pro usu inde capiendo. Qvod autem istud est cadaverosæ consequentiæ monstrum? Hic Theologus æternæ vitæ delitias aut novi mundi gloriam propugnat, non tam, ut statum istum adstruat, aut in ejus contemplatione acqviescat, qvam ut ad usum traducat,

ducat, id est, connitatur, ut ad illam tantam felicitatem omnes adspirent: ergo non demolitur, qvidem venustissimum futuræ vitæ ædificium, sed modum tamen imponit fastigio, hoc est, ideò tantum æternæ vitæ gaudia proponit, ut alios per hoc meliores reddat, non ut adseveranter & citra oppositi formidinem credat. Orco certè digna ex qvo prodiit, hypothesis est cujusdam *Anonymi, in Tract. Theolog. Politic.* de Libertate Philosophandi, Prophetas, Apostolos, atqve adeò Christum ipsum, cum qvid asseruerunt, captui se auditorum accommodasse, neqve existimandum esse, id ipsos unqvam credidisse, aut ut crederent alii, voluisse, sed qvemlibet hypotheses qvaslibet, veræ an falsæ fuerint, nihil interfuisse, dummodo de iisdem is, qvi ad bonos mores traducendus fuerat, persuasus fuisset, ad necesitatem usumqve suum direxisse. *Concludimus*, inqvit, c. II. p. 28. *nos prophetis nihil aliud teneri credere, præter id, qvod finis & substantia est revelationis, in reliqvis, prout unicuiqve libet, liberum est credere. Exempli gratia, revelatio Caini*, [Caino à DEO facta] *nos tantum docet, Deum Kainum monuisse ad veram vitam; id enim tantum intentum & substantia revelationis est; non verò libertatem voluntatis*, [qvam nempe ex illis verbis: *erit sub te appetitus peccati & tu dominaberis ei*, Gen. IV, 7. eliciunt Theologi] *aut res philosophicas docere. Qvare tametsi in verbis illius monitionis & rationibus libertas voluntatis clarissimè continetur, nobis tamen*

lici-

licitum est, contrarium sentire, quandoquidem verba illa & rationes ad captum tantum Caini accommodatæ sunt. Quæ cum & aliis exemplis ostendisset, subjicit: *Nec aliter de Christi rationibus, quibus Pharisæos concumaciæ & ignorantiæ convincit, discipulosq; ad veram vitam hortatur, statuendum, quod nempe suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusq; accommodavit: Ex. gr. cum Pharisæis dixit; Luc. XI, 26. Si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum divisus est, quomodo igitur staret regnum ejus? nihil nisi Pharisæos ex suis principiis convincere voluit, non autem docere, dari dæmones, aut aliquod dæmonum regnum. Idem denique de rationibus & signis Apostolorum absolutè dicendum.* Quid enim illibatum, quid illæsum amplius in universo sacrarum literarum codice, isthæc si licentia regnum occupet, manebit? Aut quibus mendaciis falsisq; Ecclesiarum præconibus, ut honestatem auditoribus & proximi charitatem, quâ tenebrioni isti universa Theologia absolvitur, imprimant, non licebit uti? Quasi verò mala sint facienda & errores propagandi, ut veniat bonum & morum obtineatur probitas! Quid de his præposteris seculi correctoribus Apostolus? Rom. III, 8. *Horum*, inquit, *damnatio justa est.* Neque verò efficacius excusant, quæ apud Vavassorem sequuntur: *ea lege quosdam recentiores Theologos & conditione totam stare velle formosi corporis structuram & fabricam suam, dum forma virilis, dum fortis, dum strenua & gravior & angustior quodammodo, quam latior & flori-*

floridior fit. Ut eos discrepantes verbis, re congruentes habeamus, ut amurq; potius suffragatoribus opinionis nostræ, quam adversariis. Qvis enim vel muliebri vel delicata forma Christum potius qvam gravi & virili induit, ut molles delicatosqve Theolos, ipse scilicet, arduus & qvasi ferreus, atq; hoc ipso cæteris vel major vel eruditior, non tam solidis & firmis, qvam suavibus & splendidis opinionibus adhæresce re, facetâ urbanitate cavilletur? Forma venusta gravitatem aut lætitiam neqve respuit, neqve reqvirit, nisi prout in hominem inciderit, qvi simul vel ad gravitatem compositus esse debet, vel ad lætitiam. Qvæ eqvidem nos ad sententiam nostram contra ejusmodi cavillationem, si qvis illam impetierit, tutandam solummodo adjecimus: suo interim loco relinqventes, qvo jure, qvâve injuriâ suis Vavassor adversariis isthæc objectet.

CLVI. Defuncti poteramus videri sententiæ nostræ, qvam hactenus instituimus, defensione, nisi Vavassor in memoriam nobis ingereret, qvodpiam, qvo nonnullos uti ait, argumentum, ex apparationibus, qvibus se aliqvando stitit, formamqve suam præbuit oculis usurpandam, Christus, deducto. De qvo hoc est Vavassoris judicium: cap. IV. §. ult. *non prætermittam ne id qvidem, vires habere nullas, quod à nonnullis objicitur & in quo aliquid opis ac præsidii constituitur, quoties Christus videndum se præbuerit; præbuit autem quondam, hodieque præbet inter-*

interdum; toties pulcherrima visum specie fuisse. Nam vel suum revera corpus in conspectum dedit mortalibus; & plurimum de gloria ac splendore, quam possidet beatus & immortalis, remiserit oportet, quo fieret spectabilis, seseque ad nostram intuentium imbecillitatem, obtusioresque sensus accommodaret; vel alienam & externam speciem suis objecit oculis; nec mirum, si vestigium quoddam partim illius assumit, quo in terris fuit, ut, qui sit, quis fuerit, idem esse, non fallacibus neque obscuris notis agnoscatur. Nos quamquam nullam aliam, quam quæ Saulo facta est, post Christi ascensionem ejusdem apparitionem agnoscamus, quippe quam nec ullibi promisit, nec præstitisse sine deceptionis periculo credi potest; si tamen à quoquam hodie conspiceretur, nullum inde pro forma Christi, qualis ei, in his terris cum degeret, fuit, indicium capi posse, ratio à Vavassore adducta haud obscurè redarguit. Quamobrem huic capiti nunc imponimus finem.

CAPUT III.

Vavassoris sententiam de Forma CHRISTI expendens.

I. CUm, quâ occasione in præsentis materiæ considerationem inciderit, cum locum nempe illum Apostoli: *fratribus suis per omnia similis factus est*; interpretaretur auditoribus, dissereretque, quam similitudinem nobiscum Jesus Christus, Deus & Homo, habere volue-

voluerit, ecqvidnam formæ corpore ac vultu in se receperit? recenfuiſſet Vavaſſor, eâ præfatione lectoris ſibi animum præparat, conciliatqve, ut deviantes qvaſi in duo extrema ſententias graviſſimis verborum lenociniis depingat, cogatqve vi qvapiam & reluctantem, ſuæ, id eſt, mediæ ſententiæ adſtipulari. *Atqve hic*, inqvit, *potiſſimum valet, qvod paſſim reprehenditur à ſapientibus, jamq; in communem loqvendi conſuetudinem venit, qvemq; ſibi fingere arbitratu ſuo ex moribus & ſtudiis ſuis Deum. Cum enim adduci mulieres non poſſunt, hominem ut credant, qvi idem Deus eſſet, non pulcherrimum fuiſſe, tum graves qvidam atqve auſteri vel natura vel inſtitutione ac diſciplina vel ætate viri, qvos ipſa mœſtitia delectat, ſubtriſte aliqvid & obſcurius ac parum amœnum de eo cogitant & ſuſpicantur, perſuaſiſſimumqve habent, Deum ſibi potius tetram & horrentem & adſpectu injucundam ſpeciem ac figuram induiſſe, qvam fragilem & caducam eorporis pulchritudinem & plerumqve virtuti inimicam, eſſe voluiſſe facto ſuo delectuqve commendatam. Qvi ſi utriqve minus, aut hi opinionibus ſuis inuſitatis & à communi ſenſu remotis, aut illæ oculis & colori tribuerent, non jam ex eo, quod melius & æqvius eſſe falsò præjudicant Chriſtum feciſſe, temere exiſtimarent, ſed ex eo, qvod Chriſtus fecit, qvid ſit habendum potius atqve antiqvius, jure ſtatuerent. Nos itaqve nihil neqve ſenſibus indulgentes, neqve abnormibus ullis addicti aut mancipati ſententiis, qværamus ſanè, qvid ſapientiſſimus æſtimator rerum, Deus, mæluerit, optaritqve ſibi, & auctoritatibus,*

con-

conjecturis atq; aliis signis ac vestigiis, qvibus veritas indagari solet, qvando nostram scientiam evidentes ac perspicuæ notæ fugiunt, primò de deformitate, si qva ejus erat, deinde de formæ pulchritudine, qvæcunqve erat, eodem approbante Deo & juvante disputemus.

II. Sed nec omnium opinionum veritas, qvod materiæ argumentiqve qvalitatem concernit, inter duo extrema versatur, cum alias nec pulcherrimum nec justissimum nec moderatissimum nec doctisimum qvemqvam vel esse vel fuisse, omnibus scilicet intra horum donorum mediocritatem necessariò consistentibus, demonstrari posset „ & Deus tandem ipse in qvendam ordinem, qvi nec impotens sit nec omnia tamen valeat, redigeretur; nec cum qvis validis firmisqve rationibus pulchrum animo suo proponit Christum, ex muliebri imbecillitate talem sibi fingere dici potest debetqve. Nisi & non ideò omnipotens sit Deus, qvia talem sibi, qvi robustis membrorum viribus gaudet, aut omniscius, qvia hunc, qvi variam sibi & qvasi universalem rerum omnium scientiam comparavit, aut omnisapiens, qvia talem sibi, qvi prudentiæ præditus est habitu, format. Non eqvidem, qvalem sibi qvisq; Christum fingit, talis illicò erit; non tamen negari interea debet, talem utiqve fuisse, qvalem haud infirma, neq; pauca argumenta nobis fuisse prorsus persuadent.

III. Qvæ in primo capite disputat Vavas-

sor, faciunt ad amovendam à Christo deformitatem; qvæ adeò adversa nobis non sunt, ut in præcedentibus iisdem freqventer tanqvam nostris usi fuerimus & uti jure potuerimus: Nam, qvod in summâ sub finem concludit: *nihil in Jesu Christo Deo & homine, mancum, nihil redundans, nihil distortum, nihil insuave in vultu, nihil in reliqvo corpore insolens ac odiosum fuisse*; qvid aliud, qvam Christum innuit formosissimum fuisse? Cum, si qvidqvam summo pulchritudinis gradui deesset, id ex aliqvo sive defectu sive redundantiâ oriri deberet, ut ex se patet: ubi autem nihil deest, nihil redundat, ibi medium, id est, summum esse necesse est.

IV. Qvamqvam in speciali argumentorum examine, neqve pauca, neqve exigui momenti sint, qvæ desiderari possunt. Qvorum ut strictim mentionem injiciamus, primum, qvod ex silentio Apostolorum, primorumqve Ecclesiæ Doctorum promit, serio certè adversario nunqvam satisfacit. Nam qvi vitam & mores & gesta Christi memoriæ prodiderunt, ii neqve singula persecuti sunt, cum infinitorum librorum materies remanserit, neqve nisi ea, qvæ ad scopum ipsorum, qvi erat informatio de persona atqve officio Christi, qvâ illa ad salutem nobis adipiscendam necessaria est, proximius faciebant, primo qvasi studio descripserunt; nam qvæ in cæteris secundâ veluti qvadam & superficiariâ operâ, attigerunt,

runt, in iis memorandis tanta libertate usos esse deprehendimus, ut sæpe, cur hæc scripserint, idoneæ nobis rationes non suppetant, nec, qvod alia omiserint. Tu animo tuo fiste, integrum vitæ ejus à nativitate ad annum usqve ætatis trigesimum, qvo juxta communiorem opinionem officii sui munia obire cœpit, curriculum, de qvo, exceptis perpaucis, qvæ anno duodecimo contigerunt, aut nihil aut parum ab Evangelistis narratum extat, illudqve his Vavassoris verbis, cap. I. § 2. adapta: *fuerit Christus insignis ad deformitatem & siluerit de eo Matthæus, qvi qvod erat hominis, præcipuè scripturâ persecutus est & comprehendit? præterierit Marcus, qvem, licet omnium brevissimum, non pauca solum collegisse recensendo ac supplevisse constat? neglexerit Lucas, qvi initio statim operis præter alios qvamplurimos, idem opus conatos conscribere, scientiam ac diligentiam profitetur suam? Oblitus sit Johannes, cujus fidei multa ac diversa, nec tantum ad Christi Divinitatem pertinentia, qvæ illos fugerant superiores, debentur?* Nam cum nihil eorum scripserint, qvæ tanto temporis intervallo à Christo gesta sunt, neqve etiam personæ ipsius conditionem, statum, qvalitates, communia, singularia, propria, maxima, minima, narraverint, ut cunqve ea, qvæ sunt hominis, persecuti fuerint, utcunqve alter alterum supplerit, utcunqve diligentiam & scientiam summam adhibuerint, utcunqve alter alteri multa adjecerit; qvomodo sequetur, aut de defor-

mitate ejus, si qva fuisset, scripsisse, aut scribere certè debuisse? Qvicqvid eos, ut de hac scriberent, movit, coegitqve, id & ut de plurimis aliis scriberent, aut non scriberent, obligare debuit. Qvicqvid illi de Christo retulerunt, qvibus patuerit subinde fortunæ telis, qvâ miseriâ fuerit perfunctus, qvo ex malo humano laboraverit, ut vexatus siti, ut inedia pressus, ut de via fessus somnum ceperit, ut profuderit lachrimas, ut sudore manaverit, id paucos extremæ vitæ annos non egreditur. Nihil illo, sive ineunte vita, sive media, sive extrema fieri potuisse egentius ac spoliatius, nihil ab omni non modo jucunditate, voluptatis, verum etiam malorum solatio desertius, passim commemoratur, at qvid in media ætate sive egerit sive passus fuerit, si ad actionum qvarumlibet speciem, qvæ certè non potuit non memorabilis esse, progrediamur, mutæ linguæ, muta scripta. Qvi itaqve inde vel pro fœditate vultus Christi, vel pro elegantia, vel deniqve pro eo, qvod communem ordinem secutus nihil habuerit forma singulare, ullum poterit venditari argumentum? Ab autoritate negata in rebus facti, ut loqvuntur, non duci firma argumenta, vel hinc patesceret, nisi Theologorum qvasi proverbio tereretur?

V. Sed, ais, non ex eo solo omne à Christi corpore vitium depellit Vavassor, qvod ei sacri historici nullum tribuerunt; sed qvod, si vitio

vitio isto aliqvo laboravit, mentionem facere debuerint, facturi fuerint, obliviſci nullo pacto potuerint, *Qvare*, inqvit, *qvi iſtius modi argumentum, qvod ex negantibus conficitur, vel eludunt, ut tenue, vel, ut nullum, repudiant ex toto, neq; videntur ſatis, qvibus ea vis argumenti conditionibus adſtringatur, animadvertere, neq; qvid ſuſcipiant impoſterum, aut qvomodo ſeſe induant, videre; cum qvidem, cur quæpiam ſat levia credamus, ut in vita nunqvam Chriſtum riſiſſe, ut in multis magisq; criminibus, quæ ſunt ei ab impuris accuſatoribus illata, flagitii, nullius aut intemperantiæ inſimulatum fuiſſe, nihil firmius afferre poſſimus, quam qvod, certum ſcire qui potuerunt & tradere, ſi vera eſſent, poſteris debuerunt, tranſierint ſilentio tamen, verbumq; nullum fecerint.*

VI. Rogo itaqve te, qvæ cauſa eſt, cur deformitatis hujus mentionem facere debuerunt, cur facturi fuerunt, cur obliviſci non potuerunt? Velim enim audire rationem, qvæ compellat Hiſtoriographos ſacros mentionem facere deformitatis & tamen non ſimul convincat, aliorum plurimorum, qvæ vel egit, vel in corpore paſſus eſt, haud debuiſſe obliviſci? Nunqvam riſiſſe Chriſtum, [nam flagitiorum compluriorum & intemperantiæ inſimulatum fuiſſe, diſertè recenſent, Matth. XI. 19. Luc. VII. 34.] ex Apoſtolorum ſilentio nonniſi probabiliter colligitur. Si qvis id præfractè aſſeruerit, ex hiſtoria certè ſacra irrefragabili argumento non poteſt refelli. Qvamobrem ratio adferenda eſt, qvæ Hiſtori-

corum silentium in re una & loqvi & narrare & clamare faciat, in altera vero pisce magis mutum efficiat, ut nec indicium aut nutum rei ullius, nedum argumentum, præstet?

VII. Qvæ enim à Vavassore rationes producuntur, eæ qvarumlibet aliarum rerum mentionem efflagitant, si aliqvid utiqve reqvirunt. Ad mores, inqvit, nostros fugiendos atqve instituendos valere potuit & forsan ad augendam beneficii erga nos sui magnitudinem pertinuit & qvalecunqve fuit, si suscepit, certè nostra causa & caritate qvadam hominum & amore suscepit. At qvid Christi, qvalecunqve id tandem & qvantulumcunqve sit, fuit, qvod vel moribus nostris emendandis vel prædicandæ benefactorum suorum amplitudini non profuerit, qvod nostri causa, amore atqve caritate nostra non susceperit? Et tamen qvantum eorum est, qvæ facit, qvæ passus est, qvod nescimus? *Erat*, regerit, *ea res scilicet aut tam parva, ut negligi debuerit*, [qvid verò in Christo parvum est, ut negligi debeat, cum omnia sint Divina, hoc est, maxima & infinita? *aut tam parum nota, ut non in oculos incurrerit*, qvid verò unqvam, eorum etiam, qvæ nunqvam literis mandata sunt, in tenebris fecit? Joh. III, 21. XIIX, 20.] *aut tam brevis, ut non ad totum vitæ tempus duraverit; præsertim, cum non, ut factum aliqvod unum vel dictum, cujus esset facilis jactura, elaberetur aut excideret, sed hæreret fixa in corpore & habitus certi atq; manentis instar*

ob-

obtineret? [At nec ipsa Christi figura externa, qvaliscunqve illa fuerit, nec valetudo, nec cæteræ corporis qvalitates ambulatoriæ, sed fixæ fuerunt, instar permanentis alicujus habitus, de qvibus tamen nihil referunt sacri Scriptores] *Aut igitur reddenda ratio est, qvamobrem Scriptores, cum reliqva incommoda & injurias recensuerint, eas, qvibus & ab ortu ac natalibus oportunus Christus fuit & deinde obnoxius esse voluit, hoc unum velut ex compacto cuncti tacuerunt; aut cum reddi ratio nulla speciosa & probabilis, nedum justa, possit, fatendum est, idita non esse, qvod tacuerunt.* Nempe de infinitis rebus tacuerunt, de qvibus rationem nos reddere neqve possumus neqve tenemur. Cum enim is Spiritus, qvi Evangelistarum calamum direxit, qvi qvæ scribere, qvæ omittere deberent, impresit, liberrimus sit Spiritus, qvi, *ubi vult, spirat*. Joh. III, 8. Qvis audebit rationem ab eo reqvirere, cur ista recensuerit, cur illa tacuerit? Multarum nos rerum causas nescire voluit optimus sapientissimusqve in cœlis magister.

IIX. Non diffitemur tamen, magnam accrescere huic argumento verisimilitudinem, si intra cæteras, qvibus illud Vavassor §. 3. p. 23. coarctat, circumstantias intueamur. Qvi enim fieri potuit, ut isthæc, si qvæ fuisset, deformitas, non tantum ab Evangelistis, sed à cæteris etiam, qvi sive Evangelii de Christo veritatem postea scriptis confirmarunt, sive infestis armis adversus eandem insurrexe-

runt, prorsus fileretur? Disfimularint utiqve liberi parentis, discipuli doctoris, familiares amici dehonestamentum corporis, qvaqve fieri potuit, compressum tenuerint, ut compescere digito labellum intempestivi Christi obtrectatores, inqve contumelias qvasvis abjectissimè proclives, inprimis post mortem ejus, potuerunt? Audi hic Vavassoris sermonem, diffusum qvidem, sed jucundissima eloqventia decurrentem? *Cum falsa sæpe commenti sint, qvæ in maledicti & contumeliæ loco objicerent, vera non objecerunt in os præsenti? Non disseminarunt in gentium & nationum memoriam sempiternam? Est profecto, si qvidquam aliud, parata materies ad cavillandum & exprobrandum deformitas ac vitium corporis, unde homines natura maledici convitiorum promunt omne genus; sive qvod ea magis sint in promptu, seseq; prima offerant intuentibus, sive qvod ridiculi sedes ac regio in turpitudine qvadam posita sit, turpitudo autem vel maximè ore ac vultu & humanis corporibus cernatur: sive qvod majorem offensionem habeant, qvæ propiora cuiqve & conjunctiora; seu denique, qvod imperitissimus qvisqve horum optimus esse judex possit. Qvo fit, ut si quis isto in genere convitiatorum voces ac petulantiam effugerit, intactusqve à dictis ad reliqvot annos pervenerit, non quærendum amplius videatur, nihil ut in eo deforme aut perversum fuisse appareat. Jam cum ex Judæis Levitæ, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, majores natu de populo minima Christi dicta, non modo facta, vellicandi & carpendi studio exciperent, cumqve eum*

à ca-

à capite ad calcem, ut dicitur, otiosè contemplarentur & observarent, statum, incessum, accubationem in epulis, nutus oculorum, si quid forte vituperare possent: quotusquisque horum satis bellam nactus occasionem maledicendi, hanc indecoræ & inconcinnæ humanæ figuræ totius labem & notam, eò se in illum diacciorem præbuit, aut ex pravitate formæ quidquam duxit, quod probro verteret, aculeisque verborum configeret, aut omninò deteriorem in partem acciperet? Quod Herodes inde dictum ad Christum irridendum petivit, cum illum à se cum omni contumelia dimisit? Quod comitatus totus? Quæ vox ejusmodi audita militum, totam noctem captoque vinctoque illudentium, plebis asperè & ferociter & liberè insultantis? Inter exteras verò gentes, quando Porphyrius, quando Julianus, Christiani nominis duo capitalissimi hostes, à quibus collecta scimus omnia, quæ Christum in contemptum adducerent, ignobilitatem ei formæ, ullumve corporis vitium objecerunt? Quid reliqui cessarunt omnes in omni memoria adversarii, excepto uno, de quo postea, sic perstringere & insectari merentem? Cur abstinuerunt tam paratis & proclivibus maledictis? Quomodo non millies commonstrarunt digito, nec designarunt ad ludibrium os inhonestum, neque solum Deo, sed ne homine quidem ingenuo dignum, quo risum & jocum spectatoribus deberet? Utrum exiguum & frivolum & inane hoc totum, quod est corporis, esse putaverunt, qui vitio & culpæ sexcenta leviora dederint? An moderatione quapiam pepercerunt, qui innumerabilia, eaque atrocissima, per iram, per contemptum, per ludum effundere non dubitarint? Quibus

illum contumeliis verborum, probrosisque appellationibus non incesto ore lacerarunt, aut quid evomi solet à maledicentissimis, vel ex odio inveterato, vel insubito & gravi jurgio, quod non aliquando audiit ab adversariis, partim sua sponte, partim à Spiritu nequam atque improbo & omnis protervitatis inventore atq; architecto incitatis? Procreatus ex adulterio, fabri & quæstuariæ filius, ignarus literarum, vino & gulæ deditus, publicanorum & maleficiorum sceleratorumq; amicus, planus, concitator multitudinis, furiosus, arreptitius, magus, denique quid non? Extra hoc unum à corpore petitum probrum, quod si falsò dixissent, oculis ipsi suis facilè redarguerentur & manifestò deprehensum appareret mendacium, singulari impudentia conjunctum? Ut credibile sit, ne ista quidem postea de deformitate ab adversariis Christi lecta unquam esse in libris auctorum Christianorum audita, quæ eò quoque avidius arripuissent ad maledicendum, si nostrorum hominum confessione tenerentur, & ipsâ non dico veritate, sed veri aliquâ similitudine niterentur. Quid ergò, ut hanc rationem concludam, possumus aliud, aut debemus hic, nisi tam altum silentium, tam universum, tam diuturnum, negationem, inficiationemq; deformitatis interpretari? Quemadmodum enim, si quis in morbos Christum incidisse more nostro, atq; aliquandiu ægrotasse contendat, temeritate non vacet, propterea quod ea de re literæ in sacris libris nulla inveniretur: ita qui deformem illum esse natum defenderit, cum nullum ibidem vestigium deformitatis appareat, justâ reprehensione non carebit.

IX. Secundum Vavassoris argumentum partim

partim ex unione naturæ in Christo humanæ cum Divina, partim ab interna ejus constitutione deductum, non tantum deformitatem à Christo omnem removere, sed pulchritudinem qvoqve eidem asserere, suo loco, nisi fallor, solidè ostensum est, ut non opus sit hic amplius occupari.

X. Argumentum verò tertium, ab inutili deductum, qvod, si maximè deformis esse voluisset Christus, nihil tamen qvæstus & lucri ista sua deformitate aut feciisset ipse, aut in nos derivasset, nihil aliud concludit, qvam non necessariò deformem esse debuisse Christum, non item, non fuisse deformem. Qvemadmodum nec qvartum, ab inhonesto procedens, ideò firmiter concludit, qvia non negat Vavassor, potuisse Deo placere, ut deformi vultu, inter mortales Filius ejus compareret. Neqve aliunde nisi ex sapientissimo Dei arbitrio, qva forma esset Christus, æstimari oportere. Et qvis sepositis cæteris, qvæ nos suo loco produximus, argumentis, negaverit, potuisse salva honestate, ut statum infra cæterorum hominum conditionem abjectum & servilem, ita formam qvoqve turpiorem à Christo assumi? Qvintum deniqve atqve ultimum argumentum, à typis petitum, qva ratione non tantum pro Vavassore, sed contra eundem etiam militet, superiori à nobis capite fuit demonstratum.

XI. Jam in secundo capite, in qvo primum

mum vindicat, pleraqve ea argumenta qvæ objici sententiæ nostræ possunt, refellit, qvorum ideo nos hic strictim duntaxat mentionem injiciemus. Nam qvod obvertitur ab Esaia Propheta c. LIII, 3. & 4. ubi textus habet: *Non est species ei neqve decor, vidimus eum & non erat adspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum hominum, virum dolorum & expertum infirmitatem, & qvasi absconditus vultus ab eo, despectus, nec reputavimus eum;* qvæ in originali lingua longè ἐμφατικοτέρως sonant; Christum deformi prorsus specie describi, ad id varie responderi potest. Nam ut I. concedamus, qvod Vavassor disputat, tribuere hoc prædicatum Christo non pertinaces cœcosqve Judæos, sed Christianos, eosqve fideles, qvi in cruentato tot passionibus corpore ἐσκανδαλίσθησαν, nec præ sanguinis sputiqve multitudine divinitatem intus latentem pervidere poterant, Matth. XXVI, 31. Universus hic locus II. non de nativâ, sed adventitiâ formâ adeò apertè agit, ut veteres recentioresqve in hoc omnes consentiant. Jam verò pulchritudinem hic Christi, non qva ab hostibus externis injuriis, alapis, vulneribus, flagellis fœdati, sed qva in suamet natura, præcisis adventitiis, constituti defendimus. Et hoc ipso hostium in Christum furor intolerabilior redditur, qvod venustissimum caput spineâ coronâ, & pulcherrimam faciem detestabili sputo fœdabat. III. Qvanqvam moralis qvædam deformitas

inju-

injuriarum passionumqve, qvibus deturpatus coloratusqve fuit Christus, intelligatur, nolim tamen cum Vavassore credere, eandem vel solam vel præcipuè hic innui. Diversa enim in textu occurrentia vocabula, diversas qvoqve Christi formas speciesqve referunt. Qvippe תואר *formam* corporis externam denotat qvæ temeraria hostium petulantia corruptissima effecta est: כי השד משחור היסורין תארו וחשנר בפניו *oscurata est ex nigredine afflictionum forma ejus, & emaciata est facies illius.* Ita rectè R. Mose Alschech: הדר verò *decorem* & majestatem divinam, Filio Dei dignam, qvam cum abjectissima servi conditione permutavit, δόξαν reddunt LXX. deniqve מראה *faciem*, ut ita loqvar, politicam, id est, statum ac splendorem regium notat, qvo se ita abdicavit, ut infimam hominum sortem subiret. His enim significationibus in Sacris vel maximè nobilitata leguntur hæc vocabula. *Fuerit Christus*, ita Vavassor c. II. §. 5. *decoloratus vultu, toto corpore deformatus, tumore & livore præditus, vix ullis lineamentis à suis agnoscendus; sed ita, dum verberibus cæderetur, tum tunderetur colaphis, dum conspurcaretur sputis, dum capitis ê vulneribus manans ora & sinum oppleret cruor: Tum, inqvam, tum aspectum deformem habuerit atq; turpem, tamq; sui dissimilem, cum mortuus sic est. Quæ fœditas major fingipotest & Esaiæ verbis ac sententiæ convenientior?*

XII. Non desunt eqvidem inter S. Literarum interpretes, qvi verba: *non erat formæ ei, neq;*

neq; decor; de formâ seu statu potius Divino, in qvantum illa humanitati Christi, tanqvam creaturæ, qvæ cum Deo in comparationem venire non possit, opponitur, isthunc in modum interpretantur: nulla forma, nulla species, qvæ summo omnium Numine, qvod rei nulli ob invisibilitatem & eminentiam assimilari potest, digna sit, est, esse factum hominem, induisse animam & corpus, in numero mortalium inveniri, oculis cerni, manibus palpari, ferendi patiendiqve necessitatem subire, ut summatim dicam, creaturis annumerari. *Parumne illud est*, ait in hunc sensum Vavassor, c. III. §. 2. *aut Esajæ ad adminationem, aut Judæis ad offensionem, aut alienigenis ad ludibrium & irrisionem, qvod nostra Divino Numini conditio nascendi, vivendi, moriendi non displicuerit, ad ultimum omnium ratione & intelligentiâ præditarum se naturam sponte abjecerit, tantum nomen, tantum splendorem, tantam majestatem minuerit, obscurarit, & si fas est dictu, dedecorarit?* Sed si ex intentione vaticinantis dijudicanda est res, nemo poterit diffiteri, de formâ humanæ in Christo naturæ, qvalis in vitâ ipsius fuerat, cum specie aliorum hominum collata, Prophetæ sermonem esse, ut non tantum dicere velit, Deum qvondam futurum esse hominem, sed multò, qvam homines, inferiorem. Ut adeò non cum Divinitate humanitas, qvæ præ illa non deformis tantum, sed nihil est, sed communis humanitatis ratio cum abjectissima infimaqve

huma-

humaniratis sorte, ad qvam se detrudi passus est Deus, committatur. Qvare, qvoties istud Esajæ de Christo vaticinium in Novi Testamenti historia allegatur, ad designandas extremas ejus passiones adducitur; utpote versiculus primus, Joh. XII. 38. Rom. X. 16. Qvintus, Matth. IIX. 17. Sextus, 1 Petr. II. 24. Septimus, 2 Cor. V. 21. Octavus, Act. IIX. 32. Decimus, 1. Petr. II. 22. Decimus tertius, Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37.

XIII. Qvæ ipsa qvoqve loca haud obscurè innuunt, de universis Christi passionibus sermonem qvidem Prophetæ esse, sed tamen præcipuè de iis, qeibus eundem extrema vitæ ipsius tempora implicarunt. Qvæ enim & qvalis forma Christo fuerat in totius vitæ decursu? Cui nihil, ut loqvitur Noster, in instrumento lautum, nihil in comitatu nobile, nihil in vestibus elegans, nihil in victu exqvisitum, sed ne magnopere qvidem qvicqvam servo frugi ac mancipio non indiligenti fuerat dignum? Qvicqvam deformius, qvam stabulum, præsepe, fuga in longinqvas regiones, patris officina, matris egestas, triginta annorum latebræ, trium concursatio? Vos, Judæi, appello, nunqvid aliud cives commovit vestros & ab exspectatissimo Mesia venerando, uti par erat, colendoqve deterruit, nisi qvod, qvem divitem, qvem sumptuosum, qvem florentem omnibus copiis & imprimis beatum, qvem regem cum purpura & sceptro & illis

insi-

insignibus regiis incessurum non sperarent solum, sed confiderent, is derepente extitit & qvasi unus aliqvis privatus & plebejus visus est inter vos & procesfit in medium, vel nullo apparatu ornatuqve visendo, vel etiam ignobili ac despicato? Nam prodigium illud qvis non intelligit longè omnium post homines natos maximum, qvod Græcis, Italis, Barbaris, partim nullum, partim plures Deos colentibus, venerit in mentem suspicari & existimare aliqvid in eo immortale ac sempiternum, & verò confiteri atqve observare sic, tanqvam Divinum, cujus infra humanam sortem depressa pleraqve & vulgaris etiam & qvotidiani moris expertia agnoscerent? Hactenus ille.

XIV. Hunc, ut ita loqvamur, sensuum confluxum amplexi qvoqve fuere Ecclesiæ Patres, è qvibus Chrysostomus, Hom. XXIIX. in Matth. *Qvod autem Esaias ait: non habebat speciem, neq; decorem, aut ita loqvitur, ut qvi occultam Divinitatis inexplicabilemq; gloriam spectet, aut ut qui ea, qvæ perpessus est Deus aliqvando, exponat, tum ignominiam, qvam subiit, dum ageretur in crucem, tum parsimoniam & tenuitatem, qvam tota vita in omnibus adhibuit.* Qvi tamen disertis verbis negat, formæ corporis vitium illo Esajæ loco Christo adscribi: *Qvomodo ergo alius propheta ait: vidimus ipsum, neqve habebat speciem neq; decorem, sed species ejus inhonorata & deficiens præ filiis hominum. Non de deformitate loqvitur, non, ullo modo,*

modo, sed de vitæ statu despicabili. Qvomodo & Hieronymus: *Inglorius erit inter homines aspectus ejus, non qvo formæ significet fœditatem.* Nec à Christianis hic discedit recutitus licet R. Mos. Alschech, qvi versum Esajanum ita παραφράζει: *corruptus dicitur, ob castigationum, qvibus æstus Divinæ iræ in ĩnocentem desæviit, tum numerum, tum magnitudinem. Corruptior verò, qvam ut qvisqvam hominum illam, qvæ in vultu ejus renidet, radiatqve, Diviniſſimam imaginem conſpicece oculis poſſit; ut præter carnem cutemq; vix qvicqvam in corpore appareat, ut deniq; ad extremam miseriam nihil superſit.*

XV. Nec minus, qvæ ex primorum seculorum patribus pro deformitate Christi adducuntur, appositè atqve eruditè expendit Vavassor, qvorum nec verba, cum suomet labio loqvuntur, id continent, cui probando adferuntur, neqve naturalem, qvæ in ipso ortu corpori Christi inserebatur, sed qvæ extrinsecus accedebat, intuebantur deformitatem, neqve homiletico dicendi generi, ea, qvæ assertorio, vis ac ἀκρίβεια inest. Cum verò illi sententiæ nostræ longè hostilius adversentur, qvam Vavassoris, non dissimulandum erit, qvicqvid illi contra nos loqvuntur.

XVI. Tertullianum, Carthaginensis Ecclesiæ Presbyterum, tanti fecit Cyprianus, Episcopus & martyr, ut nullum diem absqve ejus lectione prætermitteret, suoqve notario freqventer de eo diceret: *da Magistrum*, ut libro de illustrib. Script, recenset Hieronymus. Is

initio catholicæ Ecclesiæ ingenti zelo studioqve adhæsit, sed postea cleri Romani invidia & contumeliis irritatus ad Montani dogma delapsus est, à nonnullis proinde Hæreticorum catalogo insertus, ab aliis qvalitercunqve excusatus, tanqvam certè in Patrum venerando contubernio auctoritatem non amplius obtinet, ac cæteri, qvos recipit Ecclesia; de qvo Vincentius Lerinens. c. XXIV. Common. *Tertullianus*, ait, *Catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parum tenax ac disertior multò qvam fidelior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, qvod de eo beatus confessor, Hilarius, qvodam loco scribit: seqventi, inqvit, errore detraxit scriptis probabilibus autoritatem.* Qvamqvam verò in catholicis etiam scriptis haud exiguos levesqve prodiderit errores, qvos & Gerhardus noster notavit, Patrolog. p. 116. seqq. cum tamen isthæc errandi facilitas ei cum aliis citra dubium orthodoxis & sanctissimis in veteri Ecclesiâ luminibus communis sit, non omninò declinare hujus viri auctoritatem, si maximè contra nos qvidpiam testetur, aut possumus, aut debemus. Igitur non inficiamur, nobis eundem omnibus viribus adversari. Libro de Idolol. *vultu*, ait, *& adspectu inglorius.* Libro adverss. Jud. *nec adspectu qvidem honestus.* Libro de carn. Chr. *adeò nec humanæ honestatis corpus fuit.* Sunt illi libri à catholico scripti, neqve tantum de passione Christi loqvuntur adducti loci, amplius qvid dicunt & Servatori non ser-

servilem tantum statum, sed formam etiam ac figuram corporis, qvamqvam nec necesse sit, omnem servum deformem esse nec exemplis formosissimorum servorum destituamur, adscribit.

XVII. Qvid ergo? Itane vicerint, qvi adversam nobis tuentur sententiam? Non eqvidem. Nam nec unius alteriusve Ecclesiæ Patris arbitrio articulorum fidei, nedum earum rerum, qvæ circa fidem versantur, veritas dijudicanda est, nec nos, qvod alibi probatum ivimus, à majorum graviorumqve Doctorum consensu nudi sumus, nec deniqve nobis solum Tertullianus, sed Vavassori, ejusqve factioni, æqvè repugnat. Id qvod non diffitetur Vavassor, qvi se negat commtitere velle, ut ad partes suas perducat invitum, & id, qvod nimium sæpe fit, qvæ locutus est, neqvaqam locutus esse videatur, sed hoc duntaxat admonet, qvemadmodum de sat multis Christianæ doctrinæ capitibus, in qvibus omnium benesentientium judicio erravit, ei rectè non creditur, ita minimè se cogi, ut hoc illi adsentiatur. Et qvid impedit, qvo minus, qvæ pro sese tutando adfert, cum nec inerudita sint, nec, ut legantur, indigna, & nostra hic pariter faciamus. cum nobis æqvè inserviant, & legentium hic oculis subjiciamus? *Hunc*, inqvit, *mera sæpenumero paradoxa inducentem & magnum qvendam ubiq; amplificatorem rerum nemo catholicus non debet agnoscere, prætereaq; cum oratione tum moribus*

plus æqvo durum & inclementem. Non longè abieris. Lib. II. de Cult. Fœm. pulchritudinem formæ dilaudat, ut felicitatem corporis, ut Divinæ plasticæ accessionem, ut animæ aliqvam vestem bonam. Qvid exaggeratius? Eandem mox vituperat, tanqvam ibi, ubi pudicitia est, supervacaneam, tanqvam propriè habentem pro usu & fructu luxuriam. Mitto, qvam verum: qvid extenuatius? Mirum autem, si Christo formam detrahat, qvam sic, etiam postqvam in cœlum sustulisset laudibus, infamavit, ut esse hanc frustra in regno ac ditione pudicitiæ diceret, nullum ei finem, nisi luxuriam constitueret, non aliam messem decori corporis, qvam luxuriam arbitraretur. Vidit scilicet, qvid sibi consentaneum esset dicere; neg; in eo jam error est, qvod esse Christum deformem velut consequens aliqvid concluserit, sed qvod tam malè de forma, deqve pudicitia existimavit. Qvid? qvod eandem formam non modo negat esse necessariam, ubi pudicitia dominatur ac viget, sed ne pudicitiam qvidem posse ullo pacto consistere contendit; nisi & in facie & in cultu & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur. Cui tandem se hoc universè probaturum tam insolens, tam præter experientiam dogma confidit? Cum neqve semper lætos & hilares maxime impudicos reperias, neqve tristes & tetricos omnium castissimos? Jam qvis non doleat, tantum virum, cum sæpe alias, tum hic maximè illudere ac vim facere certis qvibusdam & perspicuis sacrorum librorum locis, convertere in rem suam ingratiis pleraqve & ex qvibus vis propositis & antecedentibus qvidvis efficere conari? Qvæ cum uno alteroqve specimine pro-

probasset: *age*, inqvit, *qvemadmodum humanitati Christi imputati, qvod tormenta passus est, ita, qvod contumelias accepit, deformitati. Tacentibus, ait, apud nos qvoq; prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones qvidem humanam carnem, contumeliæ verò inhonestam. An ausus aliqvis esset ungve summo perstringere corpus novum? sputaminibus contaminare faciem nisi merentem? Qvæ demum tam longè petita, tam lubrica & præceps, ac tantum non impia divinatio: futurum fuisse, ut à sanctissimo Christi corpore Judæi injurias abstinerent, si modo deformis non extitisset, deformitate malum sibi accersivisse, ob deformitatem dignum, qvi vapularet, fuisse?* (ut deformitatis suæ se pœnas luere dicebat Philopœmenes, apud Plutarchum, cujus facti historiam retulimus supra c. I. §. XIII.] *Acta, credo, rea est Christi facies? accusatum corpus nomine deformitatis [condemnatum à Pilato? Christus seditioso omini & sicario posthabitus? inter facinorosissimos latrones sublatus in crucem? postremo morte luit non peccata nostra, sed deformitatem suam? Ingenuè qvidem fateor, sicut dignitate oris & præstantia se nonnullos ferunt ab immissis percussoribus vindicasse, qvibus arma etiam exciderent è manibus: sic fieri posse aliqvando, ut tetro ac lurido vultu aliqvis, qvem tanqvam ludibrium naturæ & mali ominis omnes detestentur, vulgi petulantis in se manus levibus de causis convertat, sed & hunc supra modum turpem fœdumqve esse oportet, ac monstri similiorem, qvam hominis, & ne tum qvidem mereri hoc ipso, qvod deformis sit, malè ut mulctetur, qvisqvam verè proprieqve*

affirmet. Qvorum cum prius de Christo neque Tertullianus, neque alius ullus dicat, quamobrem dixeris posterius, ipse viderit.

XVIII. Tertullianum è Latinis patribus excipit Augustinus, qvem supra diximus, neutrarum partium esse, id est, neqve Vavassoris neqve nostræ sententiæ accedere. Qvod cum illustri ex libris de Trinitate loco comprobaverimus, non existimo, cuiqvam dubium superesse posse. Neqve verò qvæ pro deformitate Christi ex eodem producuntur, vel titivilitio digna sunt. Qvis enim non videt, qvoties pulchrum prædicat Christum, toties in improprio significato, qvippe qvod eidem competere extra controversiam fuerat, cum de pulchritudine corporis prorsus ambiguus esset, vocem eundem accipere? Utpote cum in Psalm. XLII. scribit: *Nobis ergo jam credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, verbum apud Deum, pulcher in utero virginis, ubi non amisit Divinitatem, Pulcher in cœlo, pulcher in terrâ, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pucher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu.* Cum itaqve in Psalm. XLIII. *ut hominem non habuisse speciem, neqve decorem*, cum in Psalm. CXIIX. *non carne sed virtute formosum fuisse*, asserit, non negat, formosum corpore fuisse, sed formosum corpore illis in locis tradi; qvippe qvæ, ut ex

loco-

locorum circumstantiis patet, de Divinitatis pulchritudine, [qvamqvam, ut jam olim Hieronymo visum est, non sine errore] intellexit. Cum verò in Psalm. CXXVII. *fœdum* ait Servatorem *apparuisse inter manus persequentium*, qvi eidem nec insiliissent, nec flagellis cecidissent, nec sputis inhonestassent, nisi fœdum putassent; moralem, ut vocari fas est, fœditatem designat, variorum vitiorum & scelerum, qvibus cum eundem obnoxium esse persuasi fuissent, dignum, qvi variis contumeliis & tandem morte afficeretur, judicarunt. Unde inclamant: *reus est mortis.* Matth. XXVI. 66.

XIX. Clementem Alexandrinum, qvi aliqvoties deformem videretur introducere Christum, ex mente potius sua atqve scopo, qvem sibi præfixerat, qvam verbis judicandum esse, censet Vavassor, & præterea singula loca ita interpretatur, ut nihil ipsi videantur continere adversi. Qvamqvam verò conatus iste nos juvet potius qvam lædat, qvia tamen in veritate indaganda occupamur, cujus inqvirendæ studium nullibi illaudabile est, nihil obstabit, qvo minus & in hæc loca oculum penitius figamus, qvidqve ille dixerit, qvid censuerit, absqve ulla affectus cupiditate pronunciemus. Primus itaqve locus ex Libr. III. Pædag. c. I. cujus inscriptio est: περὶ τῦ καλλους τῦ ἀληθινῦ, *De verâ pulchritudine*, excerptus, ex versione Heinsianâ hic est: *Ipsum autem Dominum fuisse adspectu deformem, testatur*

Spiritus per Esaiam: & vidimus ipsum, & non habebat speciem nec pulchritudinem, sed species ejus vilis, deficiens præ hominibus. Qvis est autem Domino præstantior? Sed non carnis pulchritudinem, qvæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulchritudinem; animæ qvidem, beneficentiam, carnis verò immortalitatem. Existimat autem Vavassor, ut Clemens veram minimeqve fucatam pulchritudinem in corporis immortalitate ponit, negari non posse, qvin deformitas è contrario in morte consistat. Ex qvo consequens sit, non fuisse Christum modo deformem, qvi leto interiit, sed omnes ad unum deformes esse homines, qvorum nemo letum & hanc fati necessitatem effugit. Sed si qvidem ex oppositio judicanda sit intellecta à Clemente pulchritudo, non tam mors ejus nomine veniet, qvam mortalitas, id est, omnis ille hominis status, omnis ea conditio, qvæ mortalitatem vel constituit, vel comitatur, vel consequitur. Qvod ex antecedentibus clarissimè docetur, cum istam corporis deformitatem per servi formam, materialiter, ut loqvuntur Philosophi & formaliter intellectam, id est, humanitatem, infirmitatibus & defectibus humanis subjectam, exponit & ait: *Atq; cum caro qvidem serva sit, qvemadmodum testatur Paulus, qvomodo qvis jure ancillam lenonis instar exornaverit? Qvod enim id, qvod carneum est, sit servi forma, dicit de Domino Apostolus, eum seipsum exinaniviss, servi forma acceptâ,*

externum

externum hominem servum appellans, priusqvam serviisset & carnem suscepisset Dominus. Misericors autem Deus ipse carnem effecit liberam, cumqve ab interitu acerbaqve & letifera servitute liberasset, incorruptionem ei adjunxit, sanctum hoc & æternitatis monumentum carni, immortalitatem videlicet, apponens. Itaqve cum Esaias deformem pingit Christum, juxta Clementem servilem pingit, exinanitum, nullo ornatu gaudentem, servitute pressum, corruptibilem, nec, ut postea loqvitur, *qværentem, qvod alienum est, nimium ornatus studium* verbo, externum corporis decus, in pulchritudine qvoqve consistens; qvod nunqvam affectaverit Christus, contentus ornatu corporis interno, qvi incorruptibilitas est & immortalitas. Ex qvibus palam est, qvalemcunqve corporis deformitatem vel certè neglectum, his ipsis verbis Christo à Clemente adscriptum fuisse.

XX. Locus alter III. Libr. Strom. legitur prope finem, p. 343. *Qvomodo autem, qvæ est in Ecclesia apud nos œconomia, accepisset finem absqve corpore, cum etiam ipse, qvi est caput Ecclesiæ in carne qvidem informis & specie carens transiit, docens nos respicere ad id, qvod est Divinæ causæ informe & incorporeum.* Et deniqve tertius, lib. VI. Strom. p. 496. *Jam verò Dominus non frustra voluit uti vili & humili forma corporis, ne qvis speciem laudans & admirans pulchritudinem, abstrahatur ab iis, qvæ dicuntur, & attendens iis, qvæ relinqvuntur, abducatur ab*

iis, quæ percipit intelligentia. Utrumqve locum dum interpretatur Vavaſſor, utrumqve vehementius accuſat. *Satis*, inqvit, *oſtendit Clemens, nihil ſe admodum laborare, hoc ut nobis perſuadeat, cujus affert rationes tam dilutas acleves. Bene verò, quod ibidem eadem tertii libri pagina ac prope verſu appellatur ab eo ἡ γένεσις τῶν ἀγγέλων. Perinde ac ſi gignantur alii ab aliis & propagentur angeli. Ut manifeſtum mendum alterius errati, non ita evidentis ſuſpectum redderet.* Locus qvidem Clementis prior, qvomodocunqve in integro contextu legas ac relegas, tantæ ad intelligendum difficultatis eſt, ut temerarius videri poſſit, qvi certi qvidpiam de eo definiat. Nihil eqvidem de τῇ γενέσει τῶν ἀγγέλων, ſed iſthæc in antecedentibus lego; *Si natura primos noſtros parentes tanquam bruta deduxit ad filiorum procreationem, moti autem ſunt citius, quam oportuit, fraude inducti, cum adhuc eſſent juvenes, juſtum quidem eſt Dei judicium in eos, qui non expectarunt voluntatem, ſancta autem eſt generatio, per quam mundus conſtitit, per quam eſſentiæ, per quam naturæ, per quam angeli, per quam lex, per qvam Evangelium, per qvam Dei cognitio.* Nihil hic de angelorum generatione, ſed de generatione hominis, per qvam συνέστηκεν conſiſtit, ut mundus, ita angelus. Diſputat contra Marcionem & Valentinum, generationem in carne, tanqvam in ſe impuram, calumniantes. Ejus, ſi qvod in ſe eſſet vitium, redundaturum ait in Dei voluntatem & myſterium creationis, qvæ hominum corpora ita diſpoſuerit, ut generare & poſſent & deberent.

Qvod

Qvod si vel maximè primi homines in generandi modo peccaverint, citius nempe, qvam oporteret, congredientes, generationem, tamen ipsam, utpote ordinationem Divinam, sanctam inviolatamqve perseveraturam esse, qvippe ex qva insuper tanta bona dimanaverint, nempe firmatio mundi, angelorum, animarum, legis, Evangelli & Dei cognitionis. Qvæ singula è beneficio generationis Christi intelligit profluxisse, eo sensu, qvo omnia per Christum reconciliata DEO esse ait, Paulus, *sive in cœlo sive in terra.* Col. I. 20. Qvicqvid verò de hoc sit, non tamen, qvia ratio levis ac diluta à Clemente adducitur, ideò infirmius adhæret ei, cui ratio ista firmando adfertur. De utroqve etiam persuasissimus esse potuit Clemens, & qvod deformis corpore fuerit Christus, & qvod per id ad Divinitatis nos cognitionem deducere volverit. Qvam dilutæ sæpe à Patribus, qvæ tamen tum ipsis dilutæ haud videbantur, producuntur rationes, ad probandam vel Christi Divinitatem, vel dogmata fidei alia, qvibus adeo tenaciter crediderunt, ut diversum etiam à se sentientes hæreticorum infami associaverint gregi? De cætero loci istius prioris integrum illibatumqve sensum, cumqve antecedentibus nexum, eruant proferantqve alii, à qvibus ænigmata ista, qvibus verba sua involvit Clemens, felicius intelliguntur. Hoc ego duntaxat dico; formam, qvam vocat ἀνδῆ vel ut Sylburgius legit,

git, ἀειδῆ καὶ ἄμορφον, non necessariò de formâ corporis seu faciei, sed de statu ac conditione informi, contemptâ, servili, injucunda, ab externa pompa omni alienâ exaudiri; à qva jubeat nos adscendere ad cognitionem Divinitatis, formæ omnis & corporeæ molis expertis. At si ipsam corporis speciem intelligat, comparativam posse esse loqvendi rationem, qvæ dicat, injucundiorem, informioremqve ejus, qvam ab homine Deificato, ut veteres loqvebantur, expectare posses, speciem fuisse. Aut deniqve, si de formæ fœditate scribunt, nihil à se alienum proloqvi, nihil à superiori, ut vidimus, loco remotum.

XX. Alter verò locus faciliorem habet explanationem. In eo enim Clemens secundum morem veterum Doctorum, allegorias ubiqve sectantium, ideò Christum formæ elegantiam spreviſse ait, ne qvis admiratus externum faciei ornatum interiorum oblivisceretur; qvemadmodum si qvis Philosophorum Oratorumqve veterum scripta versans, verborum ornamenta & orationis illecebras, qvibus illa superbiunt, solummodo intueatur, nucleumqve, qvi sub illo cortice occultatur, contemnat. Philosophis itaqve & Rhetoribus Græcorum verba, id est, orationis lenocinia & ampullatam, ad qvam audientes obstupescant, eloqventiam relinqvendam esse docet, Christianis verò res ipsas & rerum veritates amplectendas. *Duæ sunt*, inqvit in verbis,

bis, locum nostrum antecedentibus, *ideæ seu species veritatis, nempe nomina & res; alii qvidem dicunt nomina, qvi in ornatu & elegantia versantur orationis, cujusmodi sunt apud Græcos Philosophi, res autem sunt apud nos barbaros.* Incondita tam itaqꝫ rudemqve orationis structuram humili viliqve faciei Christi formæ componit, res autem, verbis enunciatas, Divinitati, sub forma ista contempta latenti. Vox autem εὐτελὴς, qvamqvam deformitatem fœditatemqve non necessariò inferat, [Est enim εὐτελὲς id, qvod est simplex, vile, tenue, parcum, ut εὐτελὴς δίαιτα, *parcus atqve frugalis victus*, ubi nihil abundat, licet & nihil deficiat] sed ornatum duntaxat & elegantiam formæ Christi neget, qvo pacto magis nobis testimonio suo qvam Vavassori Clemens adversatur; qvid tamen opinionis Clemens favorit de forma Christi, aliunde notum est, ut qvid hic etiam voluerit, non possiteſſe obscurum.

XXII. Hæc cum subticeret qvidem, sed non ignoraret Vavassor, ultimò ad elevandam hujus Clementis auctoritatem transire coactus, qvi multa scripserit, qvæ in Theologorum subselliis ac cætibus non probentur, qvi asperiora illa sua dogmata à Pantæno, magistro, sanctissimo qvidem viro, sed alias Stoico, adeoqve exterioribus omnibus infenso, libaverit, qui sacris nostris profana & aliena qvæpiam ejusmodi confuderit, tandem modesta illa χρίσει non immerito concludit:

com-

compensem potius tot ejus doctè prudenterq; dicta, voluminibus tam longis, cum una alterave hallucinatione & virtutum magnitudine levia quædam vitia deprecer.

XXIII. Deniqve Origenes, qvi Celso objicienti, nihil neqve formæ neqve reliqvarum virtutum in Christo singulare fuisse, responderat, lib. VI. p. 721. *Quod Christi corpus visu esse despectius literis proditur*, (nempe apud Esajam, ut seqvitur] *exhilaratus mox suscipit Celsus, etsi non ejusmodi, qualeCelsus exposuit, cum apertè non significetur, quod pusillum esset; quamvis apud Esajam describitur, qui vaticinando prædiceret, venturum hunc aliquando non decoro aspectu, nec præstanti pulchritudine aliqna. Qvis enim, inquit, credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? & adscendit sicut virgultum coram eo & sicut radix de terra sitienti, non est species ei nec decor, sed species ejus sine honore & deficiens supra filios hominum;* ab eâ qvæ ei scribitur, dicâ, ac si deformitati Christi suppetias tulisset, à Vavassore masculè rectèqve liberatur. Neqve enim hic qvidlibet adversario suo concedit Origenes, sed fontem tantum aperit, unde Celsus calumniæ suæ occasionem arripuerit, oraculum nempe propheticum, qvod nec rectè intellexerit, nec sine falsi crimine allegaverit. Qvippe de indecoro qvidem adspectu Christi ibi literis aliqvid prodi, de pusilla verò statura nihil qvicqvam decerni. Qvinimò tantum abesse, ut Christus deformi facie fuerit, ut alibi potius pulcher-

pulcherrimus inter omnes mortales prædicetur, qvi qvanqvam, ut Vavaſſoris verba habent, nonnunqvam non habere ſpeciem neqve decorem videretur, id qvod Eſaias oraculo edidit, cum tamen potuerit commutabili materia & ad formas qvasvis excipiendas habili & idonea, uti pro re nata & tempore, ſæpius tamen ſibi vultum & os magna cum excellentia præſtantiaqve hominum cæterorum, id qvod in transfiguratione uſu venerit, finxerit. Formam itaqve ejus certa rationis norma moderandam & ad hominum captum utilitatesqve accommodandam fuiſſe. Qvæ ſingula certè qvam deformitatem Chriſti potius deſtruant, qvam aſſerant, à qvolibet facile intelligitur. De qvo verò loco in ſuperioribus, c. II. §. XV. è conſideratione integri contextus plura diximus.

XXIV. Qvare, ſi qvis noſtræ qvoqve ſententiæ veterum auctoritatem patrum objiciat, reſpondebimus primò, eosdem perpaucos eſſe, & ſi numero contendendum ſit, plures è noſtris qvam adverſis partibus ſtare, ceu alio loco comprobavimus. Deinde ex iis, qvi nobis opponuntur, duos eqvidem, utpote Tertullianum & Clementem repugnare, duos neutros eſſe, Auguſtino de forma Chriſti prorſus dubitante. Origene autem variam fingente; qvi ipſe tamen nobis propius accedit, dum nunqvam deformem fuiſſe Chriſtum, ſæpius præ cæteris omnibus formoſiſſimum ſtatuit.

Tum

Tum verò Tertullianum minoris, qvam reliqvos Eccleſiæ Doctores, æſtimationis eſſe, neqve etiam vel eundem vel Clementem, ea, qvæ credenda nobis obtrudunt, ullâ idoneâ ratione comprobare. Porro nullum eorum inimicâ nobis fronte adverſari, qvin eadem vi reclamet Vavaſſori, eiqve in os obſiſtat. Deniqve ſi vel plures vel majores nobis opponerentur patres, niſi tamen gravioribus momentis ac ponderibus argumentorum dicta ſua firment, verum utiqve fore, qvod ſcribit Vavaſſor, c. II. §. 12. *Si verum ſcire volumus, habiti ſermones à Patribus, teſtimonia ſunt potius, utpote tabulis ac ſcriptis mandata, qvæ recitari ſolent, qvam teſtes, qvorum viva vox auditur præſentium. Qvibus tamen ſolis Adrianus injure ſe reſcripſit crediturum.*

XXV. Duobus iſtis ex Scripturarum ſacrarum auctoritate & primorum ſeculorum Doctoribus petitis argumentis, tertium atqve ultimum, qvo deformitas aliqva Chriſto videtur affricari, ſubjicit Vavaſſor, qvod recentiores qvidam auctores conficiunt. Ex qvo verò brevibus ſeſe expedit, dicitqve: & paucitate ſuâ laborare & ſuam illis novitatem abrogare apud ſe auctoritatem, apud omnes famæ & exiſtimationis obſcuritatem. Niſi qvod Michaëlis Medinæ & Cornelii à Lapide qvæpiam verba, qvæ deformitatem allinere Chriſto videbantur, ab affictâ iis opinione liberat, atqve adeò, ut gloriatur ipſe, hoc qvoqve inane pertinaciæ in deſperata cauſa eripit

patro

patrocinium. Nostra eqvidem, qvibus adversariis usus fuerit Vavassor, pauci illi an multi, obscuri fuerint an celebres, nomen habuerint, an meruerint, parum interest, qvi etiam iis qvibus ille singularem famæ existimationem admetitur, nihil prorsus, nisi qvod rationes illorum, qvibus etiam credemus, cum obscurissimi nominis fuerint, comprobatum eunt, fidei attribuimus. Qvamqvam si & ex nostræ Ecclesiæ Doctoribus nonnulli, qvi vel deformitatem Christo adscriberent, qvales tamen nuspiam adhuc ab ullo vidi adductos, vel certè singularem pulchritudinem ab eo removerent, qvi oppido pauci sine dubio fuerint, cum pleriqve, qvi etiam data prolixa opera omnem de Christo doctrinam tradiderunt de isthoc argumento prorsus sileant, nobis objicerentur, nec illi in probando qvicqvam ponderis obtinerent. Neqve enim, sepositis utiusqve partis argumentis, qvicqvam causæ est, cur uni recentiorem asserenti magis habere fidem, qvam neganti, debeamus; cum ex unis iisdemqve principiis utriqve concludant, qvicqvid concludunt. Qvare nos longè minus qvam Vavassor recentiores adversarios, cum vel nulli vel pauci vel obscuri sint, metuimus, longeqve etiam minorem metuendi habemus causam, qvi uni Scripturæ & argumentis inde deductis didicimus eam adjicere venerationem, ut qvicqvid in materia Theologica inde depromitur, sanctis-

simè credamus, rejiciamus autem audacter; spretis omnibus, qvæ illi principio adversantur, auctoritatibus, qvicqvid illorum destituitur fundamento.

XXVI. In tertio, qvod apud Vavassorem subseqvitur, capite, genuina ipsius sententia proponitur, probaturqve. De qva, qvoniam conjunctè neqve referri neqve sententiam dici commodè posse existimabat, qvinqve omninò effatis seu propositionibus, qvid ageret, negaretve, & qvatenus formosum haberi Christum oportere censeret, separatim complexus est. In qvorum primis duobus, itemqve alteris duobus postremis, qvæ per se patere videbantur, breviter tantum perstringendis cum fuerit occupatus, in tertio verò, qvod multò plus habebat qvæstionis & maximè causam continebat, diutius hæserit & commorata fuerit ejus oratio; nos eodem prorsus filo vestigia ejus sublecturi, qvidqve vel de singulis censeamus, vel ad ea etiam, qvæ nobis adversa sunt, respondendum esse arbitremur, indicabimus, finem deinde cum isto operi nostro qvalicunqve imposituri.

XXVII. Propositione itaqve primâ, qvæ hæc est: *Forma Christi fuit decens & virilis*; formam à Christo muliebrem & qvicqvid ullo modo effœminatum, aut molle aut fractum videri potest, rectè amovet, ut ex iis constare potest, qvæ capite primo præmisimus. Provida rerum omnium ordinatrix, natura id eqvi-

eqvidem, qvod fœminis debebatur, vel errore vel consilio qvodam in mares aliqvando transfundit, ut cum Hylam & Naciſſum & Paridem, tanqvam Atalantam & Ariadnam & Helenam qvandam, omnibus delicatiſſimæ pulchritudinis ornamentis inſtruxit; ſed ubi tamen munere ſuo ordinata ratione natura fungitur, non immeritò ex Philoſophorum Principe, Ariſtotele animadverit Vavaſſor, cum in viris ſuam cuiqve ætati bonitatem formæ ſtatuat eſſe, aliam primæ, aliam mediæ, aliam extremæ, ita porrò definire ſingulas, ut perſpicuum ſit conſtetqve omnibus, nullam ex iis in mulieres convenire; virilem autem mediæ ætatis ſpeciem, qvam eandem & jucundam & terribilem ponit adſpectu, ab omni eâ, qvæ mulierum eſſe poteſt, excellenti oris figurâ multum diſcrepare. Sed verò ideò vel ſolis vel qvaſi ſolis mulieribus, qvod per figuram, aliqvando qvandam Poëtæ faciunt, pulchritudinem adſcribere, qvod ideò velle facere videtur Vavaſſor, ut vel hinc etiam pulchritudinem Chriſto abjudicet, neqve S. Literarum auctoritas, qvæ pulcherrimos viros aliqvoties collaudat, neqve qvotidianus loqvendi ſentiendiqve uſus, qvem & veteres hiſtoriæ complectuntur, neqve deniqve ratio ipſa ſeu definitio pulchritudinis, qvæ viris peræqve atqve mulieribus competit, ullo modo permittunt. Fœminis qvoqve, ut hoc addam, ſi in hac controverſiâ permittatur judicium, adeò illæ ſibi

solis haud rapient aut vindicabunt venustatem, ut eam ipsam, qvam in viris Aristoteles laudat, majorem suavioremqve esse, qvam qvæ in formosissimâ qvalibet Venere est, citra dubium sint pronunciaturæ.

XXVIII. Secunda Vavassoris propositio cap. II. §. II. p. 81. ita habet: *Non verisimile tantum sed etiam verum censemus, non alia Christum ignotiore qvadam & inusitatâ formâ præditum, qvam qva populares & ejusdem nationis homines erant, fuisse.* Qvam probatam reddere satagit argumento, â patriæ, in qva natus educatusqve fuit ac vixit, conditione & aëris qvalitate sumpto. *Itaqve*, ait, *qvod ad meridiem Judæi vergant magis atq; absint sexdecim ipsis, quam nos, gradibus propius à circulo, qui vulgo Æquator nominatur, idcirco sunt à sole obscuriores, paululumq; fusci: si efficit soli natura subpallidos, aut cereos, aut oleis, quibus abundent, utcunqve assimiles; si crebræ ac magnæ tempestatum commutationes, si victus & aquarum ratio varietates alias formarum gignunt; qualia permulta Hippocrates disputat, huic sententiæ convenientia, libro de aëre aquis & locis: existimare non debemus, Christum colore aspernatum patriam, unum Judæis ex omnibus minimè esse ejusmodi voluisse, peregrinum verò quæsivisse & procul accersivisse candorem aut ruborem, ac nostri similem videri maluisse quam suorum. Dico amplius: si ut certum vocis & peculiarem sonum & vernaculum quendam saporem Galilæi, unde facile agnosci qvivis eorũ, cujas esset & ab Hierosolymitanis distingui posset, habuerunt, ita in vultu quoq; promptum aliquid*

aliquid fuit, dispar & dissimilè ad indicium & notam discernendi, nullus dubito, quin & sermone & ore Christus Galilæum, ut erat, referret, ex ejus omni habitu & conformatione corporis ipsa Galilæa redoleret.

XXIX. Qvamqvam verò hæc cum sententiâ nostrâ directè non pugnent, cum & Galilæus Christus fuisse & aërem atqve conditionem corporis Galilæam hausisse, & tamen formosissimus fuisse potuerit, non tamen, qvæ à Vavassore speciosè dicuntur, vim, qvam præ se ferunt, obtinent. Nam I. populos ad meridiem vergentes, dum obscuriores fuscosqve progenerant liberos, deformiores qvam nos generare, nunqvam illi, sed contrarium potius, tuebuntur. II. Insolens non est, plurimos sæpè à patriæ suæ conditione, sicut in reliqvo vitæ genere, ita in formâ qvoqve deviare, cum qvælibet regio formosos deformesqve nobis exhibeat; qvod in Christo eo facilius contingere potuit, qvia & genere & naturæ præstantia populares suos omnes longè superavit. Si igitur III. ex Kiso atqve Davide, sine peculiari Dei concursu, in Judæâ, qvæ haud ita procul à Galilæâ abest, eademqve aëris temperie gaudet, inde Galilæa ipsa nasci potuit *Saul formosus*, I. Sam. IX. 2. & *Absolon formosissimus*, II. Sam. XIV. 25. qvid obstat, qvo minus Christus in Galilæa ex immediata operatione Spiritus S. cæteris ejus nationis pulchrior gigni potuerit? Ut de eo deniqve nihil dicam, qvod nec in calidiori aëre omnes fusci,

sed multi candidissimi prodeant, nec fusci omnes deformes, sed nonnulli venustissimi celebrentur, utpote *David* in ipsâ Bethlehem, ubi & Christus natus. 1 Sam. VI, 10.

XXX. Nec majorem verisimilitudinem habent, qvæ à Vavassore subjiciuntur: *Quid enim? Ibi conceptus, ibi natus educatusque, ibi totum vitæ tempus, exceptis pauculis annis, commoratus. Quem in suam civitatem semel atq; iterum, opinor, triennio reversum sui cives acceperunt, non ut hospitem atqve aliqvem à sese diversum, atqve ab eo, qvi erat, mutatum, sed ut eum, cujus vim tantum & novitatem tum doctrinæ tum gestorum suspicerent; cum non occurreret, qvomodo tam brevi & tam præclara didicisse & tam admiranda efficere potuisset.* Qvam enim hæc hominum in una provincia similitudinem, qvam æqvalitatem videntur introducere? Qvæ verò vultuum, qvæ staturæ, qvæ corporis totius in una etiam urbecula sæpe disparitas & dissimilitudo? Cum in superioribus de temperamento hominis disputaremus, qvæ illi vis & potestas ad fingendam vultui suo formam inesset, ostendentes, hujus argumenti vim in tantum elevaverat Vavassor, ut nihil prorsus ei in hunc effectum virtutis relinqveret. Nunc externæ aëris & ciborum & tempestatis & locorum dispositioni, præ interna ista naturæ efficacia atqve operatione, id robur assignat, ut nec meliorem nec deteriorem Christum reddi potuisse cæteris Galilæis, dum istis uteretur, propugnet. Mirum, qvod non

non & ista hoc effeciſſe dicat, ut nec doctrinam à Galilæorum recepta aliam, aut ſcientiam aut virtutem conſeqvi potuerit. Placuit nempe ſemel, Chriſtum ad vulgarem qvotidianumqve formarum morem detrudere, itaqve ea tantum ad hunc finem corradebantur argumenta, qvæ nonniſi vulgaria & qvotidiana ſapiebant, cæteris vel omiſſis vel neglectis, qvæ ſingulare & eximium qvid in Chriſto arguebant. Qvicqvid certè univerſus iſte argumentulorum aut indiciorum apparatus, utpote; vixit Chriſtus inter Galilæos, eodem uſus eſt aëre, eodem cibo, potuqve, commoratus ibi toto vitæ tempore, pauculis annis exceptis: ergo eodem, qvo cæteri Galilæi, colore retulit patriam, ergo tetrior & obſcurior fuit, ergo nihil præ cæteris conterraneis ſingulare qvæſivit; efficit, id nonniſi efficit cæteris omnibus paribus, ut in Shola loqvuntur. Qvippe alias hoc argumentandi genere omnes Galilæi in omnibus pares & æqvales eſſe cogerentur, nullus alterum ſuperaret ſtatura, nullus colore aut valetudine, nullus forma excelleret; qvæ qvam abſona ſint, nemo non videt. At verò Chriſtum & cæteros Galilæos non pares fuiſſe, atqve ideo paribus qvoqve effectibus gaudere non potuiſſe, omnia ea argumenta probant, qvæ antecedenti capite adduximus. Qvare hunc potius in modum ratiocinamur: non verosimile tantum, ſed etiam verum cenſemus, alia Chriſtum ſin-

gulariori & inusitata forma præditum, qvam qva populares & ejusdem nationis homines erant, fuisse. Nam ut in iis partibus, qvæ ad meridiem magis qvam nos vergunt, sacra historia attestante, venustissimæ subinde membrorum lineamentis & colorum vigore fœminæ, & pulcherrimi omni corporis & imprimis faciei gratia viri, qvi ideò, qvod oleis ibi locorum abundabant, neqve oleis facti fuere simile, neqve subpallidi aut ad fœditatem qvandam obscuriores & fusci, reperiebantur, neqve hanc pulchritudinem vel crebæ & magnæ tempestatum commutationes, vel victus & aqvarum ratio intervertere poterat: ita existimare debemus, eò magis Servatorem nostrum & coloris vivacitate & vultus promptitudine & deniqve elegantissima membrorum proportione, cæteros Galilæos vicisse, qvo nobiliore qvam ipsi natura & corporis constitutione fuit, qvippe ab immediata Spiritus S. operatione conceptus, altus qvidem educatusqve in Galilæa, sed victu longè, qvam cæteri ejus conterranei, temperantiori. Qvem in suam civitatem semel arqve iterum triennio reversum, sui cives acceperunt, non ut hospitem aliqvem à se diversum, sed qvalis antea & semper fuerat, ut sapientia, scientia, gratiaqve apud Deum pariter & homines, ita & corporis forma concives suos omnes anteuntem. Ergo pulcherrimum.

XXXI. Qvad ad eandem propositionem pro-

probandam, *non nullius*, ut vocat, *momenti ad capiendam Christi, qualis esset corpore, conjecturam*, hoc adfert Vavassor, qvod *Galilæos Josephus prodiderit natura bellicosos, & à prima ætate pugnaces, quorum in animis nulla unquam formido insederit; at nati ad bellum viri, fronte & oculis, acre qviddam, & præsens, & militare, præferre consueverint*; nimis longè petitum est, ut rectè notat Arndius. Qvare non simul etiam ipsum Salvatorem nostrum hominem sibi bellicosum & Martialem fingit? aut cum conterraneis suis castra secutum? qvasi nemo facie redolere gravitatem posset, præter homines à bellicosis ortos, aut non degenerare à majorum virtutibus posteri. Præterea si gravem referre faciem virile est, divinum erit, gerere vultum cum gravitate pulchrum.

XXXII. Hanc verò secundam suam propositionem hac invectiva obsignat Vavassor: *Qvid igitur sibi recentiores Græci, duo aliqui, aut tres, volunt, à quibus Christus depingitur & ξανθόθριξ, capillo flavo & σιτόχροος, colore triticeo? Si enim Judæos & Galilæos ita formatos figuratosq; universè dicunt, quomodo id, quod valde incertum est, ostendunt? Sin autem Christum solum ex omnibus talem intelligi placet; quomodo hoc, quod multo est improbabilius, nullis adhibitis argumentis affirmant; Nobis quidem hic rectum non videtur, aut iis assentiri, qui ratione nihil probent, aut ab iis non dissentire, qui nulla antiquitatis auctoritate valeant.*

XXXIII. Svetonius de Augusto: *capillum*

habuit leviter inflexum & sufflavum. De Nerone: *Sufflavo capillo.* Qvis non eodem argutandi beneficio mendacii reum aget Suetonium? Qvid sibi vult unus Tranqvillus, aut cum eo duo tresve latini, à qvibus Augustus atqve Nero sufflavo pinguntur capillo & colore inter aqvilum candidumqve medio, qvam σιτόχροον esse supra ostendimus? Si enim Romanos ita formatos figuratosqve universè dicit, qvomodo id, qvod valde incertum est, ostendit? Si autem Augustum atqve Neronem solos ex omnibus tales intelligi placet; qvomodo hoc, qvod multò est improbabilius, nullis adhibitis argumentis affirmat? Nempe qvæ refert historicus, non aliis argumentis aut probat aut probare necesse habet, nisi rei ipsius, ut vel sese habuit vel gesta fuit, veritate. Qvid Nicephoro aliisqve argumentis opus erat, qvi, qvæ scripserant, ex aliorum relatione, qvam veram esse crediderant, acceperant? Nimium eqvidem credulus fuit Nicephorus & sæpe fabulatoribus fidem adhibuit, sed id hic factum esse, partim nunqvam, ut in aliis argumentis freqventissime, probatum, partim ex qvibus relationibus haud suspectis ista acceperit, supra demonstratum est, partim nec naturalibus eundem destitui rationibus, qvæ narrationem ejus, si cætera momenta deessent, credibilem reddant, pariter patuit ex supra dictis atqve disputatis. Qvare nobis qvidem hic rectum non videtur, aut ab eo dissentire, cum ejus rei cau-

causas nullas habeamus, aut ei non assentiri, cum nec auctoritatibus destituatur nec rationum momentis.

XXXIV. Propositione tertia, qvæ nostræ opinioni directè opponitur, hoc profitetur Vavassor: *Fit admodum probabile Christum inter cives ac municipes suos ista potissimum corporis laude, & formæ qvalicunqve gloria non excelluisse, neq; eximium aut memorabile qvicqvam præter cæteros habuisse.* Qvod dum vario argumentorum apparatu probat, singula nobis penitius excutienda sunt.

XXXV. Argumentum primum ex Evangelistarum silentio depromptum his verbis proponit: *An qvi nobis Scriptores subitum & extemporalem, fluxumqve & caducum, & forsan semihoræ splendorem Christi transfigurati ita graphicè depictum reliqverint, ut nivis similitudine, & collatione solis efficerent illustriorem; non accusandi negligentiæ fuerunt, si perpetuam & constantem per omnes vitæ gradus pulchritudinem reticuerunt prorsus, ac ne minimo qvidem verbo, qvalis & qvanta esset, attingendum putarunt?* Qvod argumenti genus subinitium cap. III. à silentio Ecclesiasticorum Scriptorum firmat, his verbis: *Ac ne illud qvidem de singulari formæ præstantia commemoratum in iis video, qvæ plurima nonnulli præposteri Christianæ legis amatores, nostrarum rerum augendarum causa falso primis temporibus prodiderunt, sive confictis Sibyllarum oraculis, sive actis Christi & discipulorum vitiatis & corruptis. Qvæ me conjecturæ ac suspiciones*

priuso

primò fecerunt, ut addubitarem, satisne prudenter loqvantur & sacri in templis oratores, qvi omnibus formæ lenociniis Christum instructum & fuco inerti, planeqve humano illitum venditent, admurmurante populo, magnoqve applausu mulierculorum; & in sermonibus pii pleriqve ac religiosi viri, qvibus videbatur fieri injuria Christo, nisi formosissimus mortalium inducatur; & in Scholis aliqvot graves Theologi, qvi hoc duplici huic hominum generi gratificentur suo suffragio, idemqve, qvasi munificentissimis qvibusdam decretis Christum honestent, ita sanciant ac firment docendo. Sed vero I. retorqveamus argumentum in ipsum Vavassorem: Christum vulgari formâ fuisse, reticuerunt Evangelistæ. E. non fuit vulgari formâ. II. An qvi nobis Scriptores splendentem extra ordinem Christi faciem, qvæqve huic vitæ statui non conveniebat, tam graphicè depinxerunt, non arguendi negligentiæ erunt, qvod perpetuam constantemqve formam, qvæ sine omni labe, sine omni maculâ, sine omni rugâ, sine omni defectu fuit, qvaqve cæteros mortales omnes, qvi ad tantum perfectionis gradum hic nunqvam perveniunt, necessario superavit, ne verbo qvidem attingendam putarunt? III. Utimur verbis Vavassoris c. I. §. 2. *Atqvi id ipsum*, ajentis, *mihi crede, qvisqvis es, qvi aliud censes, cum apud eos Scriptores non legitur, intelligitur, cum non negatur, asseritur, cum tacetur, clamatur.* Si enim qvisqvam in divino corpore fuisset defectus, æqve non reticuissent, ac non reticuerunt illatam ei vio-

violentiâ qvadam deformitatem. IV. Clarificatio ista Taborica opus fuit prorsus extraordinarium, atqve ideo Evangelistis recensendum, à qvo vero tam colligere non licet, cætera qvoqve ordinaria notanda fuisse, qvam non licet inferre, id vitæ genus, easqve actiones, qvas intra privatos, ut ita loqvar, parietes, integris XXX. annis, priusqvam ministerium publicum ingrederetur, duxit Servator noster, de qvo siluerunt omnes Evangelistæ, scripto comprehendendas fuisse. V. Damus instantiam: Adam & Eva ex primigeniâ imagine sine omni dubio pulcherrimi fuerunt, qvorum tamen pulchritudo, cum alia haud majoris momenti à Divino Scriptore recenseantur, prorsus reticetur. Nempè VI. cum parum faceret ad illustrandum Salvatoris officium, formosus an deformis fuerit, libertate, hic qvadam usus est Spiritus S. neqve omnia prodidit, qvæsi prodidisset, *libros eâ de re capere mundus non posset.* Joh. XXI, 26. Sicut nec temperamenti in summo gradu optimi unqvam meminit, de qvo tamen, cum ægrotasse nunqvam legatur, nemo unqvam dubitavit. Taceo VII. si non Evangelistis, aliis tamen divinis autoribus, qvod supra ostendimus, hanc Christi pulchritudinem memorari. Deniqve VIII. perpetuam atqve constantem per omnes vitæ gradus pulchrritudinem, nemo vindicat, cum alimentum in tantâ paupertate tenue, vitæqve rationem sine omni dubio laborio-

borioſam, moleſtias paupertatis innumeras, *cum non habuerit, ubi caput reclinaret*, Luc. IX, 58. inediam in deſerto qvadrageſimalem, pernoctationes ſub dio freqventes, injurias pasſionesqve alias incredibiles, qvibus ſe ſponte ſubjecit, de pulchritudine ejus ſubinde aliqvid decerpſiſſe, ex ſe facile intelligatur.

XXXVI. Rectè Janus Huardus, in Scrutin. Ing. c. XVII. p. 548. *Evangeliſtæ in eo occupati non fuerunt, ut conſtitutionem corporis Chriſti, Redemptoris noſtri, referre voluerint, qvoniam ad eum ſcopum, qvem ipſi propoſitum ſibi habebant, prorſum nihil id faciebat.* Nihil illi qvidqvam de forma corporis, qvam alii, qvi vel Cæſarum vel virorum illuſtrium vitam ſcripſerunt, qvaliscunqve ea fuerit, ſive intra vulgarem conditionem ſubſtiterit, ſive ſupra illam adſcenderit, ſive ſubſederit infra eandem, ſtudiosè delinearunt; ut adeo, niſi de his iſtiusmodi ſilere prorſus conſtituiſſent, ſecuti hunc morem Evangeliſtæ non referre tantum ſingularem ſed qvamcunqve aliam formam debuiſſent. Neqve enim, qvi hiſtorici formæ in hoc illove venuſtatem laudant, ideo ad hoc faciendum impelluntur, qvia pulchritudo aliqvid in ſe laudis & commendationis habet, ſed qvod, cum illa ad reliqvas ejus, cujus hiſtoriam texunt, virtutes acceſſerit, ſvavitatem qvandam iis addiderit & gratiam. Unde & hac ipſa etiam moventur ratione, ut nec reticeant vulgaris in maximis licet viris formæ humi-

humilitatem, ut, qvalis qvantusqve sub vili licet corpore delitescere animus possit, veritatem amantibus manifestent. Qvæ itaqve causa est, referendi summam in summis viris corporis pulchritudinem, ea & esse deprehenditur, haud dissimulandi vulgarem. Atqve vicissim, qvæ ratio esse potest, tacendi vulgarem, ea & esse præsumitur, non recensendi summam. Ex qvo liqvidissimè consequitur, unam fuisse eandemqve Evangelistis, tanqvam accuratis vitæ Christi scriptoribus, causam, cur de utroqve siluerint, neqve legitimam esse collectionem: nihil illi protulerunt de summa pulchritudine; ergò summè pulcher non fuit. Nihil illi qvoqve de ratione victus, cum privatus ageret, nihil de conversatione, nihil de vitæ statu & laboribus, anteqvam ministerii functiones ingrederetur, nihil de vestibus, qvibus utebatur. Qvæ singula si annotata fuissent, qvid non sibi sumerent monachi, & inprimis, qvi de nomine ejus nuncupantur, Jesuitæ sibi imitandum aut exprimendum? Qvam inde sibi sanctitatem, qvæ merita non arrogarent? An qvi unum alterumqve, qvo apud Pharisæos aut Judæorum præcipuos exceptus fuit, convivium retulerunt, ordinariam vivendi rationem silentio involverint? An qvi tunicæ inconsutilis, forte nec precio nec opere magni æstimandæ, mentionem fecerunt, non descripserint, qvo habitu toto vitæ tempore, eo cumprimis, qvo ministerium

suum

ſuum peregit, inceſſerit? An qvi duodecennalis diſputationis miracula nararunt, nihil memoriæ prodiderint de iis, qvæ tanto vitæ decurſu, & octodecim integris annis inſecutæ fuerunt, cum eo tempore mutus non fuerit, ſed ſemper creverit, ut annis, ita ſapientia & eruditione? Qvis non videt, eadem argumentandi ratione omne id dubium atqve ambiguum reddi poſſe, qvod intermedia inter pueritiam & viriles annos ætate à Chriſto geſtum fuit? Transfiguratio, qva Divinæ ſuæ gloriæ primitias diſcipulorum ſuorum qvibusdam oſtendit, plenum miraculoſæ majeſtatis opus fuit. Intererat inter Apoſtolos alios & Johannes, qvi & hiſtoriam vitæ Chriſti ſcripſit & iis imprimis annotandis, ut ex antiqvitate edocemur, operam dedit, ex qvibus Divinitatis ipſius perſuaſio dimauare ad poſteros poſſet. At ille de actu tam glorioſo, tam Divino, ne verbum. Tu mihi explora ſapientiæ Divinæ abyſſum & edic, cur ille hic ſiluerit? Cum & αὐτόπτης fuerit, & cujus fini ſcopoqve hæc tam illuſtris viſio tam apprimè conducebat. Qvid itaqve impedit, qvo minus & cæteri Evangeliſtæ id præterierint, qvod, ut ſcirent poſteri, neqve ad ſalutem adipiſcendam neceſſarium fuerat, & de qvo ex aliis argumentis & relationibus, qvantum opus fuerat, poterant informari atqve edoceri? Qvamobrem relinqvamus inſpiratis libertatis ſpiritu hominibus hanc ſcribendi,

di, cæteris autem sive Sibyllis sive fabulatoribus id furfuris aliis, qvos mentiendi insana libido vexavit, fingendi libertatem, ne dictorum scriptorumqve ab iis rationem, qvasi in servitutem eos redacturi, reqviramus, sed statuamus, multa eos, qvorum causa nos latet, ante cætera memorasse, & plura adhuc, qvæ & ipsa penetrare neqveamus, præteriisse.

XXXVII. Alterum argumentum ab Apostolorum Christianorumqve primorum silentio deductum, cum inqvit: *An immemores & ingrati non habendi Apostoli, Discipuli, Christiani illius ætatis universi, qvi hanc partem Christi laudum, qvam voles, levem & exiguam, tamen veram, tamen aliqvam interire nobis posteris passi sint, qvos tenuissima qvæq; tanti liberatoris, & falso etiam illi ab adversariis objecta, nosse delectat acjuvat?* per instantias & responsiones superiori paragrapho enumeratas longe fortius solvitur. An enim existimes, XXX. annorum spatio, cum privatam egisset vitam Christus, non multa magnaqve, non minus, qvam ea, qvæ scripta sunt, laude digna, & partim etiam majoris momenti egisse, qvæ singula tamen altum premit silentium? Ingrati igitur fuerint Apostoli & Christiani, cum infinitos non scripserunt libros; immemores, cum, qva promptitudine, qva alacritate illo tempore inservierit parentibus, sive aliis, qvid virtutum in omni statu imitandarum ex eo undiqvaqve eluxerit, qvam infinita, qvam egregia probitatis, pietatis, patien-

tiæ, humilitatis, eruditionis, & universæ laudis exempla, magis qvam ullus Abraham, vel Hiob, vel David, vel maximi qviqve è Gentilibus & Judæis, sine ulla comparatione ediderit? Cur verò formam, qvaliscunqve ea fuit, inprimis cum Vavassori sine labe ullâ fuerit, prorsus siluerunt? *Utrum, qvod hoc totum leve ac frivolum ad acuendam & alendam pietatem, propeq; prophanum ad suadendum divinum amorem judicatum est, an qvod etiam nullo modo verum*? Ita sibimet dubitando Vavassor, cap. III. §. 1. respondet.

XXXVIII. Præterea suo loco probavimus, non deesse hodieqve in sacra antiqvitate sive testimonia sive vestigia, prædicatæ à Christianis primævis pulchritudinis Christi. Qvamqvam, qvod Evangelistæ de Christo in historiâ vitæ ipsius haud retulerunt, aut qvo digitum alii scriptores sacri non intenderunt, id vix levi indicio prodiderint prisci. Qvodnam hi ullibi ex magno illorum numero, qvem nec mundum capere posse Evangelista testatur, miraculum annotarunt? Qvidnam eorum, qvæ reliqverunt dicenda sacri historici, sive leve fuerit & exiguum, sive magnum & singulare, uspiam recensuerunt? Mirum utiqve est, eos, qvi vix dimidio aut integro etiam seculo à Christi ascensione abfuerunt, non tamen operam dedisse, ut cætera, qvæ præterierunt Evangelistæ, qvæqve integros libros confectura fuerant, si consignarentur.

qvæ

qvæ ex αὐτόπτων relatione consignari facilè poterant, ad posteritatis memoriam transmitterentur. Sed nempe & in his providentiæ Divinæ sapientissima dispositio, cujus tamen rei hodieqve incognitæ sunt nobis causæ, dominium suum agitavit, ne qvidqvam literis comprehenderetur, qvod à Dei spiritu, ut comprehenderetur, dignum judicatum non fuit, ne scilicet incerta pro certis amplectentes, Divinorum scriptorum auctoritatem humanis traditionibus posthaberemus.

XXXIX. Tertium argumentum à conversatione sumit, qvæ Christo cum qvibusdam mulieribus interceßit: *Simplices verò Scribas*, ait, *minimeq; malos, Pharisæos nimium commodos, & faciles cunctos Christi iniqvos, qvibus nihil suboluit, qvod vir formosissimus suæ nationis, cum Samaritana intemperanti sanè & multarum nuptiarum muliercula, tamdiu & solus, & in agro colloqveretur. Qvod aliam in adulterio deprehensam, & hoc ipso patriis legibus damnatam capitis, absolutam judicio suo, impunitamq; dimitteret; aliam famosam & flagitiis urbe tota nobilem, non tantum propius ad se accedere non prohiberet, sed ne ab ungendis qvidem pedibus suis & suaviandis arceret. Qvod cum duabus bono loco & genere sororibus una multum esset, familiariterq; versaretur, ab iisq; invitaretur hospitio, acciperetur epulis, omni officiorum genere observaretur. Qvod maxima eum multitudo seqveretur procul ab ædibus mulierũ præsertim, qvæ his externis formæ illecebris maximè capi solent*; ejus & Galilæa in Judæam, ex

oppidis in desertas solitudines iter, & crebram ibidem commorationem assiduamque celebraret. At verò I. neque nunc advertit Vavassor, quam facile, quamque probabiliter hæc singula suæ quoque opinioni ; sine ullâ deformi maculò fuisse Christum, objici possint. Quicquid igitur sibi responderit, nobis quoque responsum esto. Jam verò II. suspicionem illiciti amoris incurrere poterat Christus, si vel maximè deformis, nedum vulgari facie fuisset. Cur igitur vel hic tacuerunt ejus obtrectatores? Si enim ebrietatem objectare illi, quanquam summè sobrius fuerit, potuerunt iniqui, quidni & lasciviam & venerem, quanquam summè fuerit pudicus? III. Quid si concedamus, vitia talia ei objecta fuisse, etiamsi scriptura totidem verbis id non asserat? Cum enim inimici ejus, quamvis intemperanter neque ederet neque biberet, ita ei insultant: ἰδὲ ἄνθρωπος φάγων καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτολῶν. Luc. VII, 36. hæc ultima vox ita amplæ significationis est, ut & libidinosos comprehendere possit. IV. Sicut non omnes Christi actiones & miracula ab Evangelistis annotata sunt, Joh. XXI, v. ult. ita nec omnes ejusdem passiones. Neque sequitur: non meminerunt S. Scriptores hujus illiusve injuriæ: E. eandem ei non intulerunt Pharisæi & Scribæ. V. Neque causam ullam habuerunt objiciendi Christo amorem cum Samaritanâ muliere, cum palam fuerit, quam capitali sese odio prosequerentur Ju-

Judæi & Samaritani; cumqve in agro mulieri collocutus fuerit Christus, qvam simplices fuissent Pharisæi, si clancularium ei vitium, & qvod in obscuro geri solet, imputassent. VI. Neqve etiam hoc tum qvemqvam latebat, adulteram à Christo ideò non condemnari, qvod, politicum suum in hoc mundo officium non esse, vuluerit demonstrare, absurdi igitur fuissent Pharisæi, si aliter persuadere plebi fuissent annisi. VII. Mulier illa, qvæ pedes Christi unxit & osculata est, nihil aliud egit, qvam qvod mores tum domestici reqvirebant, & cujus civilitatis omissionem ideò exprobravit Pharisæo Christus. Sibi ipsis igitur impudicitiæ famam conciliassent Pharisæi, qvi eandem suavia, eandem officia à mulieribus accipiebant, si earundem admissionem in Christo reprehendissent. Atqve hanc ipsam ob causum VIII. qvod & Pharisæi ad ministerium familiæ mulieribus uterentur, qvæ ideo Christo etiam necessariæ fuerunt, cohabitationem cum iisdem, qvasi publicum scelus, improperare Christo haud potuerunt. Deniqve IX. omnium stolidissimum fuisset, si ex eo infamem reddere Christi vitam allaborassent, qvod in promiscuâ, conciones ejus in locis sub dio audientium, multitudine, mulierculæ qvoqve fuerunt; cum tot testimoniis, qvot viri ejusmodi congressibus interfuerunt, apertissimè & ad ruborem usqve potuissent refutari.

XI. Qvatum argumentum non majori vi concludit, qvod à silentio eorum, qvi neq; amici neq; inimici Christo fuerunt, pondus qvoddam accipit: *Qvid ego nunc commemorem*, inqvit, *medios ac nullarum partium, sive viros, sive mulieres, sive illustriores, sive de populo, à qvibus tot & tam diversis, dissimulari cum non potuerit, si qvid Christus in eo genere majoris excellentiæ haberet, nihil exclamatum super isto, ut fit, nihil insusurratum in aures, editum signum nullum videmus?* Qvæ generaliter dicta, si Origenis opinionem seqvamur, facile infirmantur, qvam ita recenset Vavassor, cap. II. §. 9. *potuisse Christum commutabili materia, & ad formas qvasvis excipiendas facili & idonea sic uti pro renata & tempore, ut modo non habere speciem neq; decorem videretur, id qvod Esaias oraculo edidit; modo sibi vultum & os, magna cum excellentia præstantiaq; hominum reliqvorum, fingere, id qvod in transfiguratione usu venit:* Qvæ certe Origenes lib. VI. con. Cels. c. 35. coactus argumento Celsi, qvo & nos supra usi fuimus: *Qvoniam divinus spiritus erat in corpore, debebat esse præstantior cæteris statura, aut formâ, aut robore, aut voce, aut majestate, aut eloqventia; est enim incredibile, cui plus Divinitatis inerat, eum nulla re fuisse præstantiorem cæteris*; & qvod præterea Psalm. XLV. formosus prædicaretur Christus, additis qvibusdam rationibus, asseruit. Sed pergit Vavassor: *Christi videndi causâ, Zachæus, qvod brevitate staturæ, simul & turbæ Christum circumstantis freqventia impediretur, nonne eo viso statim aliqvam vo-*

vocem misisset admirans, si qva nova species, & insolita hominis figura oculos perculisset? At nec Adam Evæ suæ, formæ præstantia animalia cætera præcellentis, cum primum vidisset, elegantiam laudavit, neq; Samuel formosi Saulis aut Davidis, cum se oculis ejus primo objicerent. Subjicit Vavassor: *Qvæ mulier clamorem sustulit, ac matrem tali filio beatam prædicavit, nonne & filium adjecisset tali formæ pulchritudine beatum?* At qvanqvam plurimi in sacris recitentur formosi, nemo tamen unqvam aut illis ipsis aut eorum parentibus formam gratulatus est. Deniqve addit: *Qvi sunt ejus interrogando & respondendo prudentiam celebri doctorum consessu mirati, tunc annum modo duodecimum agentis, nonne si qvid in ore præcipuum ac singulare præter cæteros* [qvanqvam & hoc singulare sit, macula omni deformitatis carere;] *eluxisset, qvod primo inspectu qvomodocunq; intuentes afficeret, cum ista hujus laude conjunxissent? cum præsertim pueros id ætatis, videamus esse pulchellos, etiam eos, qvorum postea lepos defloresçit annis, & omnis illa formæ intempestivitas, simul atq; viri fieri incipiunt, extinguitur. Jam si qvæ frequentes matronæ, tota Galilæa, tota Samaria, tota Judæa perhibentur comites illi fuisse, & suis cum facultatibus aluisse; si qvæ ex sedibus & civitatibus effusæ, summam ei assiduitatem præbuerunt, sæpe diei totius, interdum bidui ac tridui, tantam hominis pulchritudinem haudqvaqvam animadverterunt, vehementer miramur: Si tenuerunt se, qvo minus animadversam proderent ac dissiparent in vulgus, atque isto sibi nomine*

plauderent, Christoq; gratularentur qvodcunq; hoc boni, ut nulla ad alios ne tenuißima qvidem rumoris aura pervenerit; etiam miramur multo magis. Qvæ singula instantiam patiuntur I. à complurimis, qvi cum formosi sine dubio fuerunt, eorum tamen pulchritudo, recensitis in eorum laudem aliis, silentio obducitur. II. Κάτ' ἄνθρωπον ab ipsa Maria Deiparâ, cujus pulchritudo à Pontificiis immani laude, â sacris scriptoribus nulla, mactatur. III. Si, qvicqvid in Christo laude dignum fuit, recensendum fuerat, & εὐκρασία corporis Christi, qvæ ἐν τοῖς τοῦ σώματος ἀγαθοῖς formæ bonitatem præcedit, & summo bono acqvirendo majus adminiculum præstat, qvam pulchritudo, & immaculata faciei ipsius constitutio, qvod utrumqve Christo haud denegat Vavassor, fuerant commendanda. Qvanqvam igitur IV. in bonis corporis, post sanitatem principem locum obtineat corporis pulchritudo, secundum Augustinum tamen lib. XV. de Civ. Dei, cap. 22. infimum bonum est & per se laudem non meretur, nisi ob virtutem, qvæ ei conjuncta est. Jam verò, propter qvod unumqvodqve tale est, illud magis talis est. Cum igitur ob virtutes laudetur pulchritudo, virtutes majorem laudem mereri necesse est. Qvæ cum ita se habeant, hunc in modum concludo: Si intensius laudari meretur virtus, qvam pulchritudo, mirari non debet Vavassor, qvod pulchritudinis Christi laus in sacris non consi

gnata

gnata est, cum non sit consignata plurimarum virtutum. Fuit castissimorum omnium castissimus; nulla tamen muliercularum pudicitiæ laudem ei scripsit. Sobrius fuit ad miraculum usqve; nemo tamen eum ideo commendavit. Ut taceam cætera.

XLI. Argumentum qvintum status exinanitionis præstat, qvod à Vavassore ita pingitur: *Qvamobrem res ita se habeat, etsi multa, eaqve gravissima sint, non leve puto id, qvod sanctissimi patres docent, miseriis nostris omnibus Christum obnoxium se esse voluisse, qvo naturale sibi corpus & veram humanitatem assereret.* Laboraverit igitur Christus & morbis personalibus, febri, epilepsia, cancro, Gallicoqve morbo, ne qvid ei humanarum miseriarum desit. *Utrum eo magis*, ita Vavassor cap. I. §. 7. *se patri satis esse facturum existimavit, qvo contemtior & abjectior in omnem partem fieret? Agnosco certè qvidem infinitam patri satisfaciendi cupiditatem filii, atqve ardentissimum studium, qvo incensus & summum cœli domicilium reliqvit, & vitam inter homines vixit plenam laborum, plenam dolorum. Non tamen ut omnes perseveretur vilitates & ignominias, neqve ullam à se deprecaretur injuriam corporis. Isto enim pacto, ut alia innumerabilia omittam, & ægra valetudine, & imbecillis viribus, & captus membris ac debilis fuerit: qvorum nihil ad hanc diem, etsi multi multa parum probabiliter in eam sententiam dixerint, cuiqvam venit in mentem dicere.* Nempè incommoda atqve vitia humanæ naturæ duplicia sunt, qvædam

communia, qvædam propria singulorum: *Et ex communibus*, refero iterum verba Vavassoris cap. I. §. 10. *etiam illa repudiavit Christus, qvæ susceptis à se consiliis, & initis tanto in mysterio rationibus aliqva ex parte obstarent.* Atqvomodo obstiterit, aut obstare potuerit formæ præstantia, non video. Confirmat verò Vavassor adductam à se rationem hoc pacto: *Si non defuerunt hæretici, & in his Marcion & Apelles & Manichæus, qvibus placuerit, sidereum ac cœleste corpus ascitum à Christo, nullo modo humanum; nonne cavendum ei fuit, & longè ante providendum, ne si exqvisita qvadam pulchritudine nimio plus aliis excelleret, huic falsæ de se opinioni aliqvando locum daret?* Qvam verò indigna hæc est, qvæ adducatur ratio! Si enim ideò Christus abstinere pulchritudine debuit, ne à Marcionitis cœleste habere corpus crederetur; E. omni corpore abstinendum ei fuit, ut à Paulianis & Artemonianis Deus esse crederetur. Non omni eo se abstinuit Christus, ex qvo prætextum, ne veritati cederet, sumere malitia hominum potuit. Porrò confundit Vavassor pulchritudinem Servatoris ordinariam cum glorioſa corporis ipsius collustratione in monte Thabor facta, cum inqvit: *Cui, obsecro, fecisset fidem, corpore ipso non plus se, qvam hominum esse, si qva semel indutus forma est in transfiguratione, eam non exuisset in vita deinceps: aut cui non movisset suspicionem, si omnino æqvabilitatem sortis communis, dignitate oris & elegantia transiisset?* Nam sicut qvæ extra ordinem fiunt, cogitationes

nes nobis qvoqve singulares movent; ita ordinariam Christi formam falsæ de se suspicioni legitimam causam præbere, tam fieri non potuit, qvam non movit Absolonis pulchritudo, qva plerosqve suæ ætatis antecelluit, aut Adami, qvi per lapsum concreatam sibi faciei elegantiam non amisit. Et esto moviſſe suspicionem, non aliam moviſſet, qvam hanc: subesse tam pulchro corpori non nudam animam sed divinitatem.

XLII. Cum verò nostrarum etiam partium nonnullos, cur de pulchritudine Christi ancipites hæreant, exinanitionis œconomia commoveat, tota res ista penitius excutienda esse videtur. Et primo qvidem, cum ad sumptus sponte exinanitionis status Christum cæteris hominibus non tam æqvaverit, qvam infra eorundem sortem conditionemqve depresserit, si qvidqvam exinde, hoc certè sequeretur; ut Christus per voluntariam κένωσιν cæteris hominibus pauperior factus est, ita & forma factum fuisse deteriorem. Qvod qvam à communi omnium opinione remotum sit, nihil attinet dicere. Qvis enim, si collectionem istam admiseris, non te hoc qvoqve videt consequenter dicere: Christum cæteris hominibus factum esse simpliciorem, rudiorem, indoctiorem, deniqve ad omne genus morbos procliviorem? Cum si usqveqvaqve exinanitionis rationem extenderis, nihil causæ sit, cur in pulchritudine humiliatum, in sapientia

&

& eruditione & optima corporis dispositione præ cæteris locupletatum esse dicas; si verò ab objecto exinanitionis nonnulla exceperis, tam nihil impediat, eximi qvoqve formæ venustatem, qvam nihil obfuit, excludi sapientiam & valetudinem. Qvare ita firmiter concludimus: aut exinanitioni nihil prorsus juris in pulchritudinem Christi fuit; aut si fuit, eandem infra vulgarem venustatis legem, ad qvandam formæ fœditatem dejecit. Hoc verò cum factum non sit, illud certè verum esse, omninò necessarium erit.

XLIII. Deinde multò infirmior ratio est, qvam allegant, ad probandum, qvod exinanitionis status qvandam Christi in qvalitatibus corporis præ cæteris hominibus diminutionem fuerit complexus. Ea enim hæc est, qvod ista sua humilitate nos extollere, paupertate ditare, deformitate pulchros reddere, verbo, contrariis luere contraria & ipsa status sui ignobilitate præbere nobis humilitatis exemplum debuerit. Qvam qvibus argumentorum nervis, qvibus vulneribus & ictibus confodiat Vavassor, haud injucundum erit percipere. Ita ille, cap. I. §. 7. p. 32. s. *An plecti in eo & damnum facere Christus voluit ad hominum salutem, qvo sæpe sunt homines abusi ad suam pernicie-*
m? Bellè sanè dicitur, atq; in genere etiam verè. Sed vide qvæso, si tot tamq; dispares ærumnarum ac miseriarum modos tanqvam è regione taxes, qvot qvamqve diversis modis homines singuli deliqverunt,
ne

ne duriorem illam provinciam imponas, qvam fuit ejus providentiæ, sibi depoſcere. Et ſi non dignatum forma dicis, qvod humana forma multa peccavit, ne corpore qvidem dignatum tibi dicendum ſit, qvod ab humanis corporibus nullum facinus, nullum ſcelus, nullum flagitium abfuit. Negẽ verò ſi perversè & improbè ingenio plerig; uſi ſunt, ea re minus ingenioſum: negẽ ſi rationem in fraudem malitiamq; converterunt, minus hominem fuiſſe unqvam confitebor. An denig; re & factis potius, qvam voce præire nobis ſtatuit, qvid & qvatenus eſſet maximis, qvæ ſunt apud mortales in precio, ornamentis corporis credendum? Qvaſi verò omnia edocti ſimus aut edocendi fuerimus exemplo! Et ſi fuimus, qvis qvam ſic Deo præſcripſerit, ut carendo magis qvam utendo, parſimoniam & temperantiam & omnium rerum nos modum edoceret. Itaq; cum juſtiores afferri nullæ rationes qveant, qvamobrem deformitatem ſibi dedita opera Chriſtus aſſumeret, tantoq; amore amplecteretur, cumq; iſtæ, qvibus adverſarii ſe rem obtinere confidunt, nihil admodum probent, qvod nimium probent; quid conſequens eſt, niſi ut qui omnia ſumma ratione fecit, noluiſſe videatur, quod cur vellet, nullam ſatis idoneam cauſam habuerit? ..... Ut igitur ſit oppido ridiculus, qui tarditatem & hæſitantiam linguæ & reliqua naturæ impedimenta ſuſcepta velit à Chriſto, qvi mores hominum erat oratione formaturus: ita non multo minus inſcitus putandus, ſi de eo dicat, ſibi vultum, qvi ſecundum linguam plurimum valet in cohortando & deterrendo, finxiſſe ad ſatietatem & faſtidium audientium, ad contemtum ſui.

XLIV.

XLIV. Porro si qvis adversus ista ita excipere velit, si non cæteris hominibus deterior redditus sit qvoad formæ conditionem Christus, saltem superiorem fieri non debuisse, cum *debuerit fratribus per omnia similis fieri*; Hebr. II, 17, eidem facile profecto respondeo: qvi itaqve factum fuerit, non in complurimis rebus fratribus suis redditus sit inferior, utpote & pauperior & contemptior? ut in aliis pluribus superior ac eminentior, utpote in sapientia ac scientia & valetudinis firmitate? Si vero formæ venustate excelluit, iis saltem è fratrum suorum numero asſimilatus esse intelligitur, qvi eadem formæ pulchritudine præ cæteris valuerunt. Nempe locus Apostolicus de similitudine loqvitur non qvalitatum & accidentium, sed substantiæ & essentiæ, adeo ut nec ea omnia complectatur, qvæ essentiam alias ordinariè & necessario consequuntur. Nam & in eo dissimilis fuit Christus fratribus suis, qvod humana ejus natura propriâ subsistentiâ seu personalitate caruit, qvâ homines de cætero omnes gaudent. Si itaqve eâ in re, qvæ cum essentiâ alias indivulso nexu cohæret, qvamqve ab essentiâ humana separabilem esse nulla mens hominum, si extra hoc exemplum fuisset, unqvam cogitasset, differre tamen, non obstante prædicata ab Apostolo rerum omnium similitudine. à reliqvis hominibus potuit: qvid impedit, qvo minus & in aliis, qvæ ab humana essentia remotiora sunt,

pecu-

peculiare qvid posfidere & nonnullis præ aliis præcellere prærogativis potuerit? Qvis est hominum in universo orbe, qvin deinde cum infirmitatibus & corporis qvibusdam ægritudinibus conflictetur? At verò nec ullis unqvam obnoxius Christus fuit morbis, nec cum ullis infirmitatibus & corporis languore colluctatus. Itaqve nec hic locus adversariis ullo modo patrocinatur.

XLV. Præterea jam suo loco monuimus, exinanitionis dispensationem primò propriè-qve evacuationem tantum, ut Biblica voce utamur, attributorum vere Divinorum, utpote omnipotentiæ, omniscientiæ, omnisapientiæ, omnipræsentiæ, uno verbo, communicatæ Divinæ majestatis dixisse, qvibus, cum ea primo unionis & conceptionis momento possederit, ita tamen sese abdicavit, ut non nisi, cum vellet ac miracula ederet, uteretur. Qvod verò dona & qvalitates creatas, qvæ partim ad animam, ut scientia, sapientia, eloqventia, temperantia, justitia, cæteræqve, sive intellectum sive voluntatem perficientes, virtutes, partim ad corpus, ut optima ejusdem ad sanitatem dispositio, pulchritudo, rerum ad victum necessariarum abundantia, aliaqve pertinebant, concernat, aliam certè earundem esse rationem; & qvamqvam exinanitionis vis ad ea qvoqve secundariò diffundatur, non tamen eo modo, qvo fit in attributis increatis, hæc dona vel abolere vel usum

eorun-

eorundem sufflaminare, sed ex S. Literarum dictatis unicè discendum esse, qvid horum rejicere qvasi à sese, qvorumqve, dum in his terris viveret, carere voluerit. Ibi itaqve, ubi scriptura prorsus silet, intelligi non tantum accepta per unionem, sed & usurpata axiomata. Verbi causa: Poterat Christus vi unitæ sibi Divinitatis, qvæ omnes in se divitias complectitur, locupletisimus esse: sed edocemur è Scriptura, has ita abjeciisse divitias, ut nullis ullo vitæ tempore affluxerit. Poterât idem à primo unionis momento summâ & eminentisimâ scientiâ & sapientiâ uti; sed Scriptura testatur, qvamqvam summi gradus in puritiâ particeps esse noluerit, supra cæteros tamen homines omnes ita brevi eruditione creviisse, ut publicè qvasi miraculo omnibus esset. Poterat exqvisitisimi temperamenti sanitatem & vigorem obtinere; & reipsa non tantum obtinuit, sed eadem, innuente hoc haud obscure Scriptura, per totam vitam usus est. Qvid itaqve de pulchritudine dicemus aliud qvam, qvia eandem vi unionis cum aliis perfectionibus omnibus accepisse necesse est, eandem qvoqve, qvia contrarium Scriptura nullibi indigitat, revera exeruisse? Sicut enim, qvia nunqvam ægrotasse legitur Christus, ideò Scripturam ei constantem per omnes ætatis gradus valetudinem attribuere dicimus: ita, qvia nunqvam, nisi extremo vitæ tempore, deformis fuisse Christus traditur,

in-

intelligendum est, Scripturam constantem ei supra cæteros pulchritudinem adscribere. Ex qvibus omnibus, nisi fallor, clarissimè patet, frustra hic nobis toties exinanitionis nomen objectari, nisi simul ex indubitatis S. Literarum argumentis, quid illa è qvolibet carni Christi communicato dono qvasi decerpserit, qvid verò intactum illibatumqve reliqverit. ad oculum prius demonstretur. Qvod verò hactenus factum non esse, omnes animadvertunt.

XLVI. Deniqve communis est omnium Scholasticorum sententia, qvam nonnulli qvoqve hodie ex nostra Ecclesia amplectuntur, animam Christi ab instanti creationis, clarè Deum vidisse, qvam magno argumentorum robore firmat *Melchior Canus*, libr. XII. Loc. Theol. cap. XIV. p. 703. f. Qvam ut cum exinanitione Christi conciliet, notat hanc illam non sustulisse; qvippe per miraculum inhibitum esse, qvo minus operatio per hanc qvalitatem, qvod alias fiat, ad inferiores, hoc est, animales potentias transierit. Qvare & tristem fuisse Christum & simul ex visione Dei maximè gaudentem; potuisseqve per miraculum fieri, ut in unà eademqve potentiâ, nempe voluntate, & gaudium maximum fuerit & tristitia maxima. Cum autem dicatur, Christus profeciisse sapientiâ & gratiâ, id ita intelligendum esse, qvod magis magisqve insitam sibi scientiam manifestaverit; atqve ita

qvoqve dici, nesciviſſe extremum diem, nempe, ut aliis hoc revelaret. Falſa qvidem iſthæc ſententia eſt, ut è cæteris ſingulari induſtria oſtendit *D. J. G. Dorſcheus*, Lib. I. Theol. Zach. §. 197. p. 194. ſ. nos verò ex hypotheſi illâ hunc in modum inferimus: Si ideò Chriſti anima à primo creationis momento clarè Deum vidit, perfectâqve gaviſa eſt beatitudine, qvod Divinitati Chriſti perſonaliter & immediatè juncta fuit; [*qvanto enim receptivum propinqvius eſt cauſæ influenti, tanto abundantius & plenius recipit influentiam ejus*; ait Canus] ergo ejusdem corpus qvoqve à primâ generatione & deinceps eas conſecutum eſt perfectiones, qvæ viſionem Dei & beatitudinem perfectam ordinariè conſeqvuntur, inter qvas & corporis pulchritudo eſt, qvippe ſine qvâ beatitudo non eſt perfecta. Divinitas mare qvoddam eſt omnium perfectionum; qvo itaqve propinqvius copulata fuit corpori Chriſti, [copulata autem eſt proximè & arctiſſimè] eo plenius & abundantius ab hac perfectione influente omnem perfectionum copiam, qvas inter & venuſtas eſt, in ſinum qvaſi ſuum recepit. Porrò ſi non obſtitit exinanitio actuali viſioni Dei, ſed per miraculum utraqve ſimul conſtitit, ut ſimul intra animum ſuum maximè gaudens & maximè tamen triſtis fuerit Chriſtus: ergo ob eandem rationem non obſtitit pulchritudini ejusdem eadem exinanitio, ſed per miraculum ſimul pulcher, ſimul verò

verò deformis visus est Christus. Deniqve fidum nescisse diem extremum dicitur, hoc ita intelligendum est, qvod aliis non indicaverit, aut indicare necesse vel habuerit vel duxerit: ergo qvando deformis esse dicitur, hoc ita excipiendum est, qvod aliis talis apparuerit, revera autem talis non fuerit. Ex qvo seqvitur, pulcherrimum semper fuisse Christum in sese, & qvando haud pulcher apparuit, ejus rei causam in oculo potius, non cernente, qvam corpore Christi qværendam fuisse.

XLVII. Ultimum argumentum ab amore pulchritudinis deductum hoc est: *Nunc hoc qvidem certè molle ac tenerum, non amare, nisi extiterit formosior cunctis, aut eò amare duntaxat, qvia egregia fuisse forma prædicetur. An verò cum in epistolis Paulus unicè diligi millies præcipiat, omniq; Christianos execreatione, si non fecerint, devinciat, ullâ paginâ utitur tantâ ejus pulchritudine ad persvadendum? Qvid Alii Apostoli, ac discipuli? Qvid Patres ac Doctores deinceps reliqvi? Ulline, qvare amarent, hanc sibi fuisse causam, dixerunt, aut ita aliis authores amandi fuerunt, eamq; demum conditione tulerunt? Sed nobis, lepidis scilicet ac festivis mortalibus, ad meditationem ac studium rerum cœlestium, opus est Christo bello, & compto, & polito: qvem non satis animis nostris conciliet ac demereatur neq; admirabilis virtutum innumerarum decor, neq; fons & caput omnium elegantiarum, divinitas. Ut qvod ne puellarum qvidem parentes, si sani sunt, à generis exigunt ad conjungendas nuptias, hoc nisi cœlestis sponsus afferat, omnis*

ei affinitas ab hominibus renuncietur. Falsâ utitur tota hæc disputatio hypothesi, ac si qvisqvam eorum, qvi formam Christo pulchram asserunt, eandem pulchritudinem incitamentum esse amoris velint, adversus Christum habendi. Distinguenda sunt naturalia, inter qvæ pulchritudo qvoqve est, à moralibus. Multa in Christo sunt naturæ dona & nobilitates, ut corporis vigor & valetudo, qvæ tamen ad amandum Christum, non, nisi consequenter, qvatenus per hæc talia ad ipsius divinitatis cognitionem provehimur, alliciunt. Qvanqvam si diceremus allectos qvoqve pulchritudine Christi ad eundem complures, nihil insvetum aut absurdum diceremus. Opponamus hic Parisiensi Doctori Parisiensem Simeonem de Muis, qvi loco supra allegato: *Qvomodo Apostolos,* inqvit, *totqve hominum millia tam facilè ac cito ad se pertraxisset, allexissetq;, nisi qvidpiam in vultu sidereum, ut loqvitur alicubi Divinus Hieronymus, habuisset?* Nempe juxta vulgatum, *formosa facies muta commendatio est.* Et Carneades *pulchritudinem regnum sine satellitio* dixit.

XLIIX. Qvare cum Vavassor, cap. III. §. I. hunc in modum exorditur: *Qvidnam esse causæ putem, cur, cum sancti in omni memoria patres & prisci Christianorum scriptores diligendi Dei causas, qvas habemus innumerabiles & justissimas, collegerint, adhibuerintq; ad cohortandū, de tot nemo, qvod sciam, amorem Christi in animis hominum excitare conat? sit eo nomine, qvod is jucundo ore, qvamdiu vitam*

tam inter homines viveret, & eleganti qvandam & nitida illustriqve specie fuerit? ignorare non debebat, amorem Christo habendum duplici ratione considerari posse; aut ut ille fertur in eundem, ut salutis nostræ auctorem & consummatorem, qvatenus illum vera fide apprehendit, & certa fiducia amplectitur, inqve eo, ut summo animæ suo bono acqviescit, qvi amor spiritualis dici potest; vel ut fertur in Christum, sub ratione hominis aut personæ θεανθρώπε historicè spectatum; qvi amor possit vocari naturalis. Jam cum de priori amore ubiqve egerint sanctissimi patres, qvid mirum est, pulchritudinem eos, tanqvam ejusdem illicium, haud allegasse? Cum qvo intimius in animo spirituqve hominis Christiani is amor sedeat, eo vehementius internis Christi, qvam qvæ extremæ tantum cuti hæret, nobilitatibus excitetur. Qvemadmodum itaqve, cum qvis subditos ad amorem atqve venerationem Regis sui allecturus est, etsi is pulcherrimo vultu sit, longe tamen aliis argumentis, nempe rationibus intra Regem, ut rex est, latentibus, ceu regnandi peritia, prudentia, justitia, clementia, utitur, nec pulchritudine mentionem, nisi forte in tantum, facit, ut per hanc tam pulchram eximiamqve januam auditores ad considerationem interni regiarum virtutum ædificii deducat: ita cum ad amorem Christi Salvatoris nostri inflammant Ecclesiæ Doctores, argumenta conqvirunt, Redemptori no-

ſtro inſita, qvæ cum nemine alio ipſi ſint communia, nec formæ meminerunt, niſi qvantum illa ad internorum notitiam nos revocat. Cum itaqve de argumentis ad amorem Chriſti ſpiritualem proximè & immediatè moventibus qvæſtio eſt, hunc locum non occupant, niſi qvæ ita intra Chriſtum ſunt, ut ei ſint propria: cætera, qvæ ad naturalem perſonæ conſtitutionem pertinent, aut eandem, ut accidentia, cum cæteris hominibus communia, circumſtant, non niſi remotè concurrunt, adeoqve, ut fieri ſolet, in ejusmodi argumentorum claſſem vel nunqvam vel rarò adſciſcuntur. At verò ubi de naturali Chriſti amore, qvâ eundem & inimici ob qvasdam corporis animæqve virtutes proſecuti ſunt, ſermo eſt, & pulchritudo ejusdem, ut ratio propria atqve immediata, in numerum argumentorum moventium accedit. Id qvod nunc & teſtimoniis veterum & ipſius Vavaſſoris conſenſu luculenter ibimus probatum.

XLIX. Hieronymus itaqve, cujus verba ſupra etiam conſideravimus, in cap. IX. Matth. *Certè*, inqvit, *fulgor ipſe & majeſtas Divinitatis occultæ, qvæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat adſpectu.* Qvid hoc aliud eſt, qvam ipſum Chriſti adſpectum in amorem ac venerationem ſui complurimos rapuiſſe, id eſt, formam Divinitatis, è facie relucentis, cauſam fuiſſe amoris, ad Chriſtum trahentis? In Epiſtolâ ad Principiam: *Niſi ba-*

habuisset in vultu qviddam oculisq; sidereum, nunqvam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qvi ad comprehendendum eum venerant, corruissent. Ergo & in vultu Christi qvidpiam laudat, qvod diligendi ipsum causam discipulis præbuerit, nempe venustatem cum gravitate conjunctam. Chrysostomus, Hom. XXVIII. in cap. VIII. Matth. *Neqve enim solum erat in edendis prodigiis admirabilis, sed & omninò multâ gratiâ abundabat ad adspectum.* Itaqve forma externa, qvæ adspectui patebat, gratiam ipsi conciliabat & amorem. Qvid verò clarius illo Bernhardi, Serm. I. in Fest. omn. Sanct. *Prædicantem Dominum de civitatibus & castellis populi seqvebantur, qvorum salvabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter illius & adspectu delectati; cujus nimirum vox suavis & facies decora?* Adhærebant ei ob faciem decoram, delectabantur adspectu illius. Qvid hoc aliud est, qvam amore tam elegantis, tam gratiosi vultus abreptos vix divelli ab ipso potuisse? Fateor, hæc ideò tantum à patribus adduci, ut vultus Christi pulchritudinem qvalemcunqve inter cætera causam, qvaliscunqve amoris, qvi apud multos nonnisi naturalis fuerat, nec ad spiritualem religiosumqve adversus Christum affectum penetraverat, constituant, sed nec qvisqvam majorem ei efficaciam attribuit, qvæ tamen apta fuerat, internum qvoqve, si cætera haud deessent, amorem promovendi. Ut multi olim gentilium in Christianorum tem-

plasoli ornatus & ceremoniarum visendarum causa concedebant, qvibus tamen ipsis ad interiora primum cognoscenda, deinde amplectenda postea movebantur. Sed nemo tamen patrum, inqvies, istam Christi pulchritudinem, ut amoris in Christum incitamentum, hodie proponit, nemo in argumentum laudat, Christo adhærendi. Nempe mortalium omnium absurdissimi, si hoc facerent, forent. Qvis enim Christum ideò amandum esse suaserit, qvia qvondam pulcher fuit? Pulchra ideò amantur, qvia blandiuntur oculis; à qvibus si subtracta sint, qvomodo ad amorem movebunt? Possunt eqvidem & ea movere, qvæ à nobis remota, nec in usu sunt oculorum nostrorum, sed non tamen sub aliâ ratione, qvam in qvantum in potestatem nostram redigi, inqve usum nostrum possunt converti. Qvomodo verò id usurpari poterit, qvod olim in Christo fuit? Nam pulchritudinem, qvæ qvondam, non qvæ hodie, faciem ejus honestavit, si qvæ fuit, in amoris stimulum vult à patribus laudari debuisse Vavassor. Qvod si verò de hodierna, qva in gloria conspicuus est, Christi venustate loqvatur, qvis non videt argumentum inverti, inqve Vavassorem justissimè posse retorqveri? Si patres sanctissimi hodiernam, qvantumlibet incomparabilem, in cœlis Christi pulchritudinem, nunqvam ut invitamentum allegant, amoris erga Christum habendi, de qvâ tamen pulchritudine nemo

unqvam

unqvam ideò dubitavit; nec dubitandum ideò est de pulchritudine ejus, qva in carne qvondam effulsit, qvamqvam eandem non proponant in adhortationem amoris, qvo Christum complecti debemus. Conseqventia ideò firma est, qvia magis ad amorem movet pulchritudo præsens, qvam præterita, major, qvam minor. Atqve ideò patres, eò nomine, qvod Christus jucundo ore, qvamdiu vitam inter homines vixit, & eleganti qvadam & nitida illustriqve specie fuit, eos allectos ad ipsius amorem esse tradunt, qvi tum vixerunt & hæc formæ decora intueri potuerunt; stolidi autem fuissent, si ex regula Vavassoris eos pellicere hoc argumento ad amorem Christi voluissent, qvi nec viderunt unqvam istam suavitatem, nec videre potuerunt, qvippe qvi ob hanc ipsam causam, qvod pulchritudo qva Christus hodie gaudet, nemini conspicua est eandem ut amoris blandimentum extollere prorsus intermittunt.

L. Qvis verò Vavassori rectius qvam Vavassor ipse opponitur? Is itaqve eo loco, ubi omnem à Christo deformitatem devolvit, cap. I. §. 8. p. 33. s. isthæc in verba perorat: *Quod si omnem à Christo deformitatem jure optimo rejecimus, quia nullam ad rem arbitremur conducere, quantò magis rejici par est, si & ejus & nostris rationibus plurimum obesse, ut revera obest, intelligamus? Etenim cum susceptas esse constet à Christo partes duas adtuendum veri perfectig; Servatoris munus, alteram patiendi,*

andi, qvo nos errore liberaret; cumqve in hac, ut satisfaceret, prodire debuerit in publicum, cœtibus & conciliis interesse, agere cum proceribus, apud populum dicere, se hominum generi dedere universos; si non effecit, ut omnes ad se audiendum omni arte pelliceret at ne qvem meritò à se alienaret atqve ab audiendo qvoqvo modo deterreret, sine dubio cavit. Porrò autem dici non potest, qvid facies & vultus & ea, qvæ in specie posita sunt, afferant, qvantoq; opere juvent, non solum ad delectandos animos, sed etiam ad erudiendos ac permovendos; ut tacita frons & oculi loqvantur & faciant audientiam sibi, priusq; qvam voces & verba & oratio persuadeant. Ad qvæ animum si qvis attendat, illud jam mirari desinat, si ex auditoribus pleriqve sibi non ante satisfaciant, qvam ora atqve oculos intueantur illius, cujus verba auribus excipiunt, vixqve eum existiment à se, qvi non idem visus sit, auditum. Qvod cum ita sit, qvis non intelligit, habere plurimum offensionis & molestiarum, sive in congressu & colloqvio familiari, sive in publica dictione, qvicqvid turpe ac vitiosum, præsertim si insigne & perpetuum sit, vultu promptum appareat, ipsumqve causæ suæ nocere, si qvis fœdus ac vultuosus & qvasi personatus committat se multitudini deridendum potius, qvam audiendum, ac primo adspectu fastidium odiumqve sui propter singularem pravitatem aliqvam ingeneret? Qvid Christus autē? non animadvertit unus omnium, minus se gratum in vulgus acceptumqve visum iri, segniores ad conveniendum & seqvendum populos fore, si sic aliorum ac prope sui dissimilis prodiret in conspectum, agresti oris habitu, minimeqve apta compositione corpo-

corporis; aut cum animadverteret ac facile vitare posset, accommodata ad hominum societatem forma uti neglexit? Fecit hoc qvidem in omni cultu vitæ, ut tritam qvandam & popularem, neq; abhorrentem abusu qvotidiano, viam ac rationem seqveretur. Non Johannis, antecessoris sui, ex pilis camelinis amictum, aut ex pelle renonem induit, non sylvestrem ac ferinum victum adhibuit, non jejunia stata & perpetua imitatus est, non captavit latebras & solitudinem. Qvorsum ist hæc? ut facilem ad se aditum aperiret omnibus, non sibi ad qvemqvam clauderet. Qvi, si idem Johannes, qvoniam huc incidi, illo duriore & austeriore instituto, non perhibetur specie fuisse deformi, cum rusticaretur, cum apricaretur, cum in solis & desertis locis sub dio humiq; pernoctaret & à primâ ætate callum qvoddam jam obduxisset corpori, qvid nos in Christum, vivendi viam non eandem ingressum, hoc vitii conferre cogit? Aut qvæ demum est ista ratio, ut in tanta vitæ insolentia communem omnium qvandam oris honestatem Johannes retinuerit, in tam communi agendi more ac modo peculiarem sibi deformitatem oris Christus de industria conciliarit?

LI. Qvid hæc sibi singula volunt, qvam pulchrâ oris specie Christum omnium se, vel audientium vel spectantium derivasse in se amorem atqve favorem? Atqve ut Christus, ad officium suum cum successu peragendum, omnibus amabilis esset, pulchritudinem ei prorsus necessariam fuisse? Neqve enim secundum Vavassorem dici potest, qvid faciant facies & vultus, qvid afferant non solum ad delectandos

dos animos, sed etiam permovendos. Eleganter utiqve auctor Religionis Medici, Patr. alt. Sect.II.p.340. *Enimvero*.inqvit, *artem qvandam physiognomicam esse arbitror, qva clasfici isti rogatores,* (qvos nempe Germani die Steigs Bettler appellant) *usi misericordem oris aspectum continuò internoscunt & in qvo vultu signaturas & indicia humanitatis conspiciunt, eum è media turba sibi adoriendum seligunt. Habet enim vultus mysticos qvosdam characteres, animam ipsam exprimentes, qvorum alphabetum qvicunq; calleat, ingenium ipsum ex fronte legerit.* Qvo itaq; qvis pulchriori facie est, eo Divinius de eo divinamus ingenium, cumqve juxta Aristotelem lib.I. Polit. c. III. *non tam facile sit animi pulchritudinem, qvam corporis intueri*, natura plerumqve hoc præstat, ut qvalem cuilibet homini animum finxerit, in ipso qvasi frontis vestibulo manifestet. Qvamqvam enim nonnunqvam existant animo qvam forma meliores, nonnunqvam verò formositas corporis cum deformitate certet mentis, adeoqve decipiant multoties, qvæ ex vultu habituqve sumuntur de hominum indole atqve moribus conjecturæ, si præsertim negligentius exerceantur, in Christo tamen nulla prorsus causa est, cur habitus corporis cum habitu mentis non amicissimè conspiret. Ex qvo ipso non tantum id seqvitur, qvod infert Vavassor: non deformem esse debuisse Christum, sed & id, qvod nos volumus: ideò externas signaturas pulcherrimas fuisse, qvia ab interna

interna ejus constitutione non discreparunt. De Alcibiade, *omnium*, ut ait Æm. Probus, VII. 1. 2. *ætatis suæ multo formosissimo*, Plutarchus, in Vit. Ej. *De venustate*, inqvit, *Alcibiadis formæ nihil fortasse refert dicere, nisi qvod & puerum & adolescentem & virum, cum omni efflorescens ætate corporis & articulis amabilem reddidit & jucundum. Neqve enim, ut Euripides dixit, omnium pulchrorum etiam pulcher autumnus est: verum id Alcibiadi inter raros alios ex corporis indole & temperatura suppeditavit.* Qvid itaqve Christo, qvi longè perfectiori corporis constitutione atqve temperamento fuit, natura non suggesserit formæ, ut eundem amabilem redderet & jucundum? Qvid? qvod Vavassor, cap. IV. §. 10. p. 131. ubi locum qvendam Chrysostomi interpretatur, concedat qvidem, eundem majorem ibi præreliqvis hominibus Christo tribuere pulchritudinem, sed temporaneam tantum, qvæ diuturnitatem non haberet; *qvâ*, inqvit, *velut per transennam ad subitas & majores qvasdam animorum conversiones commutationesq; aliqvando uteretur.* Qvid hoc est, nisi majorem pulchritudinem majorem qvoqve excitare amorem & venerationem? Christumqve aliqvando pulchriorem factum esse, ut magis in se oculos animosqve hominum converteret, eosqve sibi lucraretur? Qvi itaqve negare potest Vavassor, Christum ideò etiam & ob hanc causam diligi debere, qvia corpore formosissimus est, cum ideo se formosum exhibuerit, ut eo impensius ama-

amaretur? Nemo eqvidem tam demens fuerit, qvi ob solam corporis pulchritudinem amore complectendum esse dixerit Christum, cum tot tamqve infinitæ in ipso habitent amoris illecebræ; temeritate tamen non caruerit, qvi corporis qvoqve pulchritudinem è consortio causarum, amorem nobis Christi suadentium, relegaverit? cum amore dignum sit, qvicqvid perfectum est, singula verò in Christo sint perfectissima.

LII. Atqve hic hactenus pro sententia sua pugnavit argumentis Vavassor; qvæ qvâ vi singula concludant, cuilibet judicandum, si hæc legere tanti habuerit, relinqvo. Nunc, qvid in cæteris qvoqve, qvas ad rem totam illustrandam subnectit, propositionibus, veri lateat, falsiqve, qvid nobis vel commodi, vel adversi, dispiciendum est.

LIII. Propositio itaqve ejus qvarta hæc est: cap. III. n. IV. §. I. p. 99. *Pro certo habemus, nihil accessisse Christo ad formam cultu ipso corporis, decessisse verò plurimum de forma, tum susceptis laboribus, tum cruciatibus toleratis.* Eqvidem hoc ipsum & in limine hujus tractatus, cum de statu controversiæ ageremus, & sæpius alias, inculcavimus; sed cum Christum Vavassor ubiqve, ut unum aliqvem nostrum, neqve robustiore neqve nobiliore natura præditum, concipiat, per neglectum corporis cultum, perqve labores & dolores exantlatos, longè facilius dissolutam fuisse corporis Christi elagantiam,

qvam

qvam nos, persuasus est, qvi ab omni internâ corruptione immunem & præsidiis præterea, fracta externis injuriis formæ decora reparandi, instructum pronunciamus. Si itaqve Alcibiadi secundum Plutarchum, paulò antea adductum, formam per omnes ætatis vices gradusqve intemeratam conservavit ἡ εὐφυϊακὴ ἀρετὴ τοῦ σώματος, qvamvis nec de industria excoluerit formam, neqve aliud agens adhibuerit qvicqvam, unde nitidior & qvasi illustrior existeret vultu, qvin & externis se freqventer ultrò objecerit injuriis: qvanto magis id præstiterit perfectior longè & omni vitio carens in Christo corporis indoles & temperatura, qvamqvam neqve pulchritudini operam unqvam dederit, nec cogitationem etiam ullam de ea suscipiendam censuerit? Neqve tamen diffiteor, toleratas à Christo varii generis injurias & factos in corpus ipsius impetus & magnitudine & atrocitate & immanitate in tantum cæterorum hominum superasse, in qvantum sæviores sunt inferni qvam præsentis mundi cruciatus; adeoqve verum utiqve esse per istas, inprimis ultimi temporis, ubi ad fastigium qvasi pervenerunt, passiones de pulchritudine Christi subinde aliqvid decessisse.

LIV. Cum de cultu corporis loqvimur, muliebrem & immoderatum à necessario & honesto, qvi & viros decet, rectè distinguit Vavassor. *Istud qvidem onus*, inqvit, *ista provincia mundulos istos urbanos amasios molles regum ephebos*

ephebos, aut purpuratos maneat. Vel mulierulis concedatur potius, qvibus nihil est à natura datum majus, aut maximum naturale bonum suum otiosâ sedulitate perpoliant &, qvantum in ipsis est, amplificent, bonasqve hic horas, qvas non didicerint collocare melius, consumant. De cultu verò virili, qvi ad vitam honestè tuendam necessariò adhibetur, qværi potest, qvousqve genio Christus indulserit, qvid & qvantum vel appetitionibus naturæ, vel statui, in qvo vixit, licere existimaverit, qvem ad finem id, qvod humanus, & communis usus postulavit, direxerit? Qvam qvæstionem cum in tria qvasi segmenta dirimat Vavassor, considereteqve partim victum, partim vestitum, partim curam corporis, qvibus usus est Christus, eodem prorsus ordine vestigia ejus insequemur.

LV. Primum itaqve, qvæ de victu Christi circa Vavassoris de eo discursum annotanda fuerant, in superioribus occupavimus, cap. III. §. XCII. s. p. 579. s. Qvamqvam enim eundem parcum frugalemqve, & qvandoqve infra satietatem fuisse non inficiemur, nulla tamen causa est, cur unqvam necessario alimento destitutum fuisse dicamus. Ea qvæstio, utrum ad mendicitatem usqve pauper fuerit Christus, & superioribus seculis & præsentibus, ea affectuum dominatione qvorundam ordinum monachos vexavit, ut qvi mendicitatem vel amaverant vel professi fuerant, eundem omni vi & conatu mendicum fin-

finxerint, cæteris in paupertate ejusdem acqvieſcentibus. Refertqve Jo. Marius, Belg. de Schiſm. lib. II. c. XXI. p. 400. Petrum Corbarienſem, Anti-Papam in Concilio decreviſſe: *Jeſum ejusq; diſcipulos adeò pauperes fuiſſe, ut nihil neq; in commune neqve privatim habuerint*; qvod verò paulò poſt in Concilio Avinionenſi à Clemente V. P. R. rejectum fuerit atqve damnatum. Neqve propoſitum nobis eſt, hodierna religioſiſſimorum fratrum bella referre, cum nobis ubiqve in aures inſonet vox Servatoris ad diſcipulos: *qvando miſi vos absq; crumenâ & perâ & ſoleis: nunqvid defuit vobis? Ipſi verò dixerunt: nihil.* Luc. XXII. 35.

LVI. Deinde de veſtitu ſeqventem in modum ſancit: *Jam non ſum neſcius, ſicut virtute formæ id plerumq; evenit, ut deceat, qvicqvid veſtium induatur: ita, qvicquid à naturâ habetur formæ, à veſtibus videri, qvadam qvaſi vicinitate & mutuâ communicatione utilitatum, majus & amplius. Sed in Chriſto, qvid fuit ejusmodi, qvod muniret corpus contra injurias locorum ac temporum, qvodq; publicæ honeſtati ac pudori conſuleret, unde formam qvoq; commendaret magis? Tunicane ſimplex & uniusmodi, qvæ, ut nullâ ſutura, ita nulla conſtabat arte? An reliqva veſtimenta, non obſoleta illa qvidem, nec ſqvalida; neq; enim credere par eſt, Chriſtum illuviem ſecutum & pædorem aut ullas ſordes: at non duplica certè, qvemadmodum diſcipulos habere vetuit, hoc eſt, qvæ non mutavit, niſi trita & confecta uſu, qvorumq; nihil in inſtrumento ſepoſitum ac reconditum habuit, vel ad*

commoditatem vitæ vel ad ornatum? Non enim existimandum est, invitatos precio milites qvatuor, posteaqvam Christum egissent in crucem, ejus in partes æqvas totidem vestem scidisse, ne plusculum qvid optimi panni alius alio sumeret, sed homines tenuissimos, qvi carnifices se ac tortores præbuissent, qvod suum erat, licet vile per se & maculosum & sanguine infectum sustulisse, neq; minimam sibi lucelli particulam perire voluisse. Nec verò formosiorem te, Domine Jesu, amictus reddidit vel candidus, qvo cum Herodes te per ludibrium à se dimisit, vel purpureus, qvem in humeros tibi, pari ignominiæ nota, Romani milites injecerunt. Tametsi hac utraq; veste, qvam mea causa induisti lubens, magis places, majori te amore amplector sic honoris simulatione fœdatum, majori veneratione prosequor, qvam si in Cois ac Tyriis, ornatuqve triumphali, multo auro, multisq; gemmis, incessisses. Vestitus ita q; vulgaris & qvotidianus, lana patria, neq; artificiosius elaborata, qvo Christus, qvantum apparet, usus est, nihil decoris accersivit corpori.

LVII. Qvamqvam hæc sententiæ nostræ, in præsenti exercitatione defensæ, nihil obsint, cum tamen ad exteriorem Christi formam cognoscendam qvidpiam faciant, non absre erit, si singula paulo fusiore consideratione prosequamur. De tunicâ inconsutili pronunciat Vavassor, simplicem eandem & uniusmodi fuisse &, ut nulla futura, ita nulla constitisse arte. Qvo pacto id vestium genus confectum fuerit, nondum usqveqvaqve constare inter eruditos videtur. Inter opiniones

celebriores prima *Cl. Salmasii* est, qvi Com. ad Fl. Vopisc. ἄῤῥαφον χιτῶνα ait esse tunicam, qvæ circa latera conclusa est & acu consuta, ut sunt nostræ interulæ & camisiæ lineæ, cui opponit τὰς χιτῶνας, id est, tunicas, qvæ circa latera apertæ erant & fibulis adstrictæ. Qvam sententiam cæteri ferè omnes hoc argumento convellunt, qvod, si acu consuta fuisset, inter milites perinde, ut vestes reliqvæ, potuisset dividi, qvod tamen eo ipso, qvia fuit ὑφαντὸς δι' ὅλου, factum fuisse aut fieri etiam potuisse, ut partes usui cuipiam essent, negatur. Qvamqvam enim regerat Salmasius, nec ad qvicqvam profuisse partes, si semel consutæ resuerentur; falsum tamen id esse, non immerito respondet *Oct. Ferrarius*, lib. III. de Re Vestiar. c. XVI. p. 219. *Nam*, inqvit, *qvemadmodum diviso pallio in qvatuor partes, certè partes illæ pallii vicem præstare non potuerunt, alterius tamen minoris vestimenti; nam aut palliolum ex iis confici potuit, aut tunicula, aut manicæ, thoraxve: eodem modo si tunica illa consuta fuisset divisa ac resuta, tunicæ qvidem usum præstare non potuit, ex partibus tamen sic divisis, qvid vetuit thoracem confici, manicas, orarium? Qvod manifestum est in camisiis nostris & interulis lineis. Nam si qvis resuat & scindat, non tamen penitus peribunt, sed & linteola & sudaria & pedules & alia minora nihilominus conficientur. Secus in tunica inconsutili, sive inconsuta: qvæ si divisa, ideò tota peritura erat, qvod nullas suturas haberet, sed per totum contexta esset.* In eundem Salmasium acrius invehitur

Albertus Rubenius, lib. I. de Re Vestiar. veterum, præcipuè de Lato Clavo, c. IX. p. 57. pluribusqve confodit rationibus; utpote qvod tunica ista extra dubium fuerit, ut talaris Pontificum Hebræorum, de qvâ Josephus, libr. III. Antiqv. cap. VIII. *Hæc*, ait, *tunica non constat è duabus plagulis, ut futuras habeat in humeris ac lateribus. Est verò tela longitudinem texta*; qvi locus solus satis destruat opinionem Salmasii. Fuisse enim illam tunicam non à lateribus apertam, sed solummodo circa capitium, & illic, qva manus exerebantur. Unde Philonem appellare vestimentum rotundum totum, undiqve hyacinthinum; & Josephum στρόγγυλον ἔνδυμα, *vestem rotundam*.

LVII. Vir itaqve ex longo jam tempore celeberrimus, *Octav. Ferrarius*, postqvam & aliis ex fundamentis novam Salmasii opinionem confutasset, utpote, qvod si ineò inconsutilis dicta fuisset Christi tunica, qvia fibulis non connexa, sed consuta esset, omnia vestimenta consuta dicenda forent inconsutilia; qvod fibulæ ῥαφαὶ haud dicantur, nisi impropriè, qvia futuræ loco sint; qvod tunicæ pleræqve fuerint consutæ, paucissimæ fibulatæ; qvod ad minimum interiores tunicæ, qvæ subuculæ vel interulæ vocantur, consutæ omnes acu fuerint, nullisqve fibulis constrictæ, qvod corpori pressæ & ad frigus arcendum velandumqve essent clausæ, qvâ ratione nihil in tunicâ Christi peculiare notassent Evangelistæ;

stæ; suam atqve secundam opinionem in eam sententiam exponit, qvod sarcinatoris acu minimè, nullaqve in parte consuta, sed instar subucularum & tibialium, qvæ apud nos serica vel lanea tota simul texuntur, non qvidem pectine, & in telâ, sed per acus longiores reticulatim conficiuntur, tunica ista facta fuerit. Ideò enim dici ἄνωθεν, *desuper*, id est, sursum versus, sine acu solis manibus, ut nunc reticula & muliebres calanticæ fiant, contextam, & per totum, id est, in orbem, & totam simul, sine ulla scissura, qvæ acu committenda esset. Inde nec à militibus esse divisam, qvia hujus generis vestimenta, si dividantur, ut sunt tibialia, subuculæ ac reticula, nulli alii omninò usui esse possint; tota enim perire, cum subuculæ lineæ consutæ, qvalem velint fuisse tunicam illam, si scindantur, alium usum præstare possint. Qvam viri doctissimi sententiam video à plerisqve hodie probari; cum & Festus suo tempore scripserit, *vestes* dari *rectas, qvas patres liberis suis conficiendas curabant ominis causa, sic dictas, qvod in altitudinem sursum versus & à stantibus texerentur*; & Euthymius tradat, Christi tunicam fuisse à partibus superioribus contextam, *veluti sunt*, inqvit, *apud nos capitis aut pedum hiemalia integumenta*, nempe reticulatim facta, ut nos Germani loqvimur, gestismet oder gestricket.

LIX. Huic opinioni tum vehementer obstare videantur duo illustrium patrum loci;

unus Chrysostomi, qvi Hom. LXXXIV. in Johann. interprete Ferrario, scribit: *Alii genus qvoddam tunicæ ab Evangelista notari dicunt. Siqvidem in Palæstina duos pannos committentes ita vestes contexunt; qvod significans Johannes ait desuper contexta:* Alter Theophylacti, qvi more suo Chrysostomi verba describens, qvædam de suo adjecit: *In Palæstina duos pannos committentes texunt vestimenta, pro futura utentes contexturâ.* Hi enim reticulatum laborem rejiciunt & contexturum duorum pannorum, ad vestes inconsutiles, commendant, ad Palæstinam, cujus ipsis mores & consuetudines, aut artificia etiam, cum ibi locorum vixerint, ignota esse non potuerunt. Qvare tertia hinc eorum surgit opinio, qvi tunicam inconsutilem vestimentum pectine contextum fuisse statuunt. Isaacus qvidem Casaubonus in Exertitationibus, nescire se ait, an alii verba è Chrysostomo & Theophylacto allegata intelligant, se qvidem vix satis assequi. *Neqve ipse*, inqvit Ferrarius, *qvid sibi ea velint, capere possum. Qvi enim illa duorum pannorum commissura per texturam confici potuit? Qvam texendi rationem ideò fortasse non assequimur, qvia intercidit; vel eam nobis explicent, qvi nihil ignorant.* Sed, qvantumlibet hic à nobis ignoretur hodie texendi modus, rem ipsam tamen, cum de cætero recentior ista reticulatim qvædam vestimenta conficiendi ratio ignota antiqvis fuerit, negandam ideò non esse Albertus Rubenius censet: *receptæ*, ait, *opi-*

nioni,

nioni, cui Ferrarius accedit, eam textam fuisse, non quidem in telâ, sed per acus longiores, ut subucula & tibialia nunc reticulatim conficiuntur, obstat, quod artificium hoc texendi veteribus fuit incognitum, nec usquam ejus mentio apud auctores. Inveniendâ igitur alia ratio texendi, quâ hoc & Pontificum tunica in orbem texta fuerit ἀῤῥαφως.

LX. Quicquid verò sit de artificio, de quo forte citra omnem dubitationem temerè quis pronunciaverit, nec de precio videmus convenire eos, qui suas in hanc tunicam ediderunt meditationes. Neque enim desunt inter doctissimos viros, adnotante Ferrario, qui prodant, putasse omnes veteres ac recentiores, peculiare artificium & texturæ speciem non vulgarem in Domini tunicâ notari à Johanne. Existimatque amicus meus, qui propediem diligentissimum in omnem rem vestiariam Judæorum Commentarium editurus est, confectam hanc tunicam artificiosâ matris Mariæ manu fuisse; solitas enim esse matres filiis in officio constitutis quasdam honoris decorisque causâ conficere vestes, ad morem Hannæ, quæ Samuelem suum hoc munusculo quotannis exhilarasse legitur. 1. Sam. II, 19. Alii verò, quos & Ferrarius sequitur, statuunt, hanc tunicam vestis genus minimi precii fuisse, nec arte ullâ elaboratum, nec nisi ab infimâ plebe usurpatum. Quamvis autem nobis verosimilius videatur, inconsutilem hanc tunicam interiorem potius quam exteriorem ve-

ſtem fuiſſe, qvalem nos vel ſubuculam vel interulam vocamus, cum & pallio interiorem fuiſſe, ex Luc. VI. 29. apertè colligatur, & Theophylactus ex veterum traditione aliqvoties tuniculam appellat, non tamen, qvo precio, qvâ arte, qvâ æſtimatione fuerit, indubiè definire licet. Hodie eqvidem ad eam, qvâ veſtes gerimus, conſvetudinem, interulæ præcipuum veſtibus cæteris decorem atqve ornatum præſtant, de illis autem priſcis temporibus, qvamqvam nihil certi exploratiqve fas ſit pronunciare, nondum tamen, qvæ ad hujus veſtis vilitatem probandam hactenus adducta ſunt, exploratam hujus rei certitudinem conficere videntur. Nam nec Baronii ea eſt auctoritas, ut citra ſufficientem probationem nudè aſſerenti credere debeamus, cujus fidem multis exemplis ſuſpectam reddidit Caſaubonus, redditurus infinitis, ſi vita viro, longior obtigiſſet. Nec adeò incredibile eſt, alicujus precii veſtem Chriſtum geſtaſſe, qvamqvam Johannis ſanctitatem commendans dixerit: *qvi mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Nam nec omne molle precioſum eſt, nec omne precioſum molle. Cumqve hoc ipſo hirſutas durasqve Johannis veſtes laudaverit, qvis auſit dicere, eum mollibus uti veſtibus, qvi non indutus illiuſmodi fuerit? Nec, qvi vices Chriſti tenet, Romanus Pontifex, qvemqve nihil decet, qvod Chriſtum dedecuit, aut molles precioſasqve, gemmis margari-

garitisqve ornatas, aversatur vestes, aut easdem concedit à Christo ullibi prohibitas esse. Nec deniqve Isidorum Pelusiotam aut Chrysostomum, qvi qvatuor à nato Christo seculis abfuerunt, simpliciter ita audire debemus, qvin ab iis dictorum reqviramus rationem. Qvamqvam enim illæ scribat, Lib. I. Ep. LXXIV. *Qvis vestis illius vilitatem ignorat, ut quâ Galilæorum pauperes utantur? Apud eos enim maximè hujusmodi vestis genus fieri solet, ut pectoralia sursum versus contextum:* Hic vero, l. c. *Quod mihi dicere videtur, ut vestimentorum vilitatem ostenderet. Nam quemadmodum in aliis omnibus, ita in habitu vilem speciem præferebat*; ex qvorundam tamen duntaxat mente isthæc scribere illa satis arguunt, qvod Theophylactus, postqvam more suo Chrysostomi verba recensuisset, aliorum opinionem, à priori scilicet diversam subjicit: *alii autem dicunt*, ait, *quod in Palæstina contexantur licia, non sicut apud nos; Nam supra quidem est filum, infra autem contexitur panno & ita regressio fit; sed contrario modo; infra enim sunt fila, in summo autem contexitur contextus: & talis quoque fuit tunica Domini.* Nescio, utrum de his etiam ex certioribus documentis decernat in Tunica inconsutili, magnus qvondam Theologus, D. Dorscheus. Nam hic liber, qvod fatum est præsentis temporis, mihi, dum hæc scriberem, non erat ad manus.

LXI. Cum itaqve exploratæ fidei non sit, ad ornatum an ad necessitatem tunica ista in-

consutilis fecerit, [neqve enim argumentari licet: nulla fuit futura; ergo nulla constitit arte; qvæ enim, qvam artificiosa, qvantiqve precii arte Phrygionicâ, qvæ futurâ nullâ utitur, conficiuntur? Nec etiam ita inferre licet: tunica fuit simplex & uniusmodi; ergo nulla arte, nullo precio: sæpe enim panni texuntur purissimi atqve simplicissimi, qvibus precium ipsa puritas & simplicitas, non ars ulla, conciliat] amplius qværitur, an pluribus, qvam una, vestibus usus fuerit Servator? Qvam certè qvæstionem simpliciter negat Vavassor, partim, qvia tales discipulos habere vetuit, partim qvia improbabile sit, qvicqvam mutatoriarum aut duplicium vestium in instrumento sepositum ac reconditum habuisse.

LXII. Festivarum vestium, id est, splendidiorum, qvarum vel diebus festis vel solennitatibus aliis destinatis, sacrisqve usus erat, freqvens in sacris mentio est. Vocantur מחלצות, *ab exeundo*, qvia הוצאים, *sordidæ* & excremento infectæ exuebantur, cumqve הטהורים, *mundis*, *purisqve* permutabantur, vel potius, *qvia labores suos acceßuri eas deponebant*, ut ad Zach. III, 4. notat Joh. Qvistorpius. Unde & החליפות, *à mutando*, Gen. XLV, 22. eò qvod aliæ, novæ ac recentiores essent à qvotidianis, in nuptiarum inprimis solennitatibus consuetæ; Jud. XIV, 19. appellantur, Genes. XXVII, 15. חמודות, *desiderabiles* audiunt, qvia qvotidianis & attritis elegantiores erant,

erant, magisqve delectabant. Has cur neget Vavassor Christum habuisse, & depositis qvotidianis festis diebus induisse, nulla ratio est, sed argumenta potius non exigui momenti sunt in promtu, qvæ ipsum talibus destitutum haud fuisse prorsus persuadent. Nam qvis hodie etiam inter pauperiores est & ferè infimæ conditionis homines, nisi forte pædorem atqve illuviem ultrò affectetur, qvin paratam ad solennes dies vestem in cistula habeat reconditam? Potuit Christus tantum discipulorum numerum vel ex suo sustentare vel ex alieno, & non potuerit vestem sibi ad sacrorum dierum usum honoratiorem acqvirere, ac in instrumento sepositum habere? Qvi jusit ob nuptialis vestimenti defectum qvendam hospitem in exteriores præcipitare tenebras, is, cum nuptiis interesset Cananæis, nuptiali ipse caruerit veste? Lamachus, Athenienſium dux, adeò pauper fuit, ut cum Athenienses eum ducem creassent, aliqvantulum ei pecuniæ ad pallium & crepidas comparandas decerni necesse fuerit. At nihil qvicqvam unqvam defuisse Christo rerum necessariarum, qvas inter & festiva indumenta rectè posueris, non obscurè colligitur ex Luc. XXII. v. 35. Epaminondas, teste Æliano, una tantum veste contentus erat, qvæ ubi reficienda esset, domi se continebat. Phocion verò una veste eademqve cum uxore utebatur, apud Plutarchum, qva indutus cum esset, uxor domi

mi manebat, & contra, Ejusmodi si qvid singulare habuisset Christus, non utiqve reticuissent vitæ ipsius scriptores. Qvare dubium mihi non est, sacris omninò diebus peculiares mundasqve Christum, qvi Sabbathi honorem sanctum illibatumqve semper conservabat, gestasse vestes.

LXII. Utrum verò Christus plures simul portaverit vestes, qvod cum Vavassore plerosqve video pariter inficiari? alia qvæstio est. Doctissimus vir, Octavius Ferrarius, libr. III. de Re Vestiar. c. I. p. 175. hanc affert pro sententia negante rationem: *Qvoniam autem idem mos*, nempe duas pluresqve tunicas gerendi, *apud Judæos vigebat, Christus Dominus severius vitæ institutum formans vetuit discipulos duas gestare tunicas. Matth. X. Nolite possidere aurum atq; argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neqve duas tunicas, neqve calceamenta.* Qvem & Vavassor noster, hanc rationem allegans, seqvitur. Sed profecto nihil usqvam magis dubium fuit, qvam illa, qvæ ex præsenti loco deducitur, conseqventia. Sunt enim non tantum inter nostros, sed Romanæ etiam partis Doctores, qvi præceptum hoc prorsus temporaneum & personale fuisse statuunt, qvod solos Apostolos, ut tales, & qvidem isto tantum tempore spectatos concernat; adeò ut alio tempore non aliis tantum Ecclesiæ ministris, sed ipsis etiam Apostolis, sive auro sive argento sive pera sive duplici veste, sive calceamen-

mentis uti licuerit. Adducit D. Gerhardus, Comm. in h. l. in hanc sententiam Joannem de Turrecremata, Joannem Arboreum, Barradium Trinum, Conzenium, cujus hæc sunt verba: *Hoc de auro, soleis, aliisque ad hanc unicam & temporariam missionem pertinebant. Nam postea cum in omnem terram spargerentur, secum necessaria à fidelibus accepta deferebant*; & Cornelium a Lapide. Quod si verum est, quid istud est consequentiæ? Prohibuit aliquando ob certum finem Christus Apostolis suis, duas gestare tunicas; ergo ipse nunquam gestavit duas. Quid enim impedit, quin pari jure concludas: permisit aliquando Apostolis, ut duas gererent tunicas & sandalia; ergo & ipse aliquando gessit. Quod verò ista sententia, qva hoc totum præceptum temporale fuisse intelligitur, non infirmis nitatur rationibus, malo Polyc. Lyseri, qvam meis, ostendere verbis. Ita ille in Harm. Evangel. c. LXXII. p. 1024. *Vult illos contentos esse iis vestibus, quibus jam induti erant, ne plures assumerent. Notandum autem, quod hoc præceptum tantum pertineat ad hanc Apostolorum profectionem. Quia enim ad hoc mittebantur, ut non, sicut Baptista, Messiam mox venturum nunciarent, sed jam propius adesse testarentur: ideò illos non vult instrui sarcinis viatoriis, quasi ad longinquum iter & diuturnam legationem, sed ut festinantes non diu in loco commorentur, verum postquam indicarunt, Messiam jam venisse, protinus aliò se conferant. Atq; sic brevissimo temporis spatio, absq; omnib⁹ impedimen-*

dimentis hoc tam necessarium & salutare legationis munus absolvant. Alias enim ipsis concessum fuerat, secum portare panes, quod tum alibi, tum etiam Marc. IIX. 5. ex historiâ Evangelicâ patet. Usos etiam ipsos esse vestibus ad peregrinationem aptis, ex II. Tim. IV. 13. colligere licet. Imò & Christus in suo commeatu habuit loculos & pecuniam. Joh. XII. 6. XIII, 29. Ut hinc nec Franciscani, quibus religio est, pecuniam contrectare, aut aliis calceis præter quam fenestratis uti, superstitionis suæ, nec etiam Ministerii osores suarum calumniarum integumentum desumere possint, quibus sudes in oculis est, si videant verbi ministros pecuniam possidere & vel ex stipendiis vel ex hæreditate honestè se suosque alere. Temporarium enim hoc erat, & tantum ad præsentem legationem pertinebat; in quâ volebat Christus suos Apostolos hoc quasi tyrocinio ad futuros labores & pericula præparare, ne postea vel famis vel nuditatis vel egestatis metu ab officio cessarent, sed imperterriti munus suum obirent, cum reipsâ experti sint, quod illis, qui in Christi vocatione ambulant, nihil desit rerum necessariarum. Et hunc finem hujus præcepti fuisse ipse Christus in ultimâ cœna monstrat, ubi inquit, Luc. XXII. 35. quando misi vos absq; saculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et ipsi nihil sibi defuisse fatentur, Voluit simul confirmare illud Joh. XIIX. 36. regnum suum non esse de hoc mundo. Mundani principes externum splendorem in instruendis & dimittendis suis legatis quærunt, neq; immerito. Prodest enim, ipsorum magnificentiam & potentiam passim innotescere. At Christus in peragendo salutis nostræ opere mundi fastum non curat, suffi-

sufficit ipsi, qvod non ipse tantum in extrema humilitate suum populum à superbi Diaboli tyrannide liberavit, sed etiam per hosce humiles suos ministros, omni mundano fastu destitutos, omnem ipsius potentiam per totum terrarum orbem devicit & in ipsorum exemplo fideles verbi sui ministros docuit, nihil rerum necessarium ipsis in hac vita defuturum, si modo fideliter munere suo fungantur.

LXIII. Jam si perpetuum hoc fuerit mandatum, incertum pariter est, an duæ tunicæ simpliciter, an sub certa limitatione & restrictione discipulis sint prohibitæ? Sunt enim, qvi moti argumentis gravissimis, nonnisi superflua atqve ea, qvæ ad præsentem necessitatem haud reqvirebantur, prohibita à Christo Apostolis esse contendant, qvasi dicere velit Christus non opus esse, ut onustas portent in varios usus sarcinas, se enim effecturum esse providentissima sua dispositione, ne qvidqvam ipsis, qvocunqve perveniant, defuturum sit, animosqve se eorum, qvibus Evangelium sint prædicaturi, ad eam inclinaturum esse liberalitatem, ut vestium & cæterarum rerum, ad victum pertinentium, ubiqve magna abundantia ipsis sit affutura. Atqve hunc esse verborum Christi sensum, ea acertè, qvæ paulo ante ex Harmonia Lyseriana repetitia huc sunt, argumenta haud obscure probant. Cur enim ex Apostolis suis qværit Christus: utrum, cum misisset eos sine crumena, sine perâ, sine calceis, aliqvid ipsis defuerit? nisi ut

osten-

ostendat, se ita ipsis ibi locorum, ubi Evangelium disseminaverant, providisse, ut qvamqvam ista itineri sese accingentes secum haud sumpserint, in ipso tamen itinere, auditoribus hæc largiter suppeditantibus, illis nunqvam fuerint destituti? Qvare respondent ipsi: *nihil nobis defuit unqvam*; earum nempe rerum, de qvibus, utrum ipsis defuerint, qvæsitum fuerat, non defuit crumena cum pecunia, non sacculus cum esculentis, non calcei, nedum cætera vestimenta, sed magna copia hæc ipsis passim donabantur, neqve causa ulla fuerat, cur illi repudiarent. Neqve enim hoc prohibuerat Christus, ut illi acciperent, sed hoc duntaxat, ne secum sumerent, aut anxiè conqvirerent & cunctabundi compararent. Qvin contrarium inde manifestè colligitur, qvia nempe defectum atqve penuriam peregrinantium pia multorum munificentia affatim sublevatura esset, duplicem qvoqve tunicam affere, si id vel vestorum dierum celebritas, vel aëris frigiditas reqvireret. Qvæ ita se habuisse, insuper etiam experientia abundè comprobavit. Nam & Petrus sandaliis usus est, Act. XII, 8. & Paulus penulâ, 2 Tim. IV, 13. Et Apostoli perâ. Joh. XII, 6. Qvamqvam enim Cornelius à Lapide inter sandalia & calceos distinguat, illaqve velit concedi à Christo, eò qvod Judæa sit aspera & saxosa regio hos verò prohiberi, cum pedem stringant & qvasi incarcerent, ut minus sit liber & expeditus ad iter,

qvo

qvo pacto & explicuerint Hieronymus, Auguſtinus & Euthymius, atqve inter recentiores, Janſenius, Toletus & Maldonatus, rectè tamen regeritur à D. Gerhardo, ὑποδήματα ex vi vocis nihil aliud eſſe, qvam ſoleas vel ſubligacula, qvæ cum plantas pedum muniant, ſuperiorem pedum partem relinqvant nudam; ſi verò generaliter vox accipiatur, ſoleas qvoqve complecti. Unde & de ſandaliis dicitur: ὑποδησαι τὰ σανδάλιά σε. Qvam verò frigida ratio eſt, qvam Cornelius à Lapide affert, qvod præ calceis ſandalia à Chriſto fuerint Apoſtolis permiſſa? Illi, inqvit, pedem ſtringunt magis & incarcerant. Qvaſi verò non experientia edoceremur, qvo laxior in ſandaliis fluit pes, hoc magis impediri eundem, qvo minus liberè progrediatur, qvo verò magis pedem aptè conſtringit, hoc faciliorem reddere profectionem. Ut adeò, ſi hæc qvidqvam valeret ratio, calceos potius concedere Chriſtus, qvam ſandalia Apoſtolis debuiſſet. *Hieronymus* qvidem *Mercurialis*, Diſſertatione de accubitus in cœnâ antiqvorum & ſemel duntaxat in die cœnandi conſuetudinis origine, lib. I. cap. XI. Apoſtolos, dum in prima cœna, laverentur à Chriſto atqve cum eodem ad cubitum irent, forte neqve ſoleas neqve ſoccos, qvibus minimè uterentur, habuiſſe, ideo autumat, qvia audiverint à Chriſto, ſeſe qvidem lotos fuiſſe, ſed ut pedes lavarentur, indiguiſſe. Sed, utut hoc, qvamvis ratio

sufficiens haud qvaqvam allegetur, concesserimus, satis est, post mandatum, ne calceamentis, inprimis in itineribus, uterentur, calceamenta aliqvando gestasse, qvod exemplo Petri & *Petrus Ciacconus* comprobat, lib. de Triclinio, p. 103. Ubi & Hieronymi adducit super sandalia Petri interpretationem: *calciamenta LXX. sandalia, id est, caligas vocant. Calcia te caligas tuas*; qvod & Vulgata, Romanæ Ecclesiæ authentica, retinuit. Caligam verò ex usu latinorum scriptorum, Scripturæ Sacræ, & juris civilis pedum indumentum esse, inprimis ex consuetudine primævâ ad militiam spectasse, Dissertatione subcisivâ de Caligâ veterum, eruditè ostendit *Julius Nigronius*, Genuensis.

LXIV. Qvæ si qvis consideraverit, mirabitur, qvi scribat Ferrarius: *Nunqvam satis mirari potui, doctissimum Maldonatum ita locum Matthæi X. interpretatum esse: non qvidem prohiberi, duabus simul, si necessitas & frigus postulet, tunicis indui, sed plures habere tunicas, qvam in præsentem necessitatem reqvirerentur, ut solent divites & harum rerum solliciti habere unam in præsentem usum, alteram in futurum. Hæc vix digna sunt, qvæ refutentur. Nam si cogente frigore permisit Christus, ut duas tunicas induerent, æstate unicâ contenti fuerint, qvid altera factum est? Habere eam in futurum vetabantur, eam igitur vendere aut donare cogebantur, [qvi habet duas tunicas, det non habenti] qvam rursus instante bruma compararent. Sed fortasse durum videbatur*

batur illi, qui Christi socius esset, ita ab antiqua disciplina deflectere, ut plures tunicas & cum subucula thoracem, gossipio fartum, interdum pellibus suffultum gestaret. Qvi eqvidem jocus in præposteros istos Jesu nominis imitatores scitè jactatur, sed adducta contra Maldonatum ratio nihil efficit. Permisit enim, secundum ea, qvæ præcedenti discursu disputavimus, Christus Apostolis suis, non duas tantum, sed, si vellent, plures tunicas, si illæ ab aliis offerrentur, neqve etiam vel æstate vel hieme aut emere aut vendere aut dono aliis dare unqvam vetuit, sed hoc unicum prohibuit, ne profecturi plures corraderent, aut qvomodo variam itineris tam longinqvi suppellectilem conqvirerent qvis ad eam rem sumptus subministraret, sollicitiores essent.

LXV. Sed qvid de Discipulis Christi, unamne an plures gestaverint tunicas, anxiè disqvirimus, non desunt, qvi & Christum ipsum duabus usum esse asserere non dubitant. Inter qvos cum & Maldonatus sit, eundem impugnare Ferrarius pergit: *at ratio*, inqvit, *qvam affert, magis mira est. Nam & Christum, inqvit, duabus simul tunicis indutum fuisse, ex Johannis XIX. manifestum est. Haud vidi magis. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus & fecerunt qvatuor partes, unicuiqve militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo, non scindamus eam, sed sortiamur de eâ. Ubi hic duæ tunicæ?*

Qvid plura ? Totum hoc commentum revincit Marcus cap. VI. ne induerentur duabus tunicis. Qvod ita idem interpretatur, id est, ne duas tunicas haberent, qvæ diversis temporibus induerentur. Sed piget his diutius immorari. Sed, nisi fallor, ratio Maldonati non hæc est, qvod duarum apud Johannem tunicarum expressa mentio fiat, cujus rei falsitas oculis Maldonati satis fuerat perspecta, sed qvod cum plura à Johanne memorentur vestimenta, Judæi verò, qvi pluribus simul utebantur vestibus, duas ad minimum, non refragante ipso Ferrario, ordinariè, nisi summo forte æstu, ut & hodie fieri videmus, interiorem & exteriorem, gestaverint tunicas, nulla ratio sit dicendi, Christum, Judæum ex Judaicis parentibus genitum, peculiarem à cæteris Judæis sibi habitum asciviſſe, ac præ aliis conterraneis suis alienum qvid affectasse, cum inprimis pluribus usus vestibus perhiheatur, qvarum multitudo plerumqve tunicas istas duas complectebatur. Juvatur præterea vero haud absimilis conjectura Maldonati auctoritate *Euthymii*, in cap. XXVII. Matth. qvi tradit, tria vestimenta Christum gestasse, pallium, tunicam inconsutilem, qvæ corpori adhærebat, & alteram tunicam, qvæ respectu pallii vestis interior dici potuit, respectu tunicæ inconsutilis, cuti proximè adhærentis, tunica exterior. Qvam sententiam non ita valido argumento *Casaubonum*, Exerc. XVI. refutare docet Ferrarius, ex eo, qvod qvi duas tunicas

nicas gestabant, interiorem lineam habebant, exteriorem laneam, & tamen inconsutilis lanea erat. Nam *nullus*, inqvit, lib. III. c. III. p. 181. *aut rarus linearum usus apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos*, [qvod qvo argugumento aut testimonio asserat, ignoro] *præcipuè in Christo Domino & Apostolis, qvi nullam hujusmodi in cultu mollitiem agnoverunt.* Casaubonum vero communis opinio tuetur, intimam qvæ cutem tangebat, vestem apud omnes propemodum gentes lineam fuisse, neqve sufficiens ratio est, excludendi ab hoc more Christum, qvod mollitiem nullam sectatus fuerit. Nam qvis hodie ubiqve gentium inter mendicos, aut eos, qvi stivam tenent, est, qvin lineo ad cutem utatur indusio, cum à mollitie omni sit remotus? Non ideò Christus mollitie deditus fuit, qvia hispidis & setis horrentibus indumentis cutem innocuam non adflixit & laceravit, ad qvorundam monachorum morem, qvi nescio qvam in stolido instituto sanctitatis opinionem venantur. Aut si tale qvid fecit, idoneis id irgumentis dubitanti demonstrandum est. Cum in calidioribus istis regionibus à freqventi sudore corpora atqve vestes sqvalore atqve fœtore facile imbui potuerint, iis vestibus sudorem excipiebant, qvæ sine difficultate ablui & ab impuritate, qvod in lineis promptius qvam laneis est, poterant purgari. Apud Marcum deniqve de tunicis duabus nihil aliud, qvam apud Matthæum præcipitur, ut

una adeò sit utriusqve explicatio. *Petrus* equidem *Ciacconius*, de Triclin. p. 101. Christi discipulos, non obstante prohibitione istâ, vestem mutasse, inde ait cognosci posse, qvod adolescens ille, [Evangelistam Johannem fuisse S. Ambrosius atqve alii testantur] qvi à cœnâ in hortum cum Christo secesserat, amictus sindone super nudo tradatur fuisse, qvasi veste adhuc cœnatoria indutus; qvod si solitum illi & qvotidianum fuisset, non utiqve ab Evangelista id memoriæ traderetur. Sed cum tota hæc traditio incerta sit, rem istam in medio merito relinqvimus.

LXVI. Qvin & sandaliis seu calceis, qvos discipulis tamen suis ad gentes ablegatis prohibuerat, usum esse Christum ipsummet, haud improbabiliter asseri plurimi disputant. B. Balduinus, libro de Calceo antiqvò, cap. XXVI. p. 256. qvæstionis: utrum Christus Dominus pro more calceatus incesserit? affirmantem his ferè argumentis corroborat. Primò Johannis Baptistæ testimonium allegat, Marc. I, 7. Luc. III, 16. Joh. I, 27. *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*, nempe Christi, cujus se servum profitebatur Johannes. De veris enim Christi Domini calceis verba intelligenda esse, docent Augustinus, Antoninus & Chrysostomus. Ille, Serm. XLII. de Sanct. c. VI. *De calceamentis iis, qvibus calceati ambulamus, consolatur me idem ille Dominus, Si enim ipse calceatus non esset, non*

de

de illo Johannes diceret: non sum dignus solvere calceamenta ejus. Iste III. p. Hist. Tit. XXIII. c. I. §. 1. *Christum calceatum videre possumus in eo, quod Baptista ait: cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Hic deniqve Hom. LX. ad populum Antioch. *Quod nunc dicunt. vellem ipsius formam adspicere, figuram, calceamenta.* Deinde vero credere par esse inqvit, Apostolos in vistitu ciboqve Magistri normam & consuetudinem ad amussim imitatos esse, qvos verò calceamentis usos fuisse. D. Marcum testem esse locupletem. Ubi enim, qvo habitu Christus Dominus vellet eos incedere, referat, commemorare: *iis* inqvit, *præcepit, ne qvid tollerent in viâ, nisi virgam tantum, non param, non panem, neq; in zonis æs, sed calceatos sandaliis.* Nulla hic opus esse conseqventiũ illatione; rem apertè liqvere. Et si qvis aliò vellet eam deflectere, succurrere insuper, qvod Angelum D. Petro è carcere mox educendo dixisse referat Actorum scriba. D. Lucas: *calcea te caligas tuas*; pro qvo præcè legatur: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Ut qvid enim caligas sive sandalia princeps ille Apostolus juberetur induere, si qvibus pro more uteretur, ea non haberet. Tandem posse adjici, qvod D. Bonaventura testetur, D. Petri soleam Romæ, tanqvam insigne antiqvitatis monumentum asservari. Qvemadmodum idem alii de B. Andreæ sandalio referant, qvod ita in Hispania, in civitate Ovetensi, studiosè servetur, Qvid? qvod Apostolos

los passim, & antiquæ & recentiores picturæ sandaliis calceatos repræsentent. Christum, verò Dominum, pari cum Apostolis vivendi vestiendiqve ratione usum dicere, esse omninò rationi consentaneum. Qvamobrem nullum dubio superesse locum, qvin Christus Dominus pro more calceatus incesserit. Atqve ita Burgensem, Cajetanum, Toletum, Barradium & Suarezium ex recentioribus sentire. His defixam radicibus stare affirmantem sententiam.

LXVII. Nondum dico, qvid mihi videatur, sed Balduinum tamen ex propriis facile convinci posse principiis, qvod hæ rationes eâ vi non polleant, qvâ ille concludere eas dem persuasus est, pronuncio. Nam qvod primam concernit, Johannis Baptistæ dictum proverbiale esse & de eo etiam dici posse, qvi calceamentis non est indutus, Balduinus ipse concedit: *nolim tamen*, ait, *omninò inficias ire, potuisse D. Johannem verba illa verè usurpare, etiamsi Christus nudipes incederet. His enim*, ait cap. XI. p. 109. *significare voluit, se tantum dignitate Christo esse inferiorem, ut ne qvidem dignus esset, qvi in ejus famulitio vilissimum etiam ex calceandi munus obiret.* Si possunt verba illa cum nudis Christi pedibus consistere, qvomodo ex virtute illorum seqvitur, non fuisse Christum nudis pedibus sed calceatum? Non capio profectò. Qvod si dicat Balduinus; qvosdam patres, utpote

Au-

Augustinum, Antoninum, [qvid verò Saul hic inter prophetas, recentior inter veteres, obscurus inter illustres, indignus certè, qvi illis calceamentorum corrigia solvat?] & Chrysostomum ita interpretari, qvid hoc est consequentiæ: unus alterqve ita exponit pater: ergo hujus sententiæ, etiamsi repugnent alii, [repugnat autem Hieronymus, à Balduino ipso adductus] etiamsi virtutem verborum excedant & ex iis qvidpiam, qvod in illis non latet, exsculpant, etiamsi interpretationis suæ rationem non reddant, citra ulteriorem inqvisitionem standum est? Neqve etiam secunda ipsius ratio ideò stringit, qvia omninò Christo juxta ipsummet Balduinum peculiare qvid præ Apostolis attribuitur; Christo nempe ubiqve τὰ ὑποδήματα, [hæc enim vox in tribus illis locis constanter occurrit] Apostolis nonnisi τὰ σανδάλια, qvæ ita inter se discrepant, ut ex hac differentia qvosdam Scripturæ locos, in speciem sibi contradicentes, conciliandos esse, ut postea dicemus, tradat Balduinus. Si itaqve Apostoli morem Domini sui imitati sunt, non sandalia sed calceamenta gestaverint necesse est. Qvod cum non sit, morem certè diversum fuisse oportet. Dicet Balduinus, ὑποδήματα nonnunqvam idem esse, qvod σανδάλια; respondeo, & σανδάλια qvandoqve idem esse qvod ὑποδήματα: cur itaqve non utrisqve calceos induit? Nam & sic conciliati fuerint inter se

pugnantes loci. Cur vero sandalia potius Apostolis concedit, qvam calceos? Sed de hac re deinceps amplior dabitur loqvendi occasio. Deniqve qvid sandaliorum vel Romæ vel Hispaniæ inter preciosa antiqvitatis monumenta conservet, & qvalia illa sint sandalia antiqvæ, qvorum primus Bonaventura, homo hesternus, mentionem facit, qvorsum deniqve pervenerint ipsius Christi sandalia, qvæ majoris utiqve precii fuissent, si Domini potius, qvam servorum reliqvias conqvirere & custodire providentissimæ matri, Ecclesiæ, placuisset, ego nihil curo; hoc tantum miror, qvomodo picturas in subsidium vocare Balduinus potuerit, qvæ, fatente ipsomet, diversum hic ubiqve habitum Christi ab Apostolis repræsentant, atqve ideò consentaneum sit dicere, agnovisse pictores, Christum impari cum Apostolis vivendi vestiendiqve ratione usum fuisse.

LXVIII. Nunc & negantium subjiciemus, qvæ pariter congesit Balduinus, argumenta, ut de hac postea controversia rectius qveamus arbitrari. Primò, ajunt, apud Lucam, cap. VII, 38. D. Magdalenam Christi Domini pedes inunxisse, suisqve irrigasse lacrymis; hinc consectaneum existimari, illum nudis fuisse pedibus, propterea, qvod alias hoc ei beneficium in mensa præstare minimè po-

potuissent. Et ad mentem hanc majus etiam ex eo momentum putant accedere, qvod ibidem Christus Dominus Simoni dixisse dicatur: *aqvam pedibus meis non dedisti.* Ut qvid enim aqva pedibus abluendis, si calceorum integumentis illi fuissent operti? Qvod si levia qvibusdam videantur hæc momenta, eadem sic aliunde stabiliunt, qvod cum Christus Dominus ea opere compleverit, qvæ aliqvando suis faciendæ præcepit, verosimile videri nulla ratione possit, ipsum calceatis incessisse pedibus, cum ipsum Apostolis calceorum usum interdixisse constet. Nam disertis verbis apud D. Matthæum sic ait: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neqve calceamenta.* Et apud D. Lucam: *nolite portare sacculum, neqve peram, neqve calceamenta,* Rursusqve alibi: *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunqvid aliqvid defuit vobis?* Et ne qva parte vacillet institutæ qvæstionis negatio, qvi suppetias ferat, tanqvam triarius adsciscitur, D. Hieronymus, cujus hæc verba licet in Epist. ad Eustoch. de cust. virg. legere: *Moses & Jesu Nave nudis in terram sanctam pedibus jubentur incedere, & discipuli sine caleamentorum onere & vinculis pellium ad prædicationem Evangelii novi destinantur. Et milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant, qvas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, qvod prohibuerat servis, id est, Apostolis.* Liqvet igitur

tur ex mente sensuqve tanti doctoris, neqve Christum Dominum, neqve illius Apostolos calceis usos esse. Agmen hoc rationum, pro parte negante pugnantium, ita claudunt, qvod licet pleræqve veterum cum sculpturæ tum picturæ Apostolos sandaliis calceatos ostentent, nusqvam tamen aut certè rarò Christi Domini effigies aliter qvam nudis pedibus expressæ videantur. Qvod eqvidem non levi argumento sit, nudipedalia Christum perpetuò celebrasse, prout scripsit Parisiensis Cancellarius, à Gersonio. Concedere verò etiam in negativam è recentioribus post patres doctoribus Lyranum, Abulensem, Dionysium Carthusianum & D. Bonaventuram, adjiciunt, ut si qvis, his ita constitutis, affirmantem sententiam se nihilominus amplecti diceret, periculum forte, ne non satis sanus crederetur, incurreret. Qvid enim tot tantisqve rationum momentis cum ratione possit opponi, non sanè videri promptum atqve expeditum.

LXIX. Posset his argumentis addi ex eodem Balduino, cap. XXIII. p. 229. primorum Christianorum institutum, qvi ex imitatione Christi, qvasi perpetuò rebus sacris operarentur, publicève supplicaturi procederent, calceis utplurimum non utebantur, sed nudis pedibus incedebant. Id innuit Tertullianus L. de Pallio, cap. V. ubi Christiani habitus causam agens, sic ait inter cætera: *calceos nihil dici-*

dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsam. Quam enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam incalceo uncipedem? Sed apertius ex Luciano, qvi habitum hominis Christiani describens, ut irrideat: *pallium*, inqvit, *putre, sine calceis & tegmine, capite detonso incedens.*

LXX. Si utriusqve sententiæ fundamenta interius perscrutemur, cui calculum nostrum addamus, vix indubitato definire licet, certe cum Balduino non dicemus: esse affirmanti parti suas rationes, sua jura, qvibus æqvâ lance perpensis nemo dubitet, huic contra negantem veritatis prærogativam deferre. Ut verò nihilominus saltem de utriusqve sententiæ rationibus mentem nostram explicemus, atqve à postremo exordiamur neqve Christiani omnes, neqve soli nudis qvondam incedebant pedibus. Qvod si pleriqve simplicitatem illorum temporum, ubi calcei nondum promiscuè in usu erant, nec isthanc pedum coarctationem locorum aut asperitas aut frigiditas reqvirebant, securi nudipedes vivebant, non tam imitationi Christi, [qvamqvam nec hunc finem qvibusdam præstitutum fuisse negaverim] qvam humilitati, cui studebant, ut in animi submissione, ita in vestimentorum vilitate, adscribendum videtur. Ut autem dubium non est, & gentilium plebem calceorum impedimenta, ubi hoc contra frigoris injurias clypeo ob insitum regionum calo-

calorem opus non fuerat, aversatam esse; cum & apud nos multi qvamlibet divitiis affluentes agricolæ hanc inæstate pedum libertatem vehementissimo amore complectantur: ita Christianos neqve omnes neqve semper discalceatos incessisse, vel sola Augustini confessio, qvam & supra produximus, apertum facit, cum inqvit: *De calceamentis iis, qvibus calceati ambulamus, consolatur me Dominus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Johannes diceret: non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.*

LXXI. Jam qvod ad sculpturas picturasqve attinet, qvibus nudipes sistitur Christus, certè frigidior est Balduini, qvi calceos Christi contra hos testes defendit, respondet: *nolim*, inqvit, *ego statim & crudè tritum illud reponere:*

- - - - pictoribus atqve Poetis
Qvidlibet audendi semper fuit æqva potestas;

Sed hoc esto responsum: qvemadmodum reliqvo habitu Christum pictores sæpius ab Apostolis distinguunt, vestem nempe discinctam, sine superinjecto pallio illi adpingentes, qvod item in cæteris Apostolis non servant, licet ipsum cum iis eadem usum vestiendi ratione sit verosimile: ita nihil mirum, si nudipedem illum repræsentent, ut sic qvoqve magis extet ab Apostolis distinctus, qvos sandaliis calceatos delineare solent. Qvod si qvidam alias & Christum Dominum & Apostolos nudipedes interdum incessisse contendant, non obluctor, sed de more, propter ante dicta, repugno. Qvid enim, cum

cum pictores sine omni causa Christum ab Apostolis habitu discreverunt, nisi pro mero lubitu egerunt, qvia hæc talia licere sibi, etsi rationibus idoneis destitutis, existimabant? Qvid verò aliud est, pictoribus qvidlibet audendi liberam semper potestatem fuisse, & pictores Christum ex libera voluntate, citra omnem rationem, [si enim rationem ejus rei ullam habuissent, adducenda fuerat] ab Apostolis alium pinxisse? Nempe sacris his pictoribus vulgatum istud crimen, picturis ex more ecclesiæ suæ deditus, objectare noluit Balduinus: & verbis tamen tantum à solenni versu paululum immutatis nihilominus eisdem improperavit. De cætero judicari de picturis sculpturisqve neqve potest neqve debet, qvantum illæ in hoc argumenti genere valeant, nsi vel de antiqvitate earundem vel origine constet. Neqve enim plus ipsis auctoritatis competit, qvam signis rerum externis aliis, utpote vocibus & scripturæ, cui antequam credatur, de fide primum vel loqventis vel scribentis, qvam, cum alia præsto non sunt præsidia, ex argumentis ab auctore adductis ediscimus, constare necesse est; extra qvam nihil proclivius est, qvam falli & in errorem præcipitari. Qvid itaqve de picturis istiusmodi, qvæ Christum vel calceatum vel nudipedem oculis objiciunt, sentiendum sit, qvæ vis eis in probando adscribenda, tum indicabimus, qvando, qvo tempore & à qvibus

bus pictoribus & ex qvo prototypo expressæ sint, liqvidissimis testimoniis nobis probabitur.

LXXII. Qvod ab Apostolorum habitu ad Christum ducitur argumentum, varia sunt, qvæ, si in syllogismi formam redigatur, in majori pariter atqve minore propositione desiderari possunt. Nam I. unde aut ex qvo indicio probabitur, unam prorsus eandemqve fuisse utriusqve vestiendi rationem? Probabile est, inqviunt. Si qvis vero motus hoc argumento, qvod probabilitatis hujus nullæ adferantur rationes, dixerit: probabile est, diverso modo vestitos fuisse; qvid regeretur, aut qva ratione probabilitas ista prior probabilis reddetur? Imo qvid dicetur, si posterior hæc verisimilitudo argumentis non omnino improbabilibus doceatur? Probabile est, Dominum aliter qvam servum, patrem qvam filium, magistrum qvam discipulum vestitum fuisse. Probabile est, Apostolos, postqvam in familiam Christi adlecti fuere, non aliis vestibus, qvam qvas qvalesqve antea gestabant, usos fuisse. Neqve enim peculiari & Ecclesiastico habitu, mutatis pristinis vestimentis, incessisse, ullo vestigio constat. Eum autem habitum non à Christo tantum, sed cæterorum etiam Apostolorum more, cum è diversis vel opificiis vel vitæ statibus evocati fuerint, discretum fuisse, negari non potest. II. Diversum vestiendi modum ipsimet Evangelistæ innu-

innuunt, partim qvando in divisione vestimentorum tunicæ inconsutilis mentionem faciunt, qva in parte singulare qvid Christo adscribi veteres qvoqve annotarunt, partim cum in specie, qvoad pedum indumenta, diversis vocibus Christi atqve Apostolorum habitum describunt. Nam illus qvidem ὑπόδημα, hujus verò σανδάλια appellant. Neqve ratio ulla, qvemadmodum & supra monuimus, à Balduino & aliis, qvi in locorum Scripturæ conciliatione occupati sunt, adferri potest, cur ὑποδήματος vox, qvando à Johanne Baptistâ Christo tribuitur, generaliter accipiatur & per Apostolorum exemplum ad sandaliorum speciem determinetur, non verò in ordinaria significatione, qvâ in specie calceum denotat. Qvæ enim ratio est, ὑπόδημα pro sandalio accipiendi? Qvia, inqviunt, Apostoli sandaliis usi sunt, qvibus conformem Christi habitum fuisse probabile est. Atqvi hoc ipsum qværitur, an æqvâ utrinqve ratione vestiti fuerint? Non igitur pro concesso sumi debet, cum contrarium ex diversa loqvendi & exaudiendi ratione longè manifestius, qvam ex dubia illa conformitate, præsumatur. Nam consueto ordine diversa locutione, diversis verbis, [qvæ nempe natura sua rerum etiam diversarum signa sunt] diversæ etiam res indigitantur, at consuetum & ordinarium non est, magistrum atqve discipulum eodem habitu uti. Cl. Salmasius Not. in Pullium Tertull. Qvæ,

inqvit, *differentia est inter calceum & soleam, eadem apud græcos ponitur inter ὑπόδημα & σανδάλιον. Cum calceum Romanum græci auctores reddere volunt, non aliter vertunt, quam ὑπόδημα. Et qvamvis apud Latinos omne calceamentum & qvicqvid pedibus inducitur, calcei nomine veniat, propriè tamen ac strictè calceum appellarunt id calceamenti genus, qvod totum pedem & infimè & superne tegebat, eaqve ratione distinguebatur à soleis, qvæ plantam pedis tantum vestiebant, superiore parte nudâ. Servius: sanè Flaminicæ non licebat, neq; calceos neq; soleas morticinas habere; ἄτε ὑποδήματα, ἄτε σανδάλια. Nam & Græci qvoq; licet omne genus calceatus ὑπόδημα appellent, propria tamen & stricta notione nomen hoc tribuunt calceamentis cavis, in qvæ pes intromittitur, qvæq; ἀπὸ τῶν σανδαλίων discernuntur. Nam ὑπόδημα κοῖλον vocant calceamentum, qvo pes totus tegitur & amicitur, ad differentiam sandaliorum sive solearum, qvæ planæ sunt, non cavæ, ideoq; plantas pedum tantummodo tegunt. Itali hodie pianellas ob id vocitant.* Qvæ postea ex græcis Lexicographis amplius confirmat. Non itaqve præsumpta illa vestitus in Christo atqve Apostolis conformitas ratio sufficiens est, Christo τὰ ὑποδήματα, id est, *calceos cavos* abjudicandi, qvippe qvos vox ista, *in propria*, ut Salmasius loqvitur, *notione* significat; à qva proprietate ob tam leviculam, dubiam & incertam rationem monent interpretes, non debere discedi.

LXXIII. Minoris qvoqve propositionis III. veritas, ut ex supra dictis apparere potest, lubri-

lubrica & ambigua est. Pleriqve eqvidem in conciliando mandato Christi Apostolis dato: *ne portarent duas tunicas, aut calceamenta*, cum altero, qvo jubentur induere sandalia, id agunt, id sentiunt: in priore calceos cavos prohibitos, in altero soleas permissas esse. Nam qvorundam opinio, qvi non vetari putant calceamenta discipulis, sed bina calceamenta, seu duplicata, hoc est, alia, præter ea, qvæ habebant in pedibus, qvemadmodum & duas tunicas, cujus auctor esse dicitur Juvencus, Poëta Christianus, qvi cecinit:

- - - - - - *nec plantis tegmina bina*;

qvamqve Thomam, Thomam Cajetanum, Joannem Maldonatum & Vincentium Regium, amplecti refert Jul. Nigronius, de Calig. cap. II. p. 77. ab aliis propemodum hodie omnibus deseritur. In priorem verò sententiam Balduinus scribit: *Christus Dominus Apostolis usum calceamentorum prohibuerit, annuo; sed eorum tantum, qvæ pedes totos contegerent, non autem sandaliorum, quæ pedum plantas tantum, superiori parte nudâ, munirent. Sic enim D. Lucas & Matthæus cum D. Marco veniunt conciliandi.* Clarius Nigronius: *Sententia posterior discrimen ponit inter hypodema interdictum & sandalium permissum, cum S. Hieronymo & Cassiano; quod hypodema sit calceamentum divitum & habeat obstragulum, sandalium verò sit vilis solea sine obstragulo & proprium pauperum munimentum pedum. Favet S. Augustinus. Itaq; Salvator vetuit genus illud calceorum nobilius*

permisit hoc vilius. Eunt in hanc sententiam Sebastianus Barradas, Jo. Fernandes, Vinc. Regius, Bened. Justinus. Omnium asseverantissimè Cl. Salmasius: Calceorum usum Dominus noster Apostolis suis interdicit, Matth. X. 10. & apud Marcum, cap. VI. 9. permittuntur iisdem habere sandalia. Qui nullum putant Evangelistas posuisse discrimen inter ὑποδήματα & σανδάλια, longiter errant: & hæc ratio est conciliandi cum Marco Matthæum, qvum alia nulla sit, ὑποδήματα sunt calcei, qvi totum pedem tegebant; hoc Dominus Apostolis interdixit. σανδάλια sunt soleæ, qvæ plantam pedum duntaxat subtegebant; has Dominus discipulis suis permisit. Et sanè Apostolos non prorsus nudipedes fuisse, sed sandalia gessisse, constat ex Actis Apostolorum, de Petro, qvi in custodia erat. Sandaliorum, quæ Apostoli pedibus inducerent, sæpe mentio fit in vitis Apostolorum apud Abdiam. Ex veteribus tamen patribus extitere qvidam, qvi ad allegorias confugerent in conciliandis locis illis Evangelistarum. Nonnulli ex Matthæi loco collegerunt, omnem omninò calceamentorum usum Apostolis suis Dominum interdixisse, ut Eusebius de Heraclæ Presbytero testatur, πλειόνων ἐτῶν γὴν πεπατηκέναι, μηδενὶ μηδαμῶς κεχρημένος ὑποδήματι, LVI. Hist. Eccl. c. III. Si Domini præceptum περὶ ὑποδημάτων ita interpretere, ut Heraclas ille faciebat, necesse est, ut pugnet Marcus cum Matthæo: Sed aliter interpretabantur antiqvi in Ægypto Monachi, qvi sandalia velut à Domino permissa, gestabant, calceos, hoc est, ὑποδήματα, velut interdicta, recusabant, apud Cassianum, de habitu Monach. c. X.

LXXIV. Sed verò qvomodocunqve hanc distin-

distinctionem inculcent & soleis potius qvam calceis Apostolos instruant, qvousqve facti sui rationem non reddant, qvæ potuerit opinionis hujus esse certitudo? Video Matthæum ὑποδήματα, Marcum σανδάλια nominare; & fateor. Audio Matthæum calceos, Marcum soleas intelligere; rationem non video. Conciliari aliter neqveunt, ais Scilicet. Cur non Matthæum soleas & Marcum calceos intelligere doces? Nam & sic erunt conciliati. Sandalia, inqvies, qvibus Petrum indutum fuisse legimus, soleas freqventissimo & proprio usu significant. Qvasi verò hypodemata, qvos Christo Johannes Baptista tribuit, vulgatissimo proprioqve usu non significarent calceos. At ὑποδήματα, regeres, omne calceamentum & qvicqvid pedibus induitur, lata acceptione notat; potuit igitur apud Matthæum sandalia complecti. Qvis verò ignorat, sandalium tam latè usurpatum à veteribus, ut Hieronymus, ad Esaj. XVI, 11. calceamenta, sandalia & caligas pro eodem acceperit? *Qvid*, ait Balduinus, c. XII. p. 114. *sandalia colore infici, vel auro etiam induci profuit? Ut qvid ad elegantiam tenuibus incisuris dispungi, vel gemnis aliisqve id genus ornamentis instrui potuerunt, si simplices tantum soleæ? Et tamen iis insignita variis in locis sandalia videre est.* Qvam in rem producit Cæremoniale Pontificum Romanorum, Clementem Alexandrinum, Lucianum, Victorium, aliosqve; & subjicit Andreas Frisius statuam qvandam

iconicam, qvam in illustri Clivorum oppido ad portam mediastinam Eumenio Rhetori positam, Teschemacherus in Annalibus Cliviæ exhibuit; in qvâ, ut inscriptio habet, calcei fenestrati conspiciuntur, qvi nihil aliud erant qvam sandalia, ad pedis latera aliqvousqve adscendentia, circa digitos verò pedum dimidia sui parte contegentia. Qviqvam parum absint à calceis nostris hodiernis, nisi qvod integrum pedem non cingant, & careant auribus, ipsa inspectio demonstrat. Qvid? qvod non arbitrer, probari posse, in orientalibus inprimis terræ partibus, obstragulum pedem unqvam totum, nisi forte in caligis, seu calceis militaribus, [qvi ad medium ferè crus diffluebant, qvamqvam & hoc factum esse probabiliter asserat Nigronius, cap. IV. sine obstragulo, solea habenis pedi alligata, cujus rei figuræ æneæ ibidem adjiciuntur) contexisse, ut eò faciliores essent solutu, cum freqventer ex more gentis induerentur & exuerentur, qvoties vel cibus capiendus esset vel somnus. Qvid itaqve opus fuerat prohiberi operosè Apostolis id, qvod vel militiæ proprium fuerat, vel extra eandem nullibi in oriente locorum consvetum?

LXXV. Qvod si concesserimus, apud Marcum sandalia permissa, apud Matthæum calceos prohibitos esse, qvia tamen, ut supra disputavimus, concessio atqve prohibitio ista partim ad unam illam solam, qvæ tunc ipsis injun-

injuncta fuerat, profectionem pertinebat, [ut adeo alio tempore & sandalia repudiare & calceos ferre, potuerint] partim vero, qvid profecturi secum sumere vel deberent vel non deberent, non vero, qvibus rebus in ipso itinere, si vel oblatæ ipsis, vel alias, ut emerentur, necessariæ fuerint, uti licitè possent, solummodo exprimebat, ultro consequitur, ad locorum, illorum conciliationem non opus esse, distinctione inter calceos & sandalia, sed citra eandem nihilominus sensu ipso amicissimè concordare. Nempe sensus totius mandati hic est: ne solliciti sitis, qvomodo ad profectionem vos instruatis. Si maximè nihil earum rerum, qvas de cætero profecturi, tanqvam vel magis vel minus necessarias, anxie conqvirunt, vobis, ad iter jamjam accinctis, sit ad manus, non aurum, non argentum, non æs, non saccus, non binæ tunicæ, non calceamenta, non virga; nolo ut harum rerum defectus vos remoretur. Ubi vero aliqvid horum, & vel soli calcei aut baculus aliqvis præsto fuerit, hæc sumite, maturate iter, cætera non conqvirite. Laborem vestrum grati Evangelii auditores ita brevi remunerabunt, ut abundanter ista omnia vobis affluxura sint. Operarius enim dignus est mercede sua. Qvid enim, nisi hic istorum locorum sit sensus, τῇ ῥάβδῳ, seu *virgæ* facient, qvæ apud Matthæum prohibetur, apud Marcum injungitur? Qvam enim coactum & frigidum, imo

qvam nugatorium est qvod dicunt, eum tantum vetari baculum, qvo armorum vice uterentur, vel vim inferrent aliis, vel illatam aliunde propulsarent? Cur non parem ob rationem gladium prohibuit, qvem gestasse Petrus legitur? aut hastam? aut telum aliud? Aut ubi virga uspiam instrumentum notat, qvo alios vel lædimus vel lædimur ab aliis? Nisi forte puerorum instar auditores suos castigare virgâ Apostoli, aut bacillis in ordinem redigere persecutores suos debuerunt. Qvæ cum ita sint, patet frustra ad Apostolorum exemplum provocari, qvasi non alio ipsis licuerit pedum indumento, qvam sandaliis, uti; & sicubi sandaliorum apud veteres, cum de Apostolis loqvuntur, mentio fit, non id causæ esse, qvod calcei ipsis fuerint unqvam prohibiti, sed qvod ibi locorum pleriqve omnes nonnisi sandalia, vel supernè aperta, vel adjectis exiguis integumentis, gestaverint, & qvod morem hunc, cui à teneris adsueti fuerant, nec in adulta ætate aut itineribus etiam suis voluerint mutare.

LXXVI. Hieronymo, Christum calceatum fuisse neganti, neqve auctoritate neqve eruditione neqve sanctitate minor opponitur Augustinus. Qvam autem rationes ipsius concludendi vim habeant, ex dictis sine difficultate patet. Rectеqve Balduinus: *sandalia Christum non habuisse, haud concesserim; nisi forte passionis tempore, qvo facile credo, nudis pedibus ipsum*

in

in Calvariæ montem ascendisse. Omitto, quod alii respondeant, milites, qui cruci Christum affixerant, ejus calceos vel sandalia contempsisse, quod nullius essent valoris. Quid verò impedit, quo minus & dicere queamus, caligas Christi sub complexu cæterorum vestimentorum, quæ inter sese milites diviserunt, comprehendi? Sunt enim calcei nihil aliud quam vestimentum pedum.

LXXVII. Porrò quid de facto Mariæ Magdalenæ, [si quidem mulier peccatrix, quod verosimile non est, illa fuerit] pedes Christi lavantis, habendum est? Quale illud vel pro calceatu vel pro nuditate pedum Christi argumentum præstat? Existimant nonnulli, ideò potuisse eandem ungere, osculari, lacrymis rigare atque abstergere capillis Christi pedes, quia nudi fuerint in parte superna, quippe sandaliis tantum muniti, quæ sint calcei sine obstragulo. Verum huic opinioni duo meritò objicit Nigronius: primum, non fuisse partem supernam prorsus nudam, cum soleæ corrigiis pedibus colligarentur, ut patet in forma caligæ militaris & in sandaliis Capucinorum, quibus utuntur *Apostolorum, ut credere par est, imitatione*; quo dicterio religiosos fratres suos exagitat Balduinus; cap. XII. p. 113. Deinde recumbentem in latus more Romanorum stantibus retro plantas potius soleatas obvertisse, quam partem supernam seminudam. Quare verior est sententia & expeditior via difficultatis evitandæ, si dicatur,

Salvatorem in recumbendo mensæ, sive sandalia sive alia qvævis calceamenta, depositisse, peracta cœna resumenda. Qvo pacto mirum non est, potuisse facile aqvam pedibus ejus abluendis impendi. *Video*, inqvit Nigronius, *placere communiter & doctis atqve eruditis antiqvitatis cognitione viris & sacrorum Evangeliorum accuratis interpretibus, Salvatorem & Apostolos prandisse cœnasseqve more Romanorum illius ævi, recumbendo in lectis à solo surgentibus. In horum numero censentur Petrus Ciacconus, Fulvius Ursinus, Hieronymus Mercurialis, Cornelius Jansenius, Alfonsus Salmeron, Joannes Maldonatus, Card. Toletus, Jacobus Gretserus, Sebastianus Barradius, Justinianus Regius, Petrus Prado & Jo. Baptista Villalpandus.* Qvæ cum ita se habeant, ultro patet, nullum prorsus hanc historiam argumentum præbere, sive qvod calceatus fuerit Christus, sive soleis aut sandaliis instructus. Qvicqvid enim horum fuerit, nudipes mensæ accubuit; facile itaqve fuit, & levari hoc habitu pedes ejus & siccari.

LXXVIII. Supereſt, ut qvam probandi virtutem habeat Johannis Baptistæ dictum: *non sum dignus solvere corigiam calceamentorum ejus*, discipiamus. Proverbialem locutionem esse, qvæ usurpari à Johanne de Christo potuisset, si is calceatus haud fuisset, Balduinum supra audivimus confitentem. Originem proverbii lib. VI. cap. IIX. p. 743. De Jur. Nat. & Gent. juxta disciplinam Hebræorum, indicat doctissimus Jo. Seldenus: *Corpora-*

poraliter, inqvit, *in ditione Israëlitica posſideri servum maxime volebant, ſi emptori ex venditoris ſententia ſervilia aliqva præſtitiſſet opera, in qvibus id inprimis memorant, qvod eſt:* שחתיר מנעל לרבו או: חנעילו, *ut ſolvat Domino calceamentum ſuum, aut illudinduat. A qvo more manaſſe videtur loqvendi illa, ad ſummam diſcipuli loqventis humilitatem. Magiſtriqve dignitatem exprimendam, formula: cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti, qvâ in Evangeliis D. Joannes, aliiqve uſi ſunt. Id qvod ex eo item firmatur, qvod ajunt, Gem. Bab. ad Tit. ad Cethuboth, cap. XI. fol. 96. omne genus operis perſonalis, qvod à ſervo domino ſuo præſtandum eſt, id etiam à diſcipulo magiſtro ſuo eſt præſtandum, præter ſolutionem calcei ejus. Qvæ tamen exceptio obtinet tantum, ubi diſcipuli conditio non ſatis dignoſcitur. Nam ſi ea ſatis dignoſcatur, etiam & munus illud præſtandum. Diſtinctio illa, de diſcipuli notitiâ adhibetur, ne alias ſervus eſſe, ex ipſo opere, diſcipulus exiſtimaretur. Et qvod de ſolutione calcei hic dicitur, intelligitur itidem de calceo ſive exuendo ſive induendo.* Qvemadmodum ergo proverbia cætera non id ſemper innuunt, qvod ſecundum literam enunciant, ſed qvod ſenſu complectuntur: ita & hæc proverbialis locutio non neceſſario calceamentum aut corrigiam ſupponit, qvæ litera exprimit, ſed humilitatis infimæ ſenſum eloqvitur; *nec noviſſimus ſervorum ejus eſſe dignus ſum*; interprete Theophylacto. *Non relinqvere, ne mingentem qvidem ad parietem*, proverbialis loqvendi formula eſt, qvam,

qvam, sive cum plerisqve intelligas de canibus vilissimis scilicet animalibus, qvi altero pede sublato parietes permingere solent, sive cum Aria Montano de viris, qvi ad turpitudinem occultandam commodâ istâ mingendi ratione utuntur, rectè tamen locutus fuisset David, 1Sam.XXV, 22. *Ita faciat Deus hostibus Davidis & ita pergat: non reliqvum faciam ex omnibus, qvæ sunt ei, usqꝫ ad lucem crastinam, mingentem ad parietem*; si maximè nullum in domo Nabalis canem sustulisset, aut Nabal ipse ad parietem nunqvam minxisset. Qvinimo Aurelianus Imperator apud Fl. Vopiscum, cum canem in oppido Tyanensi se relicturum non esse jurasset, pœnitentia verò postea ductus, hominibus capta urbe pepercisset, canes verò omnes occidisset, non id certè egit, qvod facturum se esse juravit, qvantumvis verbis in literâ suâ intellectis vis sua haud defuerit. De amicis suis, calamitati suæ insultantibus, Hiobus. c. XVI, 19. *Distendunt contra me os suum, probrosè percutiunt maxillas meas, una contra me congregantur*; proverbio à more vulgari desumpto, qvo viliorum hominum maxillæ à potentioribus, aut eorum imperio ab ignobilioribus, cædi solebant: *non tamen credibile est, proprie loqvendo in maxillas fuisse Jobum ab inimicis percussum*: ait celeberrimus Glassius, Rhet. S. Tract. I. c. XXI. Ex qvo loco plures ejusmodi loqvendi modi proverbiales in exemplum produci possent, nisi hæc abunde sufficerent. Patet verò denuò ex dictis, ex hoc qvoqꝫ Baptistæ testimonio nihil certi sive pro affirmãte sive pro inficiante sententia posse concludi. LXXIX.

LXXIX. Hactenus id solummodo egimus, ut ostenderemus, rationes in utramq; sive asserentium calceos Christi sive negantium partem adductas id firmiter non probare, cui magna confidentia à complurimis adhibentur. Aut igitur sententiam suspendo, neq; audacter qvid ajo aut nego, aut certè affirmantium consortio ideò accedo, qvia ubi nihil ullo vel testimonio vel argumento definitum cerno, causam non video, cur à vulgato more & plerisqve in oriente usurpato Christus recesserit, aut si recedere voluisset, non qvisqvam sive sacrorum sive Ecclesiasticorum scriptorum ullibi adnotaverit. Per me itaqve si, qvid mihi probabilius videatur, edicendum est, aut calceis aut sandaliis indutus de more incessit Christus.

LXXX. Nunc cum satis longa oratione de monstraverimus, neqve mandatum unqvam à Christo fuisse, ut à duabus tunicis & calceamentis abstinerent Apostoli, neq; Christum, si talis ab ipso lata lex esset, aut semet eidem adstrinxisse, aut adstrictum voluisse, amplius cum Vavassore progrediendum, qværendumq; est: an itaqve alia præter tunicam duplici veste usus fuerit Christus? Qvam qvæstionem triplici video modo intelligi posse; primò, utrum præter vestes qvotidianas festivas & mutatorias habuerit? Secundò, utrum plures simul, qvæ medium corpus ambirent, gestaverit vestes? Tertio, utrum omnibus iis vestibus, qvæ ad singulas corporis partes tegendas consueto tum more adhibebantur, utpote pallio, togâ, tunicâ, n-

interulæ, zona, pileo, calceo, usus fuerit Christus? Et qvæstionem qvidem primam hoc ipso capite, §. LXII. expedivimus, nec etiamnum videmus, qvid ei objici possit, nisi qvod cum formam servi assumpserit Christus & eo præterea vixerit paupertatis gradu, ut non haberet, ubi caput reclinaret, vix fieri posse videatur, ut infimus hic indigentiæ status duplicem ei unamqve præ alterâ preciosiorem, permiserit vestem. Sed verò servi forma μορφὴ τοῦ θεοῦ, *DEI formæ* opponitur, notatqve servilem ejus conditionem, qvi Dominus omnium esse & Divinam per carnem ostentare poterat majestatem. At nec olim nec hodie servorum status eam in se mendicitatem complectitur, ut nec de duplici veste sibi prospicere, neqve honestiore aliqvando habitu uti possint. Servi itaqve conditionem cum ita susceperit Christus, ut non ideò in ergastulum detrusus cum infimæ sortis servis difficillimis durissimisqve manuum laboribus qværere sibi victum necesse habuerit, sed servitutem, qvandam docendo & informando servierit liberalem, mirum videri non debet, si liberaliore qvoqve incesserit habitu, & qvod deterioris qvandoqve sortis servis contingit, festivam vestem gesserit. Non habebat Filius hominis, ubi caput reclinaret, non erant ei ædes propriæ, non fundi, non prædia, qvæ distribuere inter suos poterat: non tamen eâ paupertate fuit, ut sibi nec vestem comparare posset;

posset, qvi qvotidie duodecim discipulos in convictu suo, suoqve vel proprio vel communicato ab aliis sumptu, alebat, qvibus nihil defuit unqvam, Luc. XXII, 35.

LXXXI. Ad secundam qvæstionem in superioribus mentem nostram ita declaravimus, ut diceremus, non improbabile videri, qvod plures gesserit Christus, si ob aëris frigiditatem necessum esset, tunicas, cum, ubi à patrio more non legitur recessisse, eundem intelligatur servasse. Plures autem sive tunicas, sive vestes duplicatas alias pro pellendo, si id ingrueret, frigore induisse Judæos, omni dubio caret. Præterea ulla sive lege sive instituto sive religionis disciplina plurium sibi ipsi vestimentorum usum, qvasi rigorem aliqvem & in corpus proprium crudelitatem studio affectaretur, ademisse Christum, nullo potest idoneo testimonio doceri. Et si hanc austeritatem vel amasset ipse vel aliis commendatam cupiisset, alicubi ejus rei extaret memoria, cum morem in habitu à cæteris Judæis diversum, in Johannne, cujus tanta non erat auctoritas, notaverint Evangelistæ. Sed qvid multis? plura Servatoris nostri vestimenta, aliqvoties recenset Scriptura. Joh. XIX, 23. *Milites ergo, cum crucifixissent Jesum, acceperunt ejus vestimenta, & fecerunt qvatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam.* Itaqve præter tunicam plures tum gerebat vestes, τὰ ἱμάτια αὐτῦ, numero multitudinis, qvali & in

in Psalm. XXII, 19. qvi allegatur, leguntur, Marc. V. 27. *Qvum Jesus apud se cognovisset vim illam, qvæ ex seipso prodierat, conversus ad turbam dixit: qvis tetigit vestimenta mea?* Non poterat autem tangi id, qvod corpori intimè adhærebat, cum itaqve plura exteriora tetigerit, plures utiqve habuisse vestes intelligitur. Joh. XIII, 4. *Surrexit Christus à cœnâ & posuit vestimenta sua, acceptoqve liteo præcinxit se.* Non autem deposuit omnes vestes, qvod pudori Christi non conveniebat, sed exteriores tantum; has itaqve plures fuisse necesse est. Concludimus ergo, præter interiorem vestem, qvæ vel tunica inconsutilis, vel interula aut subucula alia, qvam nos hodie indusium vel intusium vocamus, exteriores vestes plures, qvæcunqve & qvalescunqve illæ fuerint, simul Christum gestasse.

LXXXII. Tunicam inconsutilem, cum de ea ageremus, interioribus probabiliter annumeravimus vestimentis. Dico, probabiliter. Neqve enim citra omnem dubitationis formidinem pronunciari posse existimo. Cum plures simul gestaverint vestes, alteram alterâ magis interiorem fuisse necesse est. Hodierno more nostro tunicæ interiores laneæ cutem non ambiunt, sed interulæ aliæ lineæ, qvinimò nec hæ totam; sunt enim, qvi stomacho subuculam qvandam pectoralem, gossipio fartam, propius apponunt. Varro de Romanis: *post qvam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt*

runt vocare subuculam & indusium. Aliqva ita & tunica indusii loco fuit. De inconsutili tunicâ, qvam ex Hebræo לבוש, ἱματισμὸν vocat Johannes, idem nobiscum sentit Jo. Gerhardus, cujus ideò verba ex Harm. Pass. c. XIV. p. 169. addemus: *χιτὼν aliqvando in genere pro qvavis veste usurpatur, sed hic in specie accipitur pro veste interiore cutem proximè attingente, qvæ etiam propria est, hujus vocis significatio, qvæ opponitur ἱματίῳ, vesti exteriori. De hac Christi tunica antiqva extat traditio, qvod fuerit opus manuum B. Mariæ, semper virginis, lanâ contextum; qvod facile fidem apud nos invenit. Olim enim etiam honestiores matronæ neqvaqvam sibi probro ducebant, lanificio manum admovere. Prov. XXXI, 13. in laude mulieris, qvæ est οἰκοδεσπότις, etiam hoc ponitur: qvæsivit lanam & linum & operatur cum voluptate manibus suis; stragulatam vestem fecit sibi. Qvod autem ex eadem traditione additur, tunicam illam, in pueritiâ Christo indutam, progressu ætatis simul cum ipso crevisse, id procul dubio desumptum est ex eo, qvod de Israelitis in deserto per qvadraginta annos oberrantibus dicitur, Deuter. VIII, 4. vestimentum eorum non defecisse vetustate. Qvod si uno eodemq; vestimento per tot annos fuerunt usi, ex eo intelligitur, qvod etiam una cum ipsis creverit; visum igitur fuit, longè majore ratione tale miraculum in Christi tunicâ statuendum. Sed cum de eo S. Literæ taceant, in credendi libertate positum esse meritò judicatur.*

LXXXIII. Exteriorum vestium multitudini, qvam ex nonnullis Scripturæ testimo-

niis præcedenti paragrapho adstruximus, duo videntur obesse; primò qvod cum frugalis vetustas uno duntaxat contenta fuerit vestimento, cui vel mollities hominum vel curiositas postea plura adjecit; improbabile sit, Christum ulli vel luxuriæ vel teneritati deditum fuisse, aut exemplo suo approbasse antiqvæ simplicitatis contemptum. Qvippe qvi fœmineam istam mollitiem aliqvoties etiam in Pharisæis rejecit atqve damnavit. Luc. XX, 46. *Attendite à scribis, qvi volunt ambulare in stolis & amant salutationes in foro.* Ad qvem locum Alb. Rubenius, de Re Vestiar. c. XVII. p. 104. Zachariæ Chrysopolitani Episcopi glossam allegat: *In stolis ambulare est in cultioribus vestimentis in publicum procedere, qvod reprehenditur in divite, qvi induebatur purpura & bysso.* Deinde qvod infirma sit argumentandi ratio, qvæ à plurali numero desumitur, qvi facile potuerit per enallagen poni pro singulari. Gerhardus, in Harmon. l. c. *Nec ex plurali numero certo & immote colligi potest, Christum præter tunicam plures adhuc vestes gestasse, siqvidem & in Hebræa & in aliis lingvis usitatum est, pluralem pro singulari, & vice versâ singularem pro plurali poni. Moris fuit in illa antiqvorum simplicitate & frugalitate, homines duabus vestibus contentos vivere, qvarum una fuit exterior, Hebræis* מעיל, *Græcis* ἱμάτιον, *Latinis toga dicta, altera interior. Verisimile igitur est, Christum, cujus vita exemplar fuit humilitatis, modestiæ, simplicitatis & frugalitatis, itidem his duab⁹ vestibus con-*

ten-

centum fuisse, ac proinde nomen ἱματίων positum esse pro singulari ἱμάτιω, quod est vestis exterior, respondens Hebræa, מעיל, quod est genus vestimenti, reliqvis superinduivel superinjici solitū, item pallio Græcorum & togæ Romanorum. Nec desunt exempla, in quibus plurale pro singulari, in re vestiaria, imo in hoc ipso nomine usurpetur. Producuntur deinde illi ipsi, qvos nos in subsidium causæ nostræ vocavimus, loci, & præter illos, Matth. XXVI. 65. ubi Pontifex dicitur disrupisse ἱμάτια, h. e. exteriorem vestem, non autem interiorem, corpus proxime attingentem. Et Act. XIIX, 6. ubi Paulus excutiens τὰ ἱμάτια, exteriorem vestem, dixit: *sangvis vester super caput vestrum.* Deniqve subjicit & hoc argumentum: *Potest etiam ex analogia probari, nomen ἱμάτια in singulari significatione esse positum. Ut enim Græci unico utebantur pallio, non duobus, Romani una toga, non duabus vel pluribus: sic & Judæi unam gestarunt vestem exteriorem,* מעיל *ipsis dictam: qva in parte morem patriæ à Christo observatum esse, dubitari cum ratione non potest.*

LXXXIV. Ad primum respondetur, vestium necessarium multitudinem non illico arguere mollitiem vel inanem superbiam. Qvi hominibus, sub zonâ frigida algore qvasi concretis, simplicitatem unius tunicæ commendaverit, næ is hac virtute brevi omnes morti immolabit. Si verò in calidiore regione paucioribus contentus esse vestibus Christus potuit, cur non una eidem solum-

modo attribuitur, ut majori prospectu & humilitas & modestia & simplicitas & frugalitas ex eo reluceat? Cur verò cum duabus vestibus, interiore & exteriore simplicitati tam amicè convenit, terna verò vestis eandem tam hostiliter proscribit? Non eqvidem ex numero vestium arithmetico amici simplicitas vel cognoscenda vel mensuranda est, sed si qvid vestimentis potestatis est in illam virtutem, mediocritas in geometricâ proportione potius erit qværenda. Tum verò humilitatis & simplicitatis exemplar esse desineret Christus, qvando vel plures vestes præter vulgarem & inveteratam patriæ consuetudinem, vel ad meram ostentationem, cum neqve necessitas ulla neqve honestas publica eas reqvireret, vel majori, qvam statum ipsius deceret, precio aut splendore conspicuas, vel alio deniqve qvocunqve infames vitio, gestaret. Unde autem probabitur, communiter tum, cum Christus viveret, in duplici tunicâ Judæos acqvievisse, cum infinitarum aliarum vestium, ut apud Romanos & Græcos, ita apud Hebræos qvoqve, in sacris pariter atqve profanis scriptoribus mentio fiat? Conferantur illi, qvi vestimenta nobis antiqvitatis descripta dederunt, qvem deprehendemus numerum? Non eqvidem Christum dixerim vel semper plura vestimenta gestasse, vel gestasse ad pompam & ornamentum, non tamen capere possum, qvomodo tationes adductæ plu-

rium

rium ipsi vestimentorum usum interdicant. Quot qvantasqve & cujus precii vestes Sacerdos qvondam Veteris Testamenti maximus gerebat, qvi neqve fastu ideo turgebat, neqve amabat luxuriam? Sunt sui cuilibet ætati, ut in rebus aliis, ita in vestitu qvoqve, mores & consuetudines, qvibus repugnare velle, nisi manifesta turpitudine laborent, insolentis animi est, sibiqve soli dediti. Stolæ, qvas in Pharisæis reprehendit Christus, muliebre vestimentum sunt, cujus usum viris eo rectius exprobat, qvia famam affectabant vitæ, ab omni mollitudine remotæ & valde austeræ, cui cum sindone & serio & purpura & abysso nihil est commercii. Qvem delicatum vestiendi modum non vestium multitudo efficit sed materiæ præstantia, qvam vestibus Christi nemo vindicat, aut vindicabit unqvam.

LXXXV. Ad secundum facilius respondetur, niti argumentationem nostram virtute literæ, qvæ deserenda non est, nisi gravissimæ diversum svadeant causæ. Cum ex pluralis numeri indole, ubi dicitur: *faciamus hominem; descendamus & videamus; qvod videmus, testamur*; & si qvæ sunt ejusmodi plura, personarum qvoqve pluralitatem Theologi colligunt, qvis eum tolerabit opponentem, pluralem sæpe pro singulari poni? Aut qvæ consequentia est: pluralis aliqvando ponitur pro singulari; ergo id fit qvoqve in iis locis, ubi de vestimentis Christi pluribus sermo est? Qvin potius

ita concludamus: pluralis numerus consueto vulgatissimoqve ordine res plures significat; ergo hic qvoqve significabit, donec contrarium evidentioribus, qvam qvalem ipsa vis loqvendi plura involens suppeditat, rationibus demonstretur. Cur enim in numero multitudinem sua natura signante loqvimur, si multitudinem non cupimus intellectam? Aut qvam multitudinem nobis non licebit in unitatem convertere, si sine ulla ratione pluralem accipere licet pro singulari? In Hebræâ, inqvies, linguâ usitatum est, pluralem, pro singulari poni. At in Hebræâ linguâ, ego dico, usitatum est, sicut in omnibus aliis linguis, ut pluralis plura singularis rem unam significet, neqve citra rationem confundi numeri immensum discrepantes vel possint vel debeant. Qvod si qvandoqve numeri permutentur, alterqve ponatur pro altero, usitatum est, ut neqve sine ratione hoc fiat, qvæ tum indaganda & indicata est, neqve sine ratione positum esse pluralem pro singulari nobis liceat asseverare. Non plures una veste tum, cum illa scriberentur, gestarunt; repones. At qvam incertum, qvam falsum hoc est? Nempe qvia nobis placet, simplicitati Christi convenire, ut unâ tantum veste contentus sit, pluralis ad nutum atqve imperium nostrum mutari in singularem & multa vestimenta unum fieri debent. Qvid? qvod æqvius sit, ad servandam suam plurali numero indolem, dicere,

re, cætera qvoqve præter tunicam indumenta, utpote capitis & pedum & lumborum, sub pluribus illis vestimentis comprehendi, qvam vestimenta plura sine ulla causa in vestimentum unum transire. Non desunt, regeres, in ipsa materia vestiaria exempla positi numeri pluralis pro singulari. Nondum scilicet animadvertis, te adhuc à particulari concludere: aliqvando vestimenta pro vestimento capiuntur; ergo & in his, de qvibus nobis qvæstio est, locis? Sed ubi tandem illa regnat enallage? Nam de locis disqvisitioni nostræ subjectis respondere non possumus, nisi principium petamus. Cum Hæmorrhousa apud Marcum, cap. V, 27. vestem Christi, v. vero 33. vestes tetigisse memoratur, utrumqve verum esse, pervulgata regula indicat: unius inclusio non est alterius exclusio. Nempe loco priore vestem, in genere acceptam, sub qva singulæ species attrectatæ comprehenduntur, posteriore species ipsæ numero plures, enunciantur; Aut hoc forte qvispiam in dubium revocabit, utrum illa duas simul aut plures, aut unam etiam post alteram, actu continuato, potuerit tunicam centrectare? Neqve enim exteriorum vestium ita alteram absorbet altera, ut non plures possint simul tangi, saltem contactu, ut philosophi loqverentur, mediato, qvo non qvidem à manu singula immediate, sed per extremam tamen cætera sub illa latentia, attingantur atqve prensentur. Cum

Matth. XXVI, 65. Pontifex rupisse vestimenta sua dicitur, qvid opus est, solum exterius, aut inter exteriora extremum intelligi? Martinus Geierus, de Luctu Hebræor. cap. XXII. §. 14. *Qvando*, inqvit, *in luctu vestimentorum fiebat scissio, experiebantur eam modo pallium, modo tunica, modo utraqve.* Qvod cum nonnullis locis probasset: *sanè*, ait, *summus Pontifex rumpit τὰ ἱμάτια, hoc est, vestimenta externa, & quamqvam Marcus etiam meminerit τῶν χιτώνων, cap. XIV, 63. tunicæ interioris, attamen conciliari poterunt, ita, ut propter indignationis vehementiam planè singularem utraqve vestium sanctissimas tanti zelotæ manus fuerit experta. Et ne hoc absurdum censeas, provoco ad locum Esr. IX, 4. ubi utraqve conjunctim deprehendes: surrexi de afflictione meâ & cum scidissem vestem meam & pallium meum, incurvavi me super genua mea.* In Veteri Testamento nihil freqventius, qvam plura vestimenta simul rumpi, qvinimò ipsam tunicam interiorem, 2. Sam. XIII, 19. XV, 32. Qvid itaqve causæ est, cur unam tantum & extremam à Pontifice ruptam dicamus? Joh. XIII, 4. cum pedes discipulorum suorum loturus vestes deponit Christus, Nonnus disertè τὰς χιτώνας nominat; qvod Poëticâ ipsum licentiâ facere, gratis certè dicitur. Qvid enim me cogit, ut hanc verbis ejus figuram, invita ipsius voluntate, obtrudam? Deniqve non potuit, Act. XVIII, 6. Paulus simul excutere duas tunicas, ut necessariò de unâ exteriore locum inter-

interpreter? Hæc, nisi fallor, ostendent, ne qvidem unqvam in materia vestiaria pluralem numerum pro singulari usurpatum esse, nec ideò vel exiguam levemqve remanere causam, cur, cum de Christo plura vestimenta exteriora prædicantur, per insuetam in hoc argumento enallagen, de unica tantum veste illa testimoniorum exempla exponamus.

LXXXVI. Ad tertium respondetur, neqve analogiam istam adeo certam esse; qvid enim impedit, qvo minus, qvod hodie in diversis provinciis fieri cernimus, diversam vestiendi rationem tam inter se diversi populi, Hebræi, Græci, Romani habuerint? neqve etiam indubitatum, vel pallio solo Græcos, vel toga sola Romanos contentos fuisse. Qvid enim vestium gesserunt Romani, cum usu ipsis togarum, si ausi fuerant, ut Juvenalis inqvit,

- - *aliqvid brevibus Gyaris & carcere dignum,*

interdicebatur? Qvid, cum in luctu & calamitate publica exuebant? apud Ferrar. libr. I. cap. XXVII. Qvid, cum togam Saturnalibus omnes deponebant? ut adductis testimoniis probat *Hier. Bossius*, Commentar. de Toga Romana, cap. VI. p. 22. s. Qvod si antiqvissimis temporibus Romani, ut libr. VIII. tradit Gellius, nullis tunicis utentes, solis togis amicti incesserunt, eâ certè, qva Christus vixit, ætate, qvaqve & ipsæ togæ una cum immi-

nutâ populi Romani potestate in desuetudinem abire cæperunt, à simplicitate ista, nec sine gravi ratione, longè recesserunt. *Toga*, inqvit Nonius, *sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, qvo in foro amicimur.* Alia itaqve vestimenta fuerant qvibus domi utebantur, qveisqve togam superinjiciebant, foras prodituri. *Ego crediderim*, ait Ferrarius, lib. I. c. XXVIII. *domi tantum tunicatos fuisse, ita tamen, ut hyeme pluribus tunicis uterentur, qvod de Augusto tradit Suetonius. Si qvis tamen lacernas etiam domi pellendo frigori adhibitas contendat, non multum repugnaverim; licet qvod sciam, nullus veterum hoc tradiderit,* Jam qvæ præter togam agud Romanos vestimenta exteriora? Qvid Synthesis, communis convivantium vestis, etiam viliorum [qvam instar pallii fuisse Just. Lipsius existimat, Ferrarius linteam sindonem, qva involvebantur in convivio, reliqvis utplurimum depositis vestimentis; qvam à Romanis inter cæteras vestes mutuò sumpsisse Judæos, argumento est, qvod adolescens ille, qvi Christum à Judæis captum seqvebatur, tali sindone super nudo indutus perhibeatur. Qvid pænula? Qvam cum gestaverit Paulus, si non alio vestiendo modo Christum, qvam Apostolos, usum esse veritati consentaneum est, Christum qvoqve, saltem pulviosoatqve hyberno tempore, gesisse necesse est. Pænulam autem illam non fuisse vestimentum, qvale antiqvitus itineris ac præcipuè pluviæ causa

fume-

sumebatur, sed potius, qvod Baronius ad Ann. LIIX. persuadere nititur, vel thecam & loculos, qveis libri continerentur, vel potius volumen: falsitatis convincit, protritis Baronii rationibus, libr. I. cap. XXXVI. Ferrarius. Qvid lacerna? Qvid tunica? *Vulgo qvidem*, ait idem Ferrarius, cap. XXXVIII. *tunc homines in Orbe Romano tunicis, saltem* [ad minimum; hæc enim nativa hujus vocis vis est; qvâ vulgo pro: tantum, fœdè abutuntur] *duabus induti, interiore lineâ, sive subuculâ, & exteriore ex lanâ aliave materia, qvæ propriè tunica dicta, olim qvidem sine manicis, qvæ colobium, post manicata, qvæ Dalmatica. Tunicæ qvidam togam injiciebant, qvidam lucernam aut pænulam.* Qvid læna? qvam Servius, eò qvod vestis gravior ac villosa fuerit, arcendo cumprimis frigori apta, togam duplicem appellat. Qvid subucula? De qvâ Suetonius in Augusto: *Hieme qvaternis cum pingui toga tunicis & subuculæ thorace laneo muniebatur.* Vestes itaqve ei exteriores, solum seu pectus circumeuntes, qvinqve frigidiori aëre fuerunt, tantum abest, ut sola toga exterius contenti fuerint Romani. Qvæ cum ita se habeant, qvid obstat, qvo minus argumentum posit inverti diciqve: si Romani, necessitate urgente, plures simul non tunicas tantum, sed & vestes alias exteriores gestarunt, Judæos qvoqve, qvi in plerisqve jam tum Romanorum mores imitabantur, probabile est, si opus esset, pluresfibi, vel ad deco-

decorem vel ad necessitatem, asciviſſe veſtes, atqve ea in parte morem patriæ à Chriſto qvoqve obſervatum eſſe, dubitari cum ratione non poſſe.

LXXXVII. Supereſt, ut videamus, utrum plures Chriſtum geſtaſſe veſtes, etiam ex diviſione veſtium, qvam, poſtqvam ipſe in crucem actus eſt, inſtituerunt milites, probari poſsit? Sunt enim, qvi putant, qvinqve habuiſſe Chriſtum veſtes, pro numero militum & lictorum, inter qvos ſcilicet qvatuor fuerint diſtributæ, ac de qvinta, tunica nimirum, ſortis judicium conſultum. Qva de re ſeqventem in modum diſputat Theologorum noſtrorum decus, D. Jo. Gerhardus, Harm. in Paſſ. c. XIV. *Qvando Johannes dicit, milites crucifixores ex veſtibus Chriſti feciſſe qvatuor partes, ex eo rectè qvidem colligitur, qvatuor fuiſſe milites ſupplicii executores, ſed minus rectè id exponitur hoc modo, quod ſingulis militibus ſingulæ veſtes ceſſerint. Sanè, qvi præter tunicam qvatuor veſtes Chriſtum geſtaſſe ſtatuunt, exiſtimant, ex verbis Johannis id colligi poſſe; ſed circumſtantiæ textus oſtendunt contrarium. Cum enim tunicam eſſent diviſuri, dicunt: μὴ σχίσωμεν αὐτὴν, ne ſcindamus eam. Ex eo colligitur, quod τὰ ἱμάτια jam antea diſtributa ſciderint; id enim volunt dicere: τὸ ἱμάτιον in partes conſcidimus, ſed tunicam, cujus utpote reticulato opere contextæ partes nulli uſui eſſent futuræ, non ſcindamus. Omninò igitur ſciſſio & laceratio præceſſit. Atqvi ſi*

si singulæ vestes singulis militibus cessissent, nullâ opus fuisset scissurâ. Ergo ποιεῖν τὰ μέρη ἐκ τῶν ἱματίων est pallium unum in quatuor partes conscindere. Id quod commodè fieri potuit, erat enim ἱμάτιον τετράγωνον, vestis quadrangula; Num. XV, 38. Deut. XXII, 12. jubentur Israëlitæ funiculos sibi facere, super quatuor alas sive angulos operimenti sui. Hoc operimentum Matth. XXIII, 5. vocatur ἱμάτιον; ex quo intelligitur, ἱμάτια à Judæis gestari solita, fuisse quadrangula. Commodè igitur Christi ἱμάτιον itidem quadrangulum in quatuor æquales partes dissecari, ac quatuor militibus distribui potuit. Diviserunt ergo milites Christi vestimenta, hoc est, vestem exteriorem in quatuor partes æquales pro numero militum crucifixorum dissectam invicem distribuerunt.

LXXXIIX. Ego, quod pace hujus tanti viri dixerim, ita sentio: divisionem istam neque quatuor necessariò inferre vestes, neque unam; sed utramque sententiam cum divisione vestium consistere posse. Hoc ita ostendo: si duæ tunc Christo tunicæ exteriores, cum baltheo & calceis fuerunt, dividi potuere inter quatuor vel sorte, quamquam partes, quod nec necessarium erat, precio non æquarentur; vel citra sortilegium, quâ tunicarum vel una vel utraque in majores minoresque partes ita dirimeretur, ut redigi in portiones quatuor, precio æquales, vestes omnes partim integræ partim dissecatæ pos-

possent. Porrò si præter tunicam inconsutilem, qvam nunc induſii loco cuti proximè adhæſiſſe ſuppono, ſollo pallio & calceis ſeu ſandaliis veſtitus fuit, pallium in qvatuor partes diſrumpi & additis uni earundem ſuperpondii loco calceis diſtributio in qvatuor potuit partes inſtitui. Qvid enim, qvæſo te, vel in verbis vel in reipſa, qvominus hæc fieri potuerint, obſtat? Qvod ſi ex loqvendi modo: *ne ſcindamus eam*; veroſimiliter colligitur, [qvamqvam nonnulli eorum, qvi contrariæ opinioni addicti ſunt, negent, neceſſitatem hic conſeqventiæ ullam deprehendi] priora veſtimenta ſciſſa eſſe, neqve ſeqvitur; unicum tantum veſtimentum fuiſſe, qvod ſcinderetur, [qvid enim, ſi plura conſciſſa fuerint?] neqve alia non adfuiſſe, qvæ haud ſcinderentur, qvippe qvæ vel minora vel minoris certè precii eſſe poterant, qvam ut ſciſſione opus eſſet. Qvinimò plura adfuiſſe, qvorum non repugno unum in partes diſſecatum fuiſſe, diſerta verba: τὰ ἱμάτια, profitentur, qvæ ſine ulla cauſa ſingulariter accipi, paulò ante oſtenſum eſt. Itaqve ſi pallium in duas partes diſſectum, portionem primam atqve ſecundam, tunica exterior tertiam, baltheus cum calceis qvartam conſtituiſſet, qvod non tam dico, qvam ſuppono, [credo eqvidem ob Scripturæ aſſerentis auctoritatem, plura veſtimenta adfuiſſe, qvæ adfuerint & quot & qvales, cum illa ſileat, ignoro] qvis poſſet inficiari,

hoc

hoc esse & scindere vestem & ποιῶν τὰ μέρη ἐκ τῶν ἱματίων? Qvantumlibet autem commodè fieri potuerit, ut pallium Judaicum in qvatuor distraheretur, partes; commodè tamen non loqveretur Evangelista, si de uno pallio in plures partes secato diceret, facere partes ἐκ τῶν ἱματίων *ex vestimentis*; eum post dissectionem pallium neqve vestimentum amplius fuerit, neqve in plura vestimenta transierit, perinde atqve tabulæ mensæ, si disjungantur, neqve mensa amplius sunt, neqve mensarum nomen sustinent. Qvid verò opus est figuras verbis inducere, ubi nihil vel suadet vel cogit? Vestimenta dividere, hoc est, exteriorem vestem dissectam? Neqve in duros & insuaves auribus tropos oratio, qvæ sponte suâ fluit, sensumqve citra omnem violentiam facilem reddit, contorqvenda est.

LXXXIX. Ad ultimam qvæstionem accedimus, consideraturi, utrum omnibus iis vestibus, qvæ ad singulas corporis partes tegendas consueto tum more adhibebantur, usus fuerit Christus? Ut autem ab infimo homine exordiamur, de calceo, qvem πέδιλον θεόπνευστον ridiculè vocat Nonnus, qvæcunqve poterant dici, in superioribus occupavimus, neqve necesse est, ut plura nunc qvum properemus ad finem, adjiciamus.

XC. Tibialia, uti nos hodie appellamus, id est crurum & tibiarum usqve ad genua & supra ea integumenta, ignoravit antiqvitas. Causa est, qvod Romanorum togæ & Græcorum pallia ad cal-

calceos usque, teste Quintiliano, quod & figuræ passim in statuis & nummis confirmant, demittebantur. Neque ad Judæos, qui pallio cum Græcis, ad imos usque pedes defluente, usi sunt, tibialium notitia pervenit, cum in iis regionibus, tanquam calidioribus, minus iis, quam Latini, aliique, opus haberent. Quid de femoralibus, seu femorum involucris, quæ nonnulli perperam hodie caligas vocant, dicemus? Nempe quæ ratiotibias, ea majori jure femora & femina, [nam eousque hodie femoralia ascendunt] vetustioribus illis ademerunt, cum, quæ hodie longiore veste utuntur, fæminæ, tibialia tamen non repudient, femoralia verò à se excludant. Neque enim femorum videbatur opus esse tegumento, quando illa partim tunicis exterioribus? partim toga pallioque claudebantur. Demonstrant etiam hunc habitum statuæ, è Romanæ urbis ruderibus ac ruinis erutæ, nec non columna Trajano erecta, in qua non gregarii milites tantum, sed ipse Imperator ac principes viri sine cruralibus visuntur. Quod si nonnunquam gestisse comperiuntur, id quasi extra ordinem & valetudinis causa factum fuit; refert enim de Augusto Svetonius, cap. LXXXII. nonnisi hieme feminalibus & tibialibus munitum fuisse. Ut adeo Quintilianus, lib. XI, c. III. scribat: *palliolum, sicut fascias, quibus crura vestiuntur, & focalia & aurium ligamenta sola potest excusare valetudo.* Ex quo simul

mul loco & id habemus, si maximè ægro corpore contecta sint femora, non id ad eum, qvem hodie servamus morem, sed fasciis tantummodo factum esse. Constat itaqve, neqve tibialia neqve femoralia, (Strümpff oder Hosen) Christum gestasse. Sed dubium est de fasciis feminalibus, id est, qvæ non tam crura, qvam femina, atqve inibi partes, qvas natura ipsa cupit occultatas, operiunt. Ejusmodi Hebræorum sacerdotes sacrificandi officio fungentes, ex mandato Divino gerebant, ne per gradus ascendentes ad altare, revelaretur ipsorum turpitudo. Dico: fascias feminales; Talibus enim, ut ex antea allegatis & iis, qvæ prolixius disputat Nigronius, cap. II. de Calig. §. IIX. XIII. XIV. patet, & Romani qvandoqve utebantur; etsi, si Hieronymo, Epistola ad Fabiolam, de Veste Sacerdotali, fides, qvi Josephi auctoritatem, cum & ipse Sacerdos esset, allegat, *hæc feminalia, de byssoretortæ, ob fortitudinem contexi solebant, & postqvam incisa fuerint, acu consui.* Res non omninò certa est, Qvamqvam enim feminalia Exod. XXIX. 42. jubeantur à lumbis descendere usqve ad femora, incertum tamen est, ad qvam femorum partem pertigerint. *R. Jacob Jehuda Leo*, in Effigie templi Hierosolymitani, qvam ex Hebræo exemplari Augustissimæ Bibliothecæ Guelpherbytanæ latinè recensuit *Joannes Saubertus*, lib. II. cap. CVI. in æneis figuris femoralia ista ad eam prorsus formam, qva nostra

conſpiciuntur, exhibet, cui ideò fidem habendam eſſe editor [qvi utrum promiſſum â ſe in hunc librum Commentarium in lucem ediderit, ignoro] dictitat, qvia narratio ejus ex Talmudicorum ſcriptis petita ſit, qvibus hac in re fides vix derogari poſſit, utpote cum Talmudicas traditiones ſtante anhuc templo fuiſſe conſcriptas, inter Judæos circumlatas & ab iisdem aſſervatas, poſt deſtructionem vero illius in unum corpus demum collectas, ſatis ſit exploratum. Qvicqvid vero ſit de femoralibus ſacerdotum, de qvibus, ut hoc loco agamus, ratio nulla eſt: hoc qværitur, an & alii è populo iisdem fuerint uſi? *Julius Nigronius*, cap. II. de Cal. §. XXIX. ſ. magno argumentorum apparatu hoc negat. Nam tibialia neqve in vetuſtiſſimis picturis comparere, qvæ Salvatorem & Apoſtolos exhibeant cruribus nudis, neqve ſacerdotes etiam, nedum è grege homines in miniſterio iisdem uſos, neqve eos, qvi in rem Veſtiariam Judæorum copioſè ſcripſerint, Philonem, Joſephum, Origenem, Hieronymum, Iſidorum, Bedam, Alcuinum, ex recentioribus Riberam, eorundem uſpiam meminiſſe, neqve deniqve tibialium apud Romanos, cultiſſimam gentem, nedum Judæos unqvam uſum fuiſſe; femoralia vero longè fortioribus argumentis rejici à Caſpar. Sanctio, aliisqve. Qvomodo enim

ſi

si femoralia babuissent Judæi, turpitudinem suam filiis suis Noa dormiens revelasset? Qvomodo mulier viri tixantis cum altero pudenda, [qvem casum *honestatis causa* non refert Nigronius, cnm honestatis causa non præterierit auctor Nigronio longè castior, Moses] si illa femoralibus fuissent involuta, apprehendisset? Qvomodo femoralia ad partium pudendarum occultationem peculiariter injungerentur Sacerdoti sacrificaturo, si eorundam promiscuus fuisset apud omnes usus? Qvomodo apud Ezechielem sacerdotes induti feminalibus post ministerium deponere juberentur & in Gazaphylacio reponere, si tum ea omnes sine discrimine gestassent? Qvomodo soli Judæi hoc habitu uterentur, cum ulla unqvam ejus notitia fuerit apud Romanos pariter atqve barbaros populos omnes? Video verò apud Doct. Geierum, libr. de Luct. Hebr. cap. XXII, 11. præsentem Nigronii sententiam confutasse *Joh. Hier. Sopronem*, Jesuitam Genuensem, inn Digressione de re vestiariâ Judæorum, qvi omninò asserat aliqvod fuisse velamentum, partibus verendis propriè destinatum, iicet nostris tibialibus & femoralibus, qvi pedibus immisis attrahuntur ad lubos, dissimile, qvippe qvod circumligabatur & qvo femina cingebantur.

Sopranem hunc, tam ubiqve in hoc vestiario argumento, etiam ab Arndio, laudatum, diligentissimam, ut nanciscerer, operam dedi, sed nescio qvod mihi fatum, postqvam inprimis ab aliqvot annis merces ex Galliâ in Germaniam advehi vetitum publico edicto fuit, eundem hactenus invidit. Cujus hic certè opinio perqvam mihi videtur probabilis; Christumqve existimabo hoc libentius, isto more usum fuisse, qvo virgineo pudori, si ab hostibus violenter raptaretur, spoliareturqve, ut aliqvoties factum esse historia memorat, externis vestibus, magis consuluisse meritò creditur. Qvare & pictores cruci affixo velamentum istud, ne exutus à lictoribus vestimentis cæteris nudato prorsus corpore conspiciatur, circumdat.

XCI. De iis vestimentis, qvæ medium pectus ambiunt, subinde in hac tractatione diximus. Nempe à vero alienum haud videtur, tunicam inconsutilem Christo subuculæ seu induisiiloco fuisse; neqve enim de aliis, cutem lambentibus, vestimentis, nisi tunicis & secundum qvosdam Synthesi, qvicqvam in vetustis monumentis aut legitur, aut conspicitur. Si verò illa exterior vestis fuit, aliam necesse est tunicam corpori adhæsisse, qvaliscunqve illa fuerit, illam autem vel solam vel cum alia interiori subuculæ fuisse superinjectam. Nam supra, nisi fallor, sufficientibus

qvo

argumentis docuimus, nihil uſpiam obſtare, qvo minus aliqvando plures aliqvando pauciores vel tunicas vel veſtes alias induerit Chriſtus. Eorum, eqvidem opinio, qvi ſolum pallium interiori tunicæ adjungunt, ideò etiam improbabilis eſt, qvia cum tunica interior recepto ubiqve more non ad genua usqve pertingeret, ſi pallium apertum eſſet, neqve honeſtati, neqve frigori, neqve pudori conſultum ſatis fuiſſet, cum maximam corporis partem, ubi inſuper & tibilia deerant & femoralia, aliqvando ſolum pallium, non ſie periculo proſtituendæ verecundi, aliqvando nihil prorſus, ſi pallium nempe ad utrumqve latus diffluxiſſet, texiſſet. Qvocirca cum minimum duas tresve tunicas geſtaverit Chriſtus, qvæſtio ſub naſcitur, an cinctus fuerit? an cingulum, an zonam, an baltheum geſtaverit? Romanos, exceptis laticlaviis, cingi ſolitos, cum cinctura beneficio tunicæ vel longiores fierint, vel breviores, Cap. VII. libr. III. docet Ferrarius. Nec de Judæis dubitari poteſt, cum hoc ipſum qvaſi ſubſidium femoralium atqve tibialium, [tunica enim extrema, qvæ & ſuperaria dicebatur Latinis, infra genua ad medios poplites cadebat] defectum compenſaverit, veſtibus per zonam compreſſis & corpori vel ad velandam nuditatem, vel ad colorem impertiendum adductis. Unde freqventiſſima in ſacris cingulorum mentio. Si qvis non omnes,

de more & consuetudine qvotidiana, sed eos tantum præcinctos fuisse defenderit, qvi gnaviter, promptè & expeditè aliqvod opus aggressuri essent, veluti venatores, milites, popas, chirurgos, iter facturos & similes, qvod ad Minucii Felicis Octavium, p. 188. s. fusè probat *Jac. Ouzelius*, nec repugnare Scripturæ usus videtur; ei facile reponi poterit, partim, per id morem cingendi communem non aboleri, sed nonnullis tantum peculiariter adscribi, qvi cæteris nempe altius præcingebantur, qvod ex eoipso Minucii loco manifestum est, ubi *Diana altè succincta venatrix* audit; partim hoc ipso Christo, Domino nostro, baltheum vindicari, qvi cum Apostolis suis qvotidianas obibat peregrinationes & eo cumprimis tempore, qvo officio suo fungebatur, perpetuo iter faciebat. Qvare & Johannes Baptista ζώνην δερματίνην habebat. Matth. III. 4. & Apostoli omnes zonas. Matth. X. 9. inprimis Paulus, cujus zonam Agabus solvebat, Act. XXI. 11. & Petrus. Joh. XXI. 18. Act. XII. 8. Vel hoc itaqve argumento gesserit baltheum Christus, qvod similis ei ferè ab omnibus vestiendi ratio cum Apostolis attribuitur. In convivio ultimo, ubi vestes suas, id est, pallium & tunicam extremam deposuit, lavitqve discipulis suis pedes, non eqvidem in hunc se finem præcinxit, ut cæteras vestes, ad opus expeditius faciendum, coarctaret; id enim, nisi forte præter tunicam corpori etiam sine cingulo adjacentem aliam

aliam ei superinductam retinuerit, necessarium non erat; sed ut more ministrantium linteum ei illicò ad manus esset, quo pedes detergeret atq; siccaret. Qua ratione & Petrus, cum nudus esset, viso cognitoque Domino, τὸν ἐπενδύτην, *amiculum* seu tunicam, [Suidas τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὁ καὶ ὑποκάμισον λέγεται; quamquam alii exteriorem vestem notari velint] accepit, quo cum præcinctus fuisset, in mare se præcipitem dedit. Joh. XXI, 7.

XCII. Perventum est ad pallium usque; quod equidem Christum gestasse, à nemine facile negari, quale illud fuerit, non omninò conveniri video. Nonnulli cum exteriore tunica confundunt, cum tunicæ nunquam ad pedes usque descendant & nisi in colobiis, quæ tunicæ admodum breves fuerant, manicis gaudebant, quibus caruere pallia. Pallium Hebræum Græco similius, quam Romanorum togæ fuisse, communis sententia est, eò quod toga rotunda, vulgare verò pallium quadratum fuerit, quod & de Judæorum pallio verum esse videatur. De eo enim conficiendo Deus ita præcipit: *Alloquere filios Israël & edicas eis, ut faciant sibi zizith in oris vestimentorum suorum per generationes suas & dabunt super zizith orâ filum hyacinthinum. Erit autem vobis zizith, ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ.* Num. XV. 38. 39. Zizith ista quid fuerint, aliis discutiendum relinquo, mihi hoc loco perinde erit,

sive fimbria fuerint, qvæ in ora vestimenti è duplicato panno eoqve filo hyacinthino fasciæ instar consuto, consurgit, qvam nos Germani einen mit gelber Seiden gestäpt- oder gebrämten Saum vocaremus, sive peniculamentum, ut locum allegatum exponit Franc. Junius: *Peniculamentum*, inqvit, *vocant Ennius & Lucilius genus segmenti carminati, qvasi in penicillos sectis filis abiens, qvod vulgus frangiam nominat, Germani* Frantzen. *Et ita ab Onkelo & Hebræorum doctissimis qvibusqve accipitur. Hoc autem significationi videtur longè melius convenire, qvam si fasciam institam, tæniam, aut aliud qvidvis expresseris: qvia varius ille & peniculatus filamentorum textus respondet toti illi contextui mandatorum Dei, qvem exprimit Mose, sequente versu dicens: Ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ.* Ista vel peniculamenta vel hyacinthinæ fimbriæ assutæ fuerant לכנפי בגדיהם, *alis vel oris vestimentorum* an tantum angulis, an verò toti circumqvaqve margini vel extremitati? Vox qvidem כנף, utrumqve admittit; nec diversum qvid infert Græca vox, qvæ in novo testamento Hebræam istam exprimit: κράσπεδον; qvasi κρεμάμενον εἰς πέδον, *interram dependens*: τὸ περισσὸν, ὃ οἱ μὲν κράσπεδον, οἱ δὲ πτέρυγα ὠνόμασαν, ut explicat Julius Pollux; τὰ κράσπεδα, αἱ τελευταῖαι ὄχθαι, οἱ κρασσοί, *extremæ oræ & fimbriæ*, ut Aristophanes in Vespis. Sed locus alter, qvi præsentem illustrat, Deut. XXII, 12. *Gedilim facito tibi, in qvatuor oris tegumenti, qvo tegis te*; qvatuor so-

solummodo angulos exprimit, in qvibus zizis illa, qvæ hoc loco גדילים vocantur, conspicuæ fuerant. Si enim vel ornatus vel signatura ista universum marginem vestimenti occupasset, qvid opus fuisset nominare qvatuor angulos? Præterea vehementer dubito, an τὸ κράσπεδον zizis ista potius, qvam marginem seu extremitatem ipsam in se, qva qvælibet vestis gaudet, citra signaturam, in locis è N. T. adductis denotet? Nam, ut antea diximus, vocis ipsius ἔτυμον & usus tam amplam habent significationem, ut illa omnem rei finem & extremitatem, eam inprimis, qvæ solo & telluri vicina est, &, si vestes respiciamus, omnem earundem marginem, qvo nulla carere potest, ut lib. II. c. IX. probat Alb. Rubenius, designet. Qvid verò causæ est, cur peniculamentum potius, aut fila margini vestimenti insuta, qvam marginem ipsum comprehendisse eos, qvi valetudinis sibi hinc restitutionem pollicebantur, persvadeamur? Christum nempe credebant, tantæ virtutis esse, ut ad extremas etiam vestium partes, qvalescunqve illæ essent, ista diffunderetur. Non nego qvidem, Servatorem nostrum, qvi venerat, legem non solvere, sed adimplere, ejusmodi zizis in vestimentorum suorum, vel omnium, vel extremi tantum, alis gestasse, sed ex his κρασπέδοις probari hoc posse, cum ea longè latioris usus sint, nec, ut diximus, ex circumstantiis constet, zizis potius qvam ex-

tremitatem aliam eos tangere, qvi sanitati suæ recuperandæ studebant, voluisse, nondum video. Sed ea non multum ad rem nostram faciunt, de qvibus audio diffusum ex omni antiqvitate Hebraica Commentarium edidisse, celeberrimum virum, *Jo. Christoph. Wagenseilium*, à qvo in hoc præprimis eruditionis genere nil nisi solidi, consummatiqve expectari potest, sed qvem ego nondum vidi; de pallii figura paulo qvid nobis amplius dicendum est.

XCIII. Hoc enim præcipuè qværitur, qva forma pallium ipsum, cui annexa illa peniculamenta, sive aliqva sui parte, sive circumcirca erant, fuerit? Salmasius ad pallium Tertulliani pallium omne qvadratum ad eum modum fuisse asserit, ut qvatuor angulos habuerit. Angulos vocat extremam vestis partem, ubi aperta est, qvæ in acumen desinit, ut scilicet duo anguli in ima ora vestis, duo in summa fuerint, qvalia nunc vulgo pallia gestantur. Hanc si formam habuerint & pallia Judaica, zizis ista, duo in alis ad pedes cadentibus, duo verò in exiguis istis angulis, qvi circa humerorum anteriorem partem volitant, & vix oculis conspicui sunt, adsuta fuerint, necesse est. Huic opinioni sese opponit *Oct. Ferrarius*: lib. I. de Re Vestiar. cap. III. eandemqve ex illâ causâ convellit, qvod falsò supponat,

nat, omne pallium seu vestimentum apertum fuisse qvadratum. Fruſtra enim qvadrati pallii mentionem apud scriptores extare si omne pallium hac forma fuisset. Pallia insuper nostra, si eorum formam attendamus, non tam qvadrata, qvam semirotunda apparère, &, si qva parte patent, consuantur, rotunda effici; ut si qvis cycladem muliebrem in anteriori parte discindat, istorum sententia ex rotunda qvadratam efficiet & cum libuerit, refinget rotundam. Deniqve, si omnia pallia fuere qvadrata, qvod inter vulgare pallium & philosophicum discrimen fuerit? Nam distincta fuisse, non esse dubitandum: & præcipuum Philosophiæ insigne cum pera ac barba pallium olim fuisse. *Non enim*, inqvit, *solâ materiæ vilitate aut colore distinguebantur, qvod philosophi cum tribonium rude ac detritum palliastrum esset & fermè pullum, alioqvin pauperes ac plebeii, & qvicunqve exoleto pallio incessisset, pro philosopho habitus fuisset. Forma ergo, non materiæ vilitas aut color vestimenta distingit. Atqvi forma eadem omnino fuisset, si omnia pallia qvadrata fingamns*

XCIV. Novam itaqve Ferrarius proponit sententiam, qva qvadrata vestimenta illa dicuntur, qvæ ex duabus plagulis confecta erant, qvarum utraqve qvadrata erat; hoc est, qvatuor angulos habebat, fibula autem in

in humeris nectebatur, atqve ita hinc inde à lateribus aperta, qvales Diaconorum in Romana Eccleſia ſacris operantium veſtes hodieqve viſuntur. Qvare non aliud diſcrimen inter vulgare pallium ac philoſophicum fuiſſe videri, qvam qvod vulgare, qvadratum fuerit, qvod ex duabus plagulis confectum fibula in humeris necteretur: at philoſophicum fuſius ac ſemirotundum ad inſtar noſtri, qvod nempe & rejici in humerum poterat & duplicari, totumqve corpus involvere. Hanc conjecturam ſuam hoc etiam argumento probat, qvod ſimilia Judæorum ac Græcorum pallia docti tradiderint. Atqvi pallium Judaicum, qvatuor in imo angulos habuiſſe, una cum fimbriis & vittis hyacinthinis. Geſtari verò hæc hodie à Judæis: docere Serarium: *exiguam enim veſtem*, inqvit ille, *habent, gentis characterem & inſigne, quæ quadrata ſit & dorſum pectusq; tegat, à lateribus aperta, ut cilicia quædam eſſe ſolent. Ex imis quatuor veſticulæ hujus angulis pendere chordulas totidem, in qvarũ ſingulis nodi qvinqve ad qving; Moyſis librorum, ut ajunt, memoriam.* Præterea Epiphanium hæreſi XV. teſtari, in ſcribarum pallio qvatuor angulos fuiſſe, a qvibus *malaPunica penderent; ea certè in imis angulis fuiſſe & non ad cervicem. Nam in veſte pariter Pontificali in ima ora malæ Punica appenſa fuiſſe.*

XCV. Si, qvid nobis videatur, expromere licet, exiſtimamus ante omnia, incertum eſſe,

esse, an pallia Judaica & Græca sibi similia fuerint, ut adeo ab unius forma ad alterius sine deceptionis aut falsitatis metu colligere non liceat. Quo enim argumento ista similitudo docetur? Hebræa vox: מעיל, apta est omnem designare vestem, quæ exterius homini adjacet, sive pallium dixeris, sive togam, sive tunicam, sive lacernam, sive quamlibet aliam. Cumque constet, Judaicum populum à gentibus cæteris, ut legibus & ceremoniis, sic moribus fuisse ita discretum, ut nullam in universo orbe nationem imitaretur; verosimilius est, vestium quoque haud exiguam Judæis intercessisse cum gentibus reliquis dissimilitudinem. Quare quicquid de pallio Judaico notitiæ nobis hodie supereſt, id ex Hebræorum potius libris, quam suppositа cum Græco pallio similitudine, hauriendum esse, nisi de hac ex indubitatis vel Græcorum vel Judæorum testimoniis constet, quod hactenus expromptum non est, ultro intelligitur.

XCVI. Jam verò pallium Judaicum, (quicquid sit de Græco, quod nonnunquam rotundum, nonnunquam quadratum fuisse vult Ferrarius) quadratum fuisse, cum diserte hoc testetur Scriptura, dubitare non licet. Quæ verò doctissimorum virorum de numerandis angulis, qui vehementer dissentiunt, verior sit opinio, nescio utrum certò liceat pronunciare. Salmasii sententia duos equi-

eqvidem in inferiori, duos in superiori pallii parte angulos ponit, sed rectè opponitur, nondum ostendi vel argumento vel indicio ullo, cur hoc tale pallium, qvam qvodlibet aliud, in qvo pariter qvatuor anguli comparent, qvadratum dicatur? Qvadrata qvoqve fuerit hac ipsa ex causa Romanorum toga, si verum est, qvod recentiores propugnant, eandem fuisse vestem potius apertam qvam clausam. Unde autem demonstratur, qvatuor angulos partim in ora vestis partim in apice qværendos esse, cum fieri potuerit, ut in ima ora singuli anguli apud Judæos fuerint, qvo pacto, qvis negaverit, non minus qvadrata pallia fuisse? Eqvidem nobis facile est menti nostræ qvadraturam vetis imprimere, at difficile, eandem de more hujus vel illius gentis sufficientibus testimonis probare. A Salmasii sententia qvantum abeat Alb. Rubenius, lib. II. de Re Vestiar. cap. VI. qvi recensitis Hadriani Junii, Claulii Salmasii, A. Kerkoëtii & Oct. Ferrarii plcitis; *ego*, inqvit, *omissis clarissimorum virorum altercationibus, existimo, amicula qvadrata fuisse, qvæ ex panno qvadrato constabant & qvatuor angulos habebant, duos in superiori, duos in inferiori ora..... Et hi qvatuor anguli facile conspiciuntur in statua Euripidis marmorea, qvæ videri potest in prima editione imaginum Ursini.* Ita & χλαῖνα veterum heroum, ut Ammonius ait, erat τετράγωνον ἱμάτιον Atqve hoc simplicissimum *erat vestis genus, nullo*

nullo enim artificio conficiebatur. Unde Tertullianus de Pallio: Prius etiam ad simplicem specta telam ejus. Contra rotundæ vestes, qvæ amictui erant, ita conficiebantur, ut in solo expansæ non qvadratæ essent, sed circulari forma, ut pallia nostra, qvibus vulgò utuntur. Non tamen existimo, omnes rotundas antiqvorum vestes in terra extensas plenum circulum impleviſſe, sed qvasdam semicirculares fuisse, alias circinnato orbe lacinioſas anguloſo procursu, ut de Chlamyde Macedonica ait Plinius. Qvam tamen inter rotundas vestes vulgò recensent; ego profecto non satis assequor. Nec etiam in Euripidis imagine, qvam eo loco ex Ursino exhibet, ullam deprehendo qvadraturam, nisi forte obscura lineamenta talem referant, qvalem Ferrarius ad morem Diaconorum Romanorum descripsit.

XCVII. Ferrarii vero conjectura tota, præterqvam qvod supponit, Græcorum & Hebræorum pallia similia prorsus fuisse, qvod expecto, donec mihi verosimili argumento persuadeatur, eo fundamento nititur, qvod hodierna Apellarum nostrorum palliola, qvæ Arbacampos & zizis vocant, ea ipsa sint, qvæ, ut in memoriam mandatorum Divinorum gestarent Judæi, jussi à Deo fuerant, qvæqve olim, imprimis tempore Christi gestaverint Pharisæi & scribæ. Qvâ in re dubium non est, falli virum doctissimum. Nam palliolum istud, qvo hodie utuntur, vestis interior est, qvæ sub oculorum conspectum, nisi cum induitur vel exuitur, haud venit,

De

De qvo è Judæo Christianus, Antonius Margaritha, in Academia Lipsiensi Hebraicarum qvondam literarum Professor, in Fidei Judaicæ Descriptione: So sich der Jud angelegt hat / soll er auch das Kleid anhaben / das heisset: ארבע כנפות, auff Teutsch / das viereckige Kleid; Ist fast wie die ledern Goller ohne Aermel gemacht / haben unten vier Ecken / an einer jeden Ecken hanget eine Zotte / gleich wie von den Talles hernach folgen wird. Schreiben / wer solches Kleid unter dem Rock antrag / werde von dem bösen Geist nicht angefochten. Itaqve hæc vestis non tantum intra hodiernum Judæorum pallium, sed intra tunicam qvoqve hæret, tantum abest, ut extremæ vesti, Græcorum pallio, respondere possit. Patet simul, qvam hodierno mori cum veteri lege conveniat, qvæ fimbrias istas ideò annexas vesti voluerat, ut isthoc qvasi perpetuo qvodam memoriali, ante oculos ipsorum posito, mandatorum Divinorum recordari discerent. Qvod fieri non potuit, nisi in pallio, id est, exteriori veste, qvippe qvæ una oculis objicitur. Sed nempe puduit Judæos, qvi ægrè ferunt, qvod aliis minoribus signis à Christianis discernuntur, ejusmodi nodulos extremæ vesti assuere, publicum sibi cæterorum hominum ludibrium & contemptum conciliaturos. Qvare מעיל, *pallium*, ut in Numeris, [qvod regulariter vestem externam notat] & כסות אשר יכסו בו, ut in Deuteronomio

ronomio est, *tegumentum, quo tegunt sese*, id est, vestem, qvâ vel cæteræ vestes teguntur, qvæ extremum pallium est, qvæ vel nuditati obvelandæ & abigendo frigori destinata est, in vestem qvandam intrinsecam, vel vestis potius simulachrum qvoddam, qvæ oculos fugiat, qvæ non tam tegendo inserviat, qvam signando, pro ea, qva Divinam legem prosequuntur, reverentia commutarunt. Epiphanius verò, cum Hæresi XV. in Scribarum pallio qvatuor angulos fuisse, à qvibus mala Punica penderent, scribit, externum fine dubio pallium intellexit. Nam de stolido illo hodiernorum Judæorum palliolo nihil tum adhud cognitum fuerat. Utrum verò palliolum internum, qvod exteriori veteri succesſit, eandem qvoqve cum illo retinuerit formam, perqvam dubium est. Erat enim pallium exterius vestis diffusa, ad pedes usqve protensa, qvæ forma in interiori vestimento præsentari non potuit. Nempe satis erat Judæis, antiqvum institutum mutaturis, ut retinerent id, qvod in veste præcipuum videbatur, qvatuor nempe angulos & eorundem appendices, de veste ipsa, qva forma esset, parum solliciti. Nec dubio caret, pallium commune Judæorum, an peculiare Scribarum intellexerit Epiphanius, qvæ utiqve forma, etsi utrumqve qvadrangulum esset, eoipso vehementer differebant, qvia singulare qvid præ vulgo affectabant Scribæ. Qvemadmodum & Pha-

risæi latiores præ cæteris gestabant fimbrias, Matth. XXIII, 5. Ex qvo diverso inter Pharisæos & Scribas more non improbabiliter colligitur, jam tum præceptum de zizis in vestimento habendis, diversis subjectum fuisse interpretationibus, Pharisæis in fimbriarum amplitudine acqviescentibus, Scribis verò ad malorum Punicorum appendiculam extendentibus. Sed nec certum est, an mala ista Punica illa ipsa zizis sint, qvibus hodie utuntur, an aliqvid ab iis diversum, qvodqve ad malorum Punicorum formam propius accederet. Nam de zizis hodiernis hæc tradit Margaritha: Tales ist gemeiniglich ein weiß Hären oder Haarlos Tuch / ist ohngefährlich / wie ein grosses vierecket Tischtuch geformiret / und hat an einer jechlichen Ecken ein Zotten / welche Zotten ציצית Zicith genannt / mit acht Fäden hangen und oben ein jeder Zott hat fünff Knöpff. Warum es fünff Knöpff und acht Fäden / nicht mehr oder weniger hat / das hat alles seinen Bescheid und Auslegung. Qva de re amplius consulenda est Synagoga Judaica, clarissimi qvondam viri, *Jo. Buxtorfii*, cap. IV.

XCIIX. Hæc itaqve efficere videntur, ut non satis firmo sententia Ferrarii, viri alias de re vestiaria veterum & omni antiqvitate præclarissimè meriti, de pallio Hebræorum qvadrato nitatur fundamento. Eandem ex hac etiam causa impugnat, libro de Luctu Hebr. c. XXII.

c. XXII. §. XIII eximius hodie Theologus, Mart. Geierus, qvod cum illa divisio vestimentorum Christi, à lictoribus instituta, consistere non posit: *Verum*, inqvit, *idem ille Ferrarius expedire se satis non potest, qvomodo ex qvatuor angulis pallii Christi qvatuor partes facere potuerint milites. Qvapropter adhuc, donec meliora doceamur, ex qvatuor pannis pallium Christi consutum fuisse opinabimur.* De divisione vero illa ita loqvebatur Ferrarius: *Nec facile expediri potest, qvod ajunt, Christi Domini pallium apertum fuisse & qvadratum Philosophici instar, ex cujus qvatuor angulis qvatuor partes milites fecisse. Nam si pallium illud vulgaris nostri simile fuit, ut qvatuor partes fierent decussatim, & per qvadras scindi debuit, atq; ita laceratum fuisset magis, qvam divisum. Qvamqvam si pallium illud qvadratum fuit, ut supra explicavimus qvomodo tamen in qvatuor partes dividi potuerit, haud facile dixerim, qværant doctiores, nos fortasse aliqvid infra, cum de tunica inconsutili curatius disputabimus.* Qvo loco isthæc disserit: *Verisimile est, ne dicam certum, etiam vestimenta aperta, præcipuè Græcorum pallium, licet in humoro fibula necterentur, saltem aliqva in parte consuta fuisse, qvalia nostra pallia conficiunt. Et ita Christi Domini pallium, sive aliud commune Græcorum & Judæorum fuerit, sive Tribonium, in qvo nullus fibulæ usus esse potuit, si debuit in qvatuor partes dividi, non potuit non esse consutum, alioqvi scissum fuisset ac laceratum; qvod ne in tunica eveniret, eam dividere noluerunt, nisi qvis dicat, pallium Domini qvatuor plagulis con-*

stitisse, multiplici fibularum serie connexis, qvod mihi nunqvam persvaserit. Consutum ergo pallium istud fuit & tantum in anteriori parte apertum, ut vel in humeris fibula necteretur, vel â dextro brachio in sinistrum humerum rejiceretur. Nos supra ostendimus, nulla nos cogi necessitate, ut dicamus, pallium Christi in qvatuor partes fuisse discissum, cum non vestimentum unum, sed vestimenta plura à militibus divisa fuisse memorent Evangelistæ, & si dissecatum fuerit, sufficere, ut in duas partes transierit, cum partes duas reliqvas cætera vestimenta constituerint. Nec absurdum est dicere, forfice aut cultro pannum, qvantumvis tantum duplicem, nec ullibi consutum, in qvatuor partes sciissum fuisse cum nec hodie pannus, qvando discinditur, ad usum inutilis reddatur. Rectè etiam Vavassor: *non existimandum est, invitatos precio milites qvatuor, posteaqvam Christum egerunt in crucem, ejus in partes æquas totidem vestem scidisse,* [si qvidem sciderint] *ne plusculum qvid optimi panni alius alio sumeret; sed homines tenuissimos, qvi carnifices se ac tortores præbuissent, qvod suum erat, licet vile per se & maculosum & sanguine infectum,* (addo, per ipsas futuras dissectum, aut alia qvacunqve ratione laceratum] *sustuliisse, neqve minimam sibi lucelli particulam perire voluisse.*

XCIX. Dico itaqvæ, his omnibus expensis, Christum qvidem ad morem omnium gentium in veste qvapiam exteriore & longiore,

giore, qvæ cæteras cum decore qvodam contexerit, & qvatuor sive in imo, sive imo & summo simul angulos habuerit, qvam sive pallium, sive togam per me appelles licet, incessisse; qvalis autem illa fuerit, ubi angulorum lacinia hæserint, an ex duabas pluribusve pannis aut plagulis consuta feuerit, nondum mihi certum esse, meqve ejus rei decisionem iis, qvi ex vetustissimorum Hebræorum monumentis aut rationibus aliis me rectius arbitrari possunt, relinqvere.

C. De chlamyde purpureâ, qvâ ludibrii causâ Christum milites in atrio vestiverunt, deqve veste splendida, qvam Syrus interpres coccineam vocat, qva eidem Herodes illusit, cum ea non de more gestaverit, sed injici sibi invito passus tantum fuerit, nihil hoc loco dicendum est: de pænulâ tamen qværi potest, an eâ aliqvando usus fuerit Christus? Id vestis genus à Græcis primum inventum, deinde ad Romanos traductum, qvamqvam profanis ab initio usibus destinatum, missarum tamen solennibus, ut vult Baronius, [qvamqvam hoc perneget Ferrarius, libr. I. cap. XXXIV. & togam hanc vestem esse velit] peragendis tandem cessit, nomenqve casulæ vel planetæ induit. *Joh. Baptista Donius*, Dissertatione de utraqve Pænulâ, Romæ in Academia Basiliana, A. C. 1658. habita, eximagine pænulatæ statuæ, describit, habitum, qvi planè totum hominem, excepto capite atqve

infimis cruribus, circumdet. Nulla in eo lacinia, nulli sinus, nulli umbones, ut in toga, sed planè simplex atqve unico circumjectu hominem ambiens. Media verò sui parte duntaxat patere cognoscitur, qva caput excrebatur, alioqvi rotunda & clausa. Erat autem habitus hibernus ac viatorius &, qvia ex crassiori eaqve pulla vel nigra lana factus, ad propulsandos imbres, cæterasqve asperiores cœli injurias peridoneus, ideoqve in spectaculis potissimum, hiberno videlicet tempore, usurpabatur. Talem pænulam in itineribus suis imminente frigore cæteris vestibus superimposuisse Paulum, manifestè colligitur, ex 2 Tim. IV, 13. *Pænulam, qvam reliqvi Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* Qvamqvam enim Ambrosius de veste senatoria acceperit, qvam Paulo pater reliqverit, Tertullianus juxta nonnullos de vestimento sacro, Baronius, ut supra ejus meminimus, cum interprete Syro & Hesychio, de librorum theca; à cæteris tamen omnibus hodie deseruntur, qvi cum Chrysostomo, Hieronymo & Theophylacto de vulgari & communi pænula intelligunt, qvam adversus pluviam & frigus olim gestabant. *Qvæ sententia,* inqvit Donius, *procul dubio reliqvis præferenda est, eoqve sanè probabilior videtur, qvo magis apparet, Paulum pænulam reliqvisse, tanqvam onus per id anni tempus supervacaneum; qvod confirmatur ex eo, qvod sub finem epistolæ scribit:*

scribit: festina ante hiemem venire. Cum itaqve Paulus, arcendis imbrium & frigoris, si proficiscereturr, injuriis, pænulam adhibuerit, nescio, an simpliciter negari debeat, Christum unqam hac veste usum fuisse? Qvod si verum est, qvod Missalis sacrificii propugnatores jactant, singula vestimenta, qvæ hodie rei Missaticæ adhibentur, significare unum ex iis, qvæ Christus in passionis suæ actu gestavit, (qvamqvam ingenuè fatetur Donius, ejusmodi mysteria posterius ferè excogitari solere, qvam ea, qvæ iis denotantur, inventa fuerint) hinc qvoqve qvalecunqve argumentum desumi posset. Sed cum casula vel planetâ sua ipso nomine barbara chlamydem potius purpuream vel coccineam, cui non forma sed colore pænulam similem faciunt, (cum olim pænula hoc colore nunqvam fuerit) repræsentari cupiant, mitto ineptias, neqve qvicqvam hic etiam, definio.

CI. Inter membra corporis principatum qvendam, sive nobilitatem sive utilitatem spectes, obtinet caput, qvare etiam, supremum in corpore locum occupat; supereſt itaqve, ut, utrum aliqvo vel qvali operimento injuriis hoc membrum subduxerit Christus, dispiciamus. Cum neqve sacra neqve Ecclesiastica historia hujus in Christo tegminis ullam ullibi faciat mentionem, neqve ex picturis, qvæ nudo capite Christum ubiqve exhibent, ullum, vel versimile argumentum rectè

desumatur, ad unicum illius temporis morem atqve consuetudinem recurrendum esse videtur, à qva si qvidqvam hic alienum vel abhorrens feciſſet Christus, non præteriissent silentio tot vitæ ejus & gestorum scriptores. Judæi verò, utrum pileos, qva voce nunc omne capitis velamentum vocabimus, gestaverint, controversiam non exiguam habet.

CII. Sacerdotes qvondam Hebræorum sacra facientes operuisse capita, sacrarum literarum auctoritate edocemur. Exod. XXVIII, 4. *Hæ sunt vestes, qvas facere debetis Aaroni ad consecrandum eum, qvo sacerdotio fungatur mihi; pectorale sacrum, & amiculum & pallium & tunicam tessellatam & cidarim & baltheum.* Cap. XXIX, 6. *Imposita cidari capiti ejus, aptabis coronamentum sanctum super illam cidarim.* Et alibi passim. Qvem morem & Romani postea imitati sunt, qvi Diis omnibus operto capite sacrificabant, præterqvam Saturno & Honori & Herculi; hodieqve Turcæ. Cum gentes reliqvæ, & hodie inprimis Christiani, contrario modo sacra peragant, nempe capite nudato. In ejus rei causas *Anshelmus Solerius*, libro de Pileo, Sect. II. p. 31. inqvirit, dicitqve, factum id, partim imitatione Mosis, non audentis adspicere Deum, ad rubi conspectum & idcirco abscondentis faciem suam, caputio nempe qvodam caput tegendo? partim ex reverentia ac verecundia adversus Deum. Qvi enim verecundantur, ut Theophrastus in characteribus dixit,

xit, faciem & caput operiunt. Unde mulieres apud plerasqve gentes obvelatæ; apud Geier. de Luct. c. XI. §. 1. Et Seraphim Esaj. VI. 2. duabus alis tegebant faciem suam, *dantes omnem gloriam Deo*, ut Imman. Tremellius & Franc. Junius circumscribunt, *& hoc signo publicè testantes, à sua tenuitate non posse ferri adspectum infiniti splendoris, gloriæ & majestatis Dei*; partim deniqve ex subjectione & timore, qvorum index est capitis velatio. Habere enim supra caput aliqvid est signum subjectionis & metus. Unde Apostolus velamen capitis vocat *potestatem*, qvia est nota timoris ac subjectionis, 1. Cor. XI, 10. Hunc morem tecto capite Sacra faciendi ad eos etiam extendit non immeritò Solerius, qvi in templum orandi causâ, aut ut sacrificiis interessent, concesserunt: qvem hodieqve servant Judæi, qvi de qvalibet oratione scribunt, in Orach. Chaii. n. XCI. *Qvi devotè oraturus est, caput atqve cor contectum habeat oportet.* Cujus nescio an aliqvid retineant Christiani, qvi pileos oculis & faciei objiciunt, preces ad Deum publicè fusuri, qvamqvam id potissimum hoc gestu agant, ut animum ab omnibus alienis cogitationibus, qvas exteriora objecta ingerere facile possent, immunem præstent.

CIII. Velasse qvoqve eosdem Hebræos olim in luctu vel privato vel publico capita sua, certum pariter est. David ab Absolomo

fugiens, *ascendebat per clivum montis olivarum, indesinenter flens, opertus capite suo & pergens discalceatus.* Fr. Junius; pro lugentium more obvolutus, 2. Sam. XV. 30. Idem David ad auditam Absolomi necem *obvolverat faciem suam & clamabat voce magna: Fili mi, Absolon.* 2. Sam. XIX, 5. Haman, postqvam eqvo Mardochæum per universam urbem duxerat, *properipuit se in domum suam, lugens & opertus capite.* Esth. VI, 12. Judæi graviſſimâ fame vexati, *pudore suffunduntur & operiunt caput suum,* Jerem. XIV, 3. Et qvamqvam nonnulli, ducti locis Lev. X. 6. cap. XXI, 10. nec non Ezech. XXIV, 16. in more fuisse Hebræis, aperto capite & nudis pedibus esse, asseverent, testimonia tamen alia numero tam multa, tamqve evidentia verborum claritate ubiqve comparent, ut mitigare potius illa commodâ interpretatione, qvam his tot ac tantis repugnare necesse sit. Qva de re fusè & eruditè disqvirit *Mart. Geierus,* libr. de Luct. Hebr. c. XI, §. 4. ſ. Qvo in ritu denuò Hebræos imitati sunt Romani, ut præter alios docet Kirchmannus, libr. II. de Funer. c. I. De Dario, mortuam lugente uxorem Curtius, *diu ipsum capite obvelato flevisse,* scribit. Ægyptios in gravisſimo luctu operire capita, Herodotus testatur, libr. III. sub. init. Neqve multum ab illis moribus plerorumqve Germanorum recedunt, qvi in funeribus & capita & nonnunqvam facies etiam obvelant, *haud dubiè,* inqvit Geierus, *ne lugubres faciei gestus, virum grævem non adeò*

adeò decentes & contra voluntatem sæpius prorumpentes animadvertantur à vulgo spectante.

CIV. Credo & Reges & viros Principes vel pilei vel vittis vel diadematibus freqventius, qvam cæteros è vulgo homines, sicut apud alios populos, ita & apud Hebræos incesfisse. Sed Judæos communiter omnes extra sacrificiorum & luctus tempora de qvotidiano more nudo incesfisse capite admodum probabile est. Nam primo in luctu ideò capita velebant, qvia antea de more fuerant intecti. Et qvoties de capitis velatione mentio injicitur, toties ut de re, qvæ præter consuetum vel morem vel ordinem fieret, sermo instituitur. Deniqve apud nullam aliam nisi forte Persarum gentem capitis obtectio ita usitata fuit, ut pileis de more incederent. Romani in urbe intecto capite incedebant, nullusqve erat pilei, petasi, causiæ aut alicujus tegminis usus, nisi extra urbem & in peregrinatione, qvod probat lib. I. de Re Vestiar. c. X, Ferrarius. De Græcis idem ostendit, lib. IIX. Adverss. c. IV. Turnebus. Nec in nummis etiam, nisi vel Regiæ personæ vel sacra obeuntes, pileatæ conspiciuntur. Deniqve consentiunt in hanc rem recentiorum pleriqve, è qvibus nominare nunc sufficiat, qvi hoc argumentum dato studio excoluerunt, Sopranem, Gejerum, Solerium, Ferrarium. Qvi præterea nuditatis hujus ex antiqvitate hanc adferunt rationem, qvod persuasum pleris-

plerisqve fuerit, apertione & nuditate conciliari capiti firmitatem, ut ex Varrone profert Plinius, libr. XXVIII. Nat. Hist. c. VI. Synesius qvoqve in disputatione pro calvitio evincit, capita excæsariata firmari & obdurescere, comata autem mollescere ac imbecilla reddi. Id qvod multò magis valet de capitibus, artificioso tegmine, supra naturale capillorum operimentum obductis. Unde Herodotus Persarum obtecta capita adeò fragilia fuisse tradit, ut jactu lapilli pertunderentur, contra qvam deprehensum est accidere Ægyptiorum capitibus, à pueritiâ apertis. Videbantur enim ærea aut ferrea. Hieronymus in Matth. X. *Et Plato*, inqvit, *præcepit, duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis & pedum. Cum hæc enim habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt.* Lycurgus idem lege Spartanis indixit, apud Xenophontem; & simile qvid de Athenienſibus prodit Plutarchus.

CV. Dixi; de qvotidiano more. Nam nonnulli sive ex studio & professione singulari, sive necessitate adacti, utpote vel in morbis vel pluvioso aëre vel frigore, adhibebant capiti integumentum. Qvod tamen aliud non fuerat, nisi ut vel togam vel pallium, parte sui superiore, nam factum hoc fuisse, laciniam togæ seu περάσπεδον, imamqve oram in caput rejiciendo, improbabile est, ut contra J. Lipsium ita sentientem probat Oct. Ferrarius, libr. I. de Re Vest. c. X.] ad cervicem, qvæ nempe sinistro

stro humero insidebat & dextro dejiciebatur, attraheretur in caput, cum res poscceret. Ostendunt hoc clarissime imagines in ære apud Ferrarium expressæ, qvas & Sect. VIII. Solerii Pileo intulit Andreas Frisius. Nisi forte in summo discrimine tota toga aut pallio, aut qva parte commodum esset, caput seqve totos involverent. Præter ordinem & virium imbecillitati medendæ factum est, ut palliolo qvopiam obnuberent capita, cujus rei exemplum in Claudio exhibet Svetonius. Cum libertatis edere signa pileum, peculiariter ita dictum, vel galerum, cujus in nummis passim icones visuntur, cum expeditionem bellicam susciperc, Pannonium, Vegetio ita dictum, imponebant capiti, aliqvando tæniis & vittis fluentem cæsariem coercebant & religabant. Qvæ cum non Romanis tantum, sed & Græcis moribus recepta tum fuerint, in qvorum qvasi gremio tum vivebant Hebræi, neqve hos ab ejusmodi ritibus alienos fuisse, probabiliter censetur.

CVI. Refert *Anshelmus Solerius*, Sect. II. p. 15. communi opinioni, qva Judæi nudis fuisse, extra mœroris tempus capitibus putantur, refragari Abulensem, qvi passim & in communi vita Hebræos, uti nobis nunc ex usu est, incessisse tecto capite, existimarit, allegans, qvod leprosi vetarentur capita aperire, Lev. XIII, 45. *Leprosi autem, in qvo plaga ista est, vestimenta sunto scissa & caput ejus esto retectum:* & qvod summus, alii-

aliiqve sacerdotes vetarentur nudo capite esse, Lev. X, 6. *Capita vestra ne nudate & vestimenta vestra ne discindite.* Cap. XXI, 10. *Sacerdos caput suum ne retegito & vestimenta sua ne discindito.* Qvæ peculiares prohibitiones viderentur supervacaneæ, si Judæi omnes in communi vita habuissent intecta capita. Ad qvas objectiones ita respondet Solerius: *Apertio capitis super mortuo, vetita sacerdoti, intelligitur de rasura. Cæteræ verò rationes tantum probant, in certis occasionibus Hebræos togam ad cervices adhærentem tegendo capiti adduxisse, etiamsi ut plurimum essent intecto capite, nec ullum haberent certum ac determinatum operimenti genus, capiti duntaxat tegendo addictum, non galerum, non pileum, non aliud qvidpiam tale.* Qvod verò vetitam capitis apertionem rasuram vetitam vocat, id ita intelligi debet: in luctu prohibebantur pilos radere Judæi, aut capillos vitta contrahere; è contrario pilos incondito ritu alebant & cæsariem; qvocunqve vellet, fluere sinebant. Fuerat hoc signum maximi mœroris, omnis ornatus, suiqvemetipsius deniqve obliviscentis. Qvia itaqve tondere comam est caput qvodammodo aperire, id est, naturale operimentum tollere; ergo caput non aperire erit comam nutrire. Solerio igitur, cum Deus vetat, sacerdotes aperire capita, id est tonsuram non intermittere, & eoipso tabernaculi festivivitatum turbare. Qva in parte eundem præcedunt ex Judæis R. Sal. Jarchi & R. Ab. Esra. At verò hæc respon-

sponsio non potest subsistere. Nam qvis non videt, contrarium potius sequi nempe non resecandam esse comam, sed alendam, qvod lugentes faciebant? Si enim non debebat aperiri caput, neqve debebant tonderi crines, qvippe qvarum resectio nudat retegitqve caput. Chaldæus qvidem interpres, dum transtulit: *non nutriatis comam*, aliam videtur attribuisse voci: פרע significationem, nempe pilos alendi, eo qvod vox inde deducta: פרע, *Pera*, comam denotet; sed rectè obvertitur à D. Geiero, de Luct. Hebr. c. XI. §. 4. insolentem eam esse verbi: פרע, acceptionem, qvippe qvæ perpetuo remotionem & alienationem notet. Neqve verò: פרע, *Pera* comæ significatum ideo ab hac radice trahit, qvod hæc aliqvando comam nutrire designet, sed ut in Levico ait Buxtorfius, *qvia, qvo magis nutritur, eò magis retegitur coma*; aut, qvia, qvo sæpius resecantur crines, eò magis crescit coma; aut deniqve, qvia coma aliqvando nudatur; cum voces denominativæ ab iis, à qvibus denominantur, nonnunqvam ob rationem merè accidentalem & fortuitam descendant. Qvare cum D. Geiero cidares seu tiaras potius intelligimus, qvos officii sui seu ministerii tempore in templo gestarunt sacerdotes, qvasqve tum, cum gestarent, vetarentur de capite detrahere, si inopinata de obitu suorum, aut qvalibet alia calamitate, relatione consternerentur. Leprosis verò ideò capitis tegumentum

tum denegabatur, qvia communi de cætero more, ii, qvi lugebant, aut morbo corporis animiqve laborabant, [erat autem lepra lues omnium moleſtiſima & peſſima] capita ſua, ut ſupra aſſeruimus, utiqve velabant.

CVII. Ex qvibus omnibus facile colligere eſt, qvid de capitis tegmento qvo vel uſus fuit Servator vel non uſus, ſit ſentiendum. Nempe nihil aliud, qvam qvod concludit *Anſ. Solerius*, Sect. XVIII. p. 358. ubi de tegmine capitis ſanctorum agens: *uſi ſunt*, inqvit, *integumentis capitis, receptis in oris, qvas incolebant. Et ſi alicubi non erat uſus tegendi capita, nudis erant capitibus, qvod de Chriſto Domino pro more Judæorum, inter qvos vivebat, receptum paſſim videtur.*

CIIX. Egimus hactenus, occaſione a Vavaſſore noſtro nobis ſubminiſtrata, de veſtimentis Chriſti, qvantum qvidem id argumentum ad formam Chriſti exteriorem illuſtrandam pertinere judicabatur. Nobis qvidem ex iis, qvæ à clariſſimis viris ſuper ea materia diſputata eſſe vidimus, ut ex tractatione noſtra præcedenti conſtat, multa videbantur eſſe incerta atqve dubia, certè argumentis non ſatis idoneis & firmis comprobata atqve munita, qvæ tamen ideò neqve aſſerta temerè neqve negata pertinaciter cupimus, ſed majori diligentia ab iis elegantiſſimum hoc atqve ad infinitorum in Sacris locorum interpretationem utiliſſimum argumentum excoli optamus, qvibus majora, qvam nobis,

bis, in promptu sunt ad eam rem præsidia. Quo in eruditionis genere, qvantum præstiturus sit comilito à teneris noster & amicus candidissimus, *Martinus Mauritius*, Ecclesiæ Mappacensis in patriâ nostrâ Antistes religiosissimus, qvi rem vestiariam Judæorum, qvod hactenus alii nec fecerunt, nec facere potuerunt, ex intimis Hebrææ linguæ mysteriis, ex Commentatoribus Hebræorum doctissimis, ex traditionibus Talmudistarum antiqvissimis, deniqve ex reliqvis, qvi huc facere possunt, vetustis pariter ac recentioribus, eruditionis omnis arbitris, indefesso labore collectam, qvam primum adversa laudatissimis conatibus præsentis temporis fata permittent, in publicum edituros est, res ipsa, qvod spero, docebit.

CIX. De modo ac ratione curandi corporis, non improbamus, qvæ adfert Vavassor; cap. III. n. IV. § 2. p. 100. *Curatura ista levior, ut lavari, ut ungi, ut aliæ munditiei formam nihil adjuverunt. Horum enim qvid unqvam in vitâ Christus usurpavit conciliandæ venustatis causa? Aut si qvidem eò non spectavit utendo, qvid horum sumpsit imprudens, qvod ad formæ speciem per se valde pertineret atqve elegantiam? Nam si ablui pedes sivit in convivio sibi, nonne servitum patriæ consuetudini novimus? Qvod ne ipse qvidem officii genus adversus discipulos, in fimæ conditionis & fortunæ homines, exhibere omisit: Si & caput unguento perfundendum dedit, aut sanè, qvo minus perfunderetur, non recusavit, num id moris*

qvoq; fuisse satis ex eo constat, qvod cum illo benevolè qvidem, sed tamen graviter expostulavit? Nec verò maledictis istis deliciarũ & affectatæ formositatis homo impurus pepercisset, qvi officiosam mulieris operam, qvæ unguentis ungeret, accumbentem notavit, ac ne nihil reprehenderet, vel hoc objecit, sumptum in egenos melius potuisse poni.

CX. Qvantum vero formæ Christi, variis magnisqve laboribus, multis difficillimisqve itineribus, inprimis injuriis corpori ejus ab hostibus illatis, & tormentis atqve passionibus exqvisitissimis, detractum fuerit, subinde indicatum à nobis est. Subjiciemus, ne qvidpiam dissimulare videamur, Vavassoris in hanc rem conclusiones, cap. III. n. IV. §. 5. & 6. p. 107. s. *Si peregrinatio menstrua, aut qvindecim dierum iter ineptâ viâ, magno vel æstu vel imbri, alieno tempore anni susceptum, remittit sæpe numero nos domum, tempestatibus mutatos totos & perustos à sole & decoloratos, planeq; à nobis diversos; qvem tandem exitum & finem circumcursationis habituras putes, hyeme, æstate, navi, pedib⁹ confectas, & crebras pernoctationes sub dio & qvotidianas nullo stabili domicilio migrationes, & sexcenta, qvæ huic viatori perpetuò qvasi committabantur, incommoda? Contemplare qvæso illius, qvam egit in publico, vitæ, de qvâ proximè dixi, partes & officia tria, docendi rudes, edendi miracula, precandi Deum patrem. Nullum ex his curâ & sollicitudine & functione gravioris operis vacabit. Qvid? assiduitas docendi per triennium, tam indociles, tantam vim mysteriorum tantam copiam*

piam, qvanti laboris est? Qvid? miracula, qvæ nullo negotio ederet singula, num hunc occupatum impeditumq; multitudine operum & efficiendi diuturnitate habuerunt? Qvid? preces & antelucanæ & qvæ protrahebantur in multam noctem & qvæ noctes tenebant ipsas; tametsi secessus ad id qvæsitus & tempus qvietis & otii causa captatum; num vigiliæ peracres & actuosæ, hoc est, & sine ullo somno & cum magnâ animi attentione complures horæ traductæ, fuerunt? Qvamobrem minimè mirum videri debet, si perpetuos & contextos sine ulla intermissione & vicissitudine relaxationis labores lassitudo, lassitudinem imminutio virium & deformatio coloris & corporis consecuta est. Ut eo statu Christus & eâ facie, multò grandior natu, qvam esset, & tantum non habere annos qvinqvaginta a vulgo putaretur. Ad postremum, de qvo proposuit, qvid addam, non succurrit, nisi qvod vis tormentorum, qvibus affectus est, ac demum necatus formam non deteriorem solū fecerit, sed prorsus extinxerit. Ut etiam consecuta mors, qvod mutatura esset; haud sanè qvicqvam haberet; ac priusqvam tolleretur in crucem, confusis lineamentorum indiciis, nihil hominie amplius præ se gerere videretur; valeretq; illud improbi judicis: ecce homo; minus ad acerbam irrisionem, qvam ad certam & veram ignoti hominis, qvi agnosci aliter non potuisset, ostensionem.

CXI. Seqvitur tandem qvinta & ultima Vavassoris propositio: *Credibile est, fuisse Christum statura justa, sed procerioretamen, qvam breviore.* De qva suo loco notavimus, mirum nobis videri, qvod in hoc uno eâ Christum præ-

rogativa & nobilitate ornet, ut nec longitudine exceſſerit, nec defecerit brevitate, ſed in jucundiſsima accuratisſimaqve mediocritate ſubſtiterit, cum in cæteris omnibus minus etiam, qvam pleriqve alii homines per naturam habent, eidem attribuerit: Qvo itaqve propius ad ſententiam noſtram accedit hoc in aſſerto Vavaſſor, eo libentius aſſumere ac noſtra facere poſſumus, qvæ eidem probando diſputat & qvaſi in manus noſtras tradit.

CXII. Nam breviorem, qvam communiter ejus regionis, in qva vixerat, homines erant, fuiſſe Chriſtum, præterqvam qvod argumenta cætera, qvæ in antecedentibus paſsim comparuerent, huc repetenda ſunt, ex eo etiam indicio rectè negatur, qvod Zachæi brevitas ab Evangeliſta memoratur ipſi obſtitiſſe, ne Chriſtum poſſet, magna populi freqventia & concione circumfuſum, intueri, qvem cæteri tamen ideò ſine alio ſubſidio adſpexerunt, qvia nec ipſi nec Chriſtus iisdem minor aut brevior fuerat. *Cur verò*, ait Vavaſſor, *videre Zachæus Chriſtum non potuit, qvia ille ſtatura puſillus, ac non, qvia hic ſtatura puſillus erat? Cur non alter alterum, qvod corpora tura ambo pares erant, hoc eſt, puſus puſum videre non potuit, niſi qvia non ita res habuit? At vide tu Lucæ fidem & diligentiam, nihil ejus, qvod erat, omittentis. Fieri potuit, ut Chriſtum minime Zachæus cerneret, licet commoda illi foret, ac longa etiam ſtatura. Multitudo qvippe tanta, qvanta ſæpenumero circumſtabat Chriſtū, ſatis una impedimen-*

dimenti inferat, ne, qvi ad eum non accesserint qvam proxime, facile possint intueri. Qvi tamen hoc causæ attulit, qvod fuit in Zachæo, qvidni idem in Christo si fuisset, accuratus scriptor adjecisset. Neq; etiam giganteam qvandam in Christo corporis ipsius molem ex eadem causâ confingere licet. Nam sic nec opus fuisset, ut Zachæus, qvantumlibet brevis, conscenderet arborem & prætereuntem adspectaret, qvem ipsa cæteris longè supereminens proceritas etiam brevioribus facile adspectabilem reddidisset. De Nicephori Callisti asserto, qvi ad septem pedum longitudinem staturam Christi perveniisse testatur, supra sententiam diximus, cap. II. §. CIV. & CVIII. nec necesse est, diutius huic rei hic immorari. Cum itaqve remotâ falsitate non immeritò concludat Vavassor, staturam Christi mediocrem, ad proceritatem magis qvam brevitatem declinantem fuisse: *hæc enim statura*, inqvit, *justa est, eoq; hominis Dei personæ convenientior. Nam, ut immoderata magnitudo corporis vastum qviddam & immane & suapte vi ac sponte comparatum habet ad terrorem: ita moderata aliqvid affert dignitatis, qvod si natura nobis offerat, optioq; detur, nulla ratio fuerit respuere - - - - Cæterum, qvi ait, hominem neminem posse altitudinem staturæ adjicere, deq; eo frusta qvemqvam laborare, potuit ipse, qvo libitum est, adspirare sine ulla sollicitudine; & qvi omnia ad certam normam & amussim exegit creando, modum hic qvoqve in se, nisi fugit me ratio, cum dignitate tenuit*; nos eodem jure concludi-

mus, formam Christi justam & hominis Dei personæ convenientem, id est, pulcherrimam fuisse, neqve immoderatam nimis atqve effœminatam, nec humilem atqve plebejam, sed qvalem natura in se optima atqve perfectissima ei obtulit, optimam pariter atqve perfectam, sive cum dignitate elegantem.

CONCLUSIO.

Ex iis, qvæ hactenus longo ordine disputavimus, id saltem, nisi totus fallor, apparebit, sententiam, qvæ asserit: Christum forma pulcherrimum fuisse; neqve destitui maxima verisimilitudine, neqve argumenta, qvæ eidem objiciuntur, id gerere in recessu, qvod in fronte promittunt. Per me qvilibet suo fruatur judicio, neqve enim ipsemet in præsentem opinionem juravi, sed perqvam voluptati mihi fuit, nec studiis meis inutile, in examine tam variorum ex utraqve parte argumentorum sive vires meas periclitari, sive studiis meis qvalecunqve qvidem, sed nunqvam pœnitendum parere incrementum. Si mediocri forma, qvod vult Vavassor, fuerit Christus, documentum eqvidem facto suo dedit mortalibus, excellentem, si adsit, corporis formam non plurimi æstimandam esse, si desit, non admodum flagitandam. Si verò præ cæteris præstitit pulchritudine, incitamentum nobis fuit, ut ad recuperandam in nobis imaginem

ginem Divinam, cujus effectus est eximia corporis species, Christianam operam impenderemus; cujus exemplo certi esse possumus, ad eandem nos cum ipso & majorem pulchritudinem qvondam perventuros esse, si vitam pariter ipsius & mortis pro Divina veritate promptitudinem imitemur. Neqve enim in inculcandâ & exaggèrandâ Christi pulchritudine, contra qvam ipse, ut Vavassor sub finem objectat, velit, curetve, delicias ago; sed de eo duntaxat intra modestiæ limites disqviro, qvod veritati magis consonum esse, ex fundamentis probabilissimis censeo. Id autem dici, id doceri, id inculcari, qvod neqve in se absurdum est, neqve pietati adversum, & rationibus præterea non contemnendis munitum, ingratum Servatori nostro, qvi veritas est & veritatem ab aliis amari cupit, esse non potest. Qvare nunc tandem manum de tabulâ!

EXERCITATIO XI.

De RESURRECTIONE CARNIS,

AN ET QVANTUM ILLA EX NATURALI RATIONE INNOTESCAT?

I.

AN & in qvantum naturale intellectus noſtri lumen in notitiam dogmatis de RESURRECTIONE CARNIS penetret? duplici videò ratione diſputari poſſe: primo; utrum poſſibilem eſſe eandem humana ratio apprehendat? Deinde, an actu aliqvando reſurrectionem futuram eſſe, eidem innoteſcat?

II. Utrumqve, ſunt, qvi pertinacisſimè negant. Athenienſes, poſtqvam, Paulus reſurrectionis hujus in qvadam ad ipſos oratione mentionem injeciſſet, *οἱ μὲν ἐχλεύαζον*, *complurimi ſannis eundem exceperunt.* Act. XVII, 32. Plinius in Naturali Hiſtoria, libr. VII. cap. LV. *Qvæ, malum, iſta dementia eſt, iterari vitam morte?* Catulli vox eſt: *Soles occidere & redire poſſunt, nobis cum ſemel occidit brevis lux, nox eſt perpetuò una dormienda.* Cæcilio apud Minucium Felicem in Octavio, anilis fabula audit: *nec*, inqvit, *hac furioſa opinione contenti aniles fabulas adſtruunt & annectunt, Renaſci ſe ferunt poſtmortem & cineres*

neres & favillas; & nescio qva fiducia mendaciis suis invicem credunt. Putes eos jam revixisse. Anceps malum & gemina dementia. Cœlo & astris, qvæ sic relinqvimus, ut invenimus, interitum denunciare; sibi mortuis & extinctis, qvi sicut nascimur, & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos & damnant ignium sepulturas. Appulejus, ubi de Medico Asclepiade, qvi pollinctum elatumqve hominem deprehensis qvibusdam signis vivere affirmavit: *murmur interea*, inqvit, *exortum, partim medico credendum, partim irridere medicinam.* Damascenus de duobus martyribus, interprete Trapezuntio, allegante ad Minuc. Fel. Geverh. Elmenhorstio: *crucifixo adhæsisti, seductus inanibus verbis famulorum ipsius, qvi nescio qvæ fabulose dicunt futura sæcula & mortuorum corporum resurrectionem delirant, alia plurima ad seductionem stultorum introducentes.* Qvare Origenes, libro I. contra Celsum: καὶ μὲν νοηθὲν τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Et Arnobius, libr. II. contra Gent. *Audetis ridere nos, qvod mortuorum resurrectionem dicamus futuram.* Ac in universum S. Augustinus, Serm. II. Psalm. LXXXVIII. *In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiose contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione.*

III. Neciſta negatio intra Paganorum incredulitatem ſubſtitit, in ipſa Eccleſiæ pomœria pedem ſuum promovit. De Liberti-

nis Jo. Calvinus, Instruct. cap. III. *Quicqvid Christiani de vitâ æternâ, de resurrectione tenent, ipsis fabula est. Hoc enim imaginantur, animam hominis, qvæ est Deus, ad seipsam redire, cum ad mortem ventum est, non ut tanqvam anima humana, sed tanqvam Deus ipse vivat.* Et cap. XXIII. *Rident spem omnem, qvam de resurrectione habemus, idqve jam nobis venisse dicunt, qvod adhuc expectamus.* De Anabaptistis, unoqve eorum in Angliâ Promacho, Web, nomine Honor. Reggius, de Stat. Eccl. Angl. p. 102. *De resurrectione mortuorum interrogatus, respondit, non magis homines resurrecturos, qvam bruta, nec aliam se animam habere, qvam corpus. Porrò nec ullum locum pro piis vel impiis, non cœlum, non infernum agnovit, non diabolos alios, præterqvam ab hominibus factos, credidit.* Qvid de amplissimâ hodie, in ipso Christianismi meditullio Naturalistarum religione dicemus? Prodiit ante triennium monstrosus Tenebrionis cujusdam, [qvod nominis prodigium, cum proprio carere velit, novus sibi ipse Propheta in Prologo vaticinatur] fœtus, cui hunc in frontispicio indicem, qvasi qvandam vendibili vino hederam, præfixit: PHILOSOPHIA S. SCRIPTURÆ INTERPRES; qvem è vestigio, ut qvid sibi velit insolens & in Ecclesia Christiana à tot seculorum intervallis inauditus titulus, propalam omnium oculis appareat, hunc in modum exponit: *Exercitatio Paradoxa in qva, veram Philosophiam infallibilem S. Literas interpretandi normam esse, apodicti-*

dictis è demonstratur & discrepantes ab hac sententia expenduntur ac refelluntur. Hunc turgidum tantis promissis librum, ELEUTHEROPOLI, feraci scilicet rarissimorum inqve veræ Ecclesiæ perniciem utilissimorum operum copiâ urbe, Anno cIↃ IↃc LXXIII. impressum, uno anno præcessit scriptus, & Hamburgi, si credere fas est, editus, vel eodem auctore, vel certè haud absimile institutum seqvente, TRACTATUS THEOLOGICO-POLITICUS *continens dissertationes aliqvot, qvibus ostenditur, libertatem Philosophandi,* (est autem isthæc libertas, ut eandem sub scripti calcem qvasi compendio repræsentat: *qva pietas & religio in solo charitatis & æqvitatis exercitio comprehenditur & jus summarum potestatum tam circa sacra qvam profana ad actiones tantum refertur, cæterum unicuique & sentire, qvæ velit, & qvæ sentiat, dicere conceditur*: qvibus solis articulis nova atqve mustea hæc religio constat) *non tantum salvâ pietate & reip. pace posse concedi, sed eandem nisi cum pace reip. ipsâqve pietate tolli non posse.* Non potest exprimi verbis, qvam periculoso blanditiarum apparatu, proclivi ad sentiendum faciendumqve qvidlibet seculo, atheismi venenum instillet & sub qvadam pietatis atqve libertatis, qvæ aurea est, larva, à Divini verbi, mysteriorumqve eo contentorum, fide abducat.

IV. Cum de corporum nostrorum resurrectione sermo nobis sit, haud absre erit si, qva ratio-

ratione hanc fidei nostræ partem elevet NATURALISTA, ut novæ arti Scripturæ auctoritatem subjiciat, subigatqve, paucis edisseramus. Non ignorabat, Hujus CARNIS RESURRECTIONEM, credere persvasam sacratissimarum Literarum testimoniis universam, qvæ uspiam fuit, aut etiamnum colligitur, Christianorum Ecclesiam. Qvanto enim cum verborum pondere librum de Resurrectione exorditur latinorum patrum vetustissimus, Tertullianus *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum*? Cum verò hic Philosophia, cujus effatum esse dicitur: *idem non posse reproduci numericè*; interpretari Scripturam, qvæ eadem numero corpora excitari post mortem asseverat, haud posse videatur, nodum hunc solutu facillimum esse, haud falsus nominis sui vates, Lucifuga, arbitratur. *At profectò* inqvit, *mirari satis non subit, viros gravissimos atq; alias satis perspicaces, ita opinionibus, aut ab infantia haustis, aut institutione acqvisitis,* (hos autem errorum omnium fontes Prologus operis lepidissimis insectationibus verbosè aperit) *aut cæco impetu arreptis adhærere, ut istas sine probationum accurata & nulli parti addicta examinatione, mordicus teneant, doceant, defendant. Nam dogma hoc de ejusdem carnis resurrectione & sanæ rationi, ut diximus, repugnat & ex allatis Scripturæ locis neutiqvam inferri potest.* Fidem verò facturus, qvam Theologi sine prævio, eoq; accurato, locorum examine pro ejusdem carnis resurrectione ex Jobo atqve Paulo

Paulo concludant: *prior ex V. T. depromptus locus*, ait apodicticus Demonstrator, *in Hebræo textu ita confusus, perturbatus atque obscurus reperitur, ut inde ne idonens quidem sensus, multo minus ejusdem carnis resurrectio elici queat. Posterior autem, sileviter tantum examinetur*, (quâ enim propudiosâ levitate Spiritus S. sermones exponat Novator, hoc solo specimine satis evidens esse puto) *non tam eorundem, quam novorum, corporum resuscitationem docere deprehendetur*. Quid? Anne recenti huic homuncioni, fidei nostræ fundamenta uno impetu subruenti, & cui præterea nec nomen ullum est, nec in Ecclesia dignitas nescio qvam confusionem & perturbationem & obscuritatem locorum, tantis, tamqve orbis calculo eruditis, & textuum horum viscera penetrantibus, hominum citra controversiam doctissimorum, sanctissimorumqve commentariis illustratorum, crepanti, nec rationem ullam, nedum apodicticam, adducenti, credere par erit, præ Sancto Hieronymo, & Hebraicarum literarum, & cognitionis Theologicæ, & antiqvitatis totius ad miraculum usqve perito, qvid de Hiobi loco pronunciavit: *Nullus tam apertè post Christum de resurrectione loqvitur, qvam Hiobus ante Christum?* Sed verò nobis propositum nunc non est, Scripturæ, cujus ille Divinam δύναμιν cum Sadducæis, ὁ πλάνος cum iisdem καὶ πλανώμενος, ignorat, hicabyssum intrare, qvaqve ille cum verborum ἐμφάσει atqve majestate hunc fidei nostræ articulum

pasim

pasim inculcet, ostendere: de hoc tantum intra præstitutos nobis brevitatis limites dispiciemus, qvam inani gloriandi pruritu magnificus Philosophiæ, qvam unicè jactat, buccinator, *sanæ rationi repugnare dogma de ejusdem carnis resurrectione*, affirmet Neqve verò dissitemur, qvo à sensibus remotior est hæc veritatis Christianæ particula, eo minus approbationis assensusqve subinde reperisse apud eos, qvi mentis suæ vim supra vulgares naturæ notiones evehere, ignavi ingratiqve Divini muneris possessores, detrectarunt. De paganis res est exploratæ fidei. *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur*, ait libro de Præscriptione Tertullianus. Ab iis traxere errorem Christiani, si tamen Christianorum nomine digni sunt, qvi vel cum ratione insaniunt, vel corruptæ rationis deliramenta genuinis ejus dictatis præponunt. Hymenæum & Philætum prædicat Paulus, Gnosticos, eorumqve sub aliis licet nominibus sectatores, Epiphanius, aliiqve. Qvorum vestigia presse, qvotqvot ex eo tempore, hominem qvidem resurrecturum, sed non eadem carne docuerunt; ceu Jo. Hierosolymitanus, apud Hier. Eutychius Const. apud Gregor. M. Qvibus nonnulli Origenem, sed in scriptis ejus non satis exercitati, adjungunt. Joann. Philoponus, Durandus de S. Portiano, apud G. Calixtum. Qvibus nostrâ ætate accesit incomparabilis de cætero Philosophus,

Jac.

Jac. Schegkius. Ut nihil dicam de iis ex plebe semidoctis, qvorum vel nulla est nominis fama, vel qvi supra vulgus non sapiunt, qvippe qvod, qvicqvid manibus haud palpat, ægerrimè credit; exemplo rustici illius præfecti, apud Lutherum, qvi ministerio, resurrectionis ei veritatem comprobanti, respondit: Herr Pfarrer/ euch zu gefallen will ichs glauben; Aber ihr werdets sehen/ daß nichts darauß wird. Neqve diversum sentire videtur PHILOSOPHUS noster INTERPRES, qvamqvam opiniones suas, fidei Christianæ contrarias; ubiqve datâ operâ occultet atqve involvat. Qvo ipso verò qvam ἀκριβῶς philosophetur, erudiri à Theologis, qvos ubiqve tanqvam fungos insectatur, si legere hujus argumenti disputationes volupe ei fuisset, poterat, qvi ex Damasceno, qvod ἀνάστασις, seu resurrectio, vi vocis ἐξ ἀνάγκης inferat non alius subjecti qvam τῶ πεπτωκότος φάσιν, jamdiu docuerunt, nec naturale lumen, cum nova corpora excitantur, resuscitari demortua, dicere ullo modo concedat. Qvam ἀφιλόσοφον ergo est homine THEOLOGOPOLITICO indignum, dicere: *Paulum non tam eorundem, qvam novorum corporum resuscitationem*, [ubi enim unqvam nova illa corpora, si resuscitantur, antea extiterunt, aut, si qvidem fuerunt, qvomodo nunc sunt nova, hoc est, substantia diversa?] *docere.*

V. Intueamur nunc, priusqvam ad id, cujus causa hæc qvasi in exordio differimus, movea-

moveamus pedem, rationem, qvæ à se ortum hunc novæ interpretationis Doctorem, ut Scripturam è solio occupatæ hactenus citra cujuspiam interpellationem majestatis deturbatam, ad Philosophiæ pedes abjiceret, commovit. *Idem*, ait, *non posse reproduci numericè philosophicè ideò verum est, quoniam ad omnis individui procreationem & conservationem, [quæ nihil aliud quam continua procreatio est] confluxus causarum partialium*, [particulares forte dicere voluit] *individuarum reqviritur.* At si hoc φιλοσοφικῶς & necessariò verum est, verum qvoqve erit, nihil unqvam à Deo ex nihilo, ubi nullæ præcessere causæ particulares, procreatum fuisse. Eqvidem & hoc Noster, in omnia scilicet promptus, facile concesserit, qvippe qvi, *quantacunque sedulitate ac diligentiâ evolutis sacris paginis, Deum tamen ex nihilo quicquam fecisse non invenerit*; [materia igitur juxta illum Deo coæterna erit & omnipotentia ejus ad materiæ potentiam alligata. Proh Deum immortalem? qvale hoc qvali Philosopho Numen est, qvod aliunde dependet?] ex veritate tamen illimitati axiomatis, nihil prorsus posse Deum, etiam existente materia, sine confluxu aliarum causarum, [qvanta verò isthæc est infelicitas, qvanta imperfectio supremi Numinis?] ultrò consequetur. Itane verò sacra ista Philosophia, Scripturæ Magistra, delirat? Sanctius certè veriusqve prisci Philosophi disseruere, qvicunqve sensum Numinis,

minis, naturæ à Deo infixum, intelligendi discurrendiqve beneficio haud ignaviter excoluerunt. Cum Deum dicimus, rem qvandam non tantum summam, qvâ nihil majus cogitare possumus, intelligimus, sed ei perfectionem qvoqve undiqve infinitam, nullisqve omnino terminis circumscriptam, attribuimus. Qvod verò infiniti roboris, infinitæ virtutis est, id, qvemadmodum nullius opis indigum rem finitam ex nihili abysso, perascensus, ut ita loqvar, infiniti acclivitatem, ad existendi fastigium evehere potest: ita ob eandem vim infinitam, cur non rem semel emortuam & in nihilum prorsus redactam, [qvanto magis vero id, qvod in elementa duntaxat sua resolutum, qvoad prima principia adhuc supereſt?] ad eundem numero existendi modum poterit reducere? Aut posse hoc Deum, qvi omnia potest, necesse est, aut te, perversæ naturæ prædicator, impedimentum nominare, vinculumqve Numini induere oportet, qvo constrictum ita teneatur, ut rumpere illud, ut revellere, qvod nefas cogitatu nedum dictu est, haud possit. Qvod igitur dogma de ejusdem carnis resurrectione sanæ rationi non repugnet, hinc satis patescit. Jam qvæ frons, qvæ impudentia est, criminari, *cæco impetu à majoribus arripuisse gravissimos de cætero viros insanum hunc errorem?* Qvid verò erroris insimulari non poterit, si una hæc sufficiat accusatio: opinio est vel ab infantia

hausta vel institutione acqvisita? Aut qvibus patribus usi è paganis PHILOSOPHI clarissimi carnis resurrectionem vel tradiderunt, vel certè ab omni absurditate alienissimam judicarunt? De qvibusdam Phocylidis versibus, qvos in eruditissimo de Religionibus opere laudat Moses Amyraldus, haud immeritò qvidem dubitat vir immortalis gloriæ, Jos. Scaliger. Persarum tamen Philosophos Eudoxus & Theopompus: *revicturos homines, immortalesqve futuros*, docuisse, apud Diogenem Laërtium auctores sunt. Democritum ob reviviscendi promissum adservanda esse sepulchro hominum corpora, tradidisse, observante libro de Jure Belli Hug. Grotio, Plinius in Naturali Historia scribit, qvamqvam Philosophum rideat, ut *vanum*, qvippe *qvi non revixerit ipse*. De Senecæ verbis: *Qvod si tanta cupiditas longioris ævi te tenet, cogita, nihil eorum, qvæ ab oculis abeunt & in rerum naturam, ex qva prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. Et mors, qvam pertimescimus & recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qvi nos in lucem reponat, dies, qvem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Omnia, qvæ videntur interire, mutantur, Æqvo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit; hyems cecidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed illam statim dies abiget:*

[qvæ

[qvæ neqve de solâ hominis anima, qvippe mortis interitusqve experte, possunt exaudiri, neqve ideò, si de ἀναβιώσει Platonica, magno illo anno exacto sperandâ, intelligantur, hoc infirmius probant: Senecam credidisse, fieri per vires utiqve Divinas posse, ut aliqvando, iidem numero homines, eademqve numero corpora, in eum, è qvo prolapsa fuere, statum reducantur [deqve aliis Platonis, Ciceronis, aliorumqve testimoniis, malo INTERPRETEM nostrum, si ita ei videbitur, legere libros de veritate religionis Christianæ summorum doctissimorumqve virorum, Lud. Vivis, Phil. Mornæi, Hug. Grotii, Georg. Calixti, &, qvi hos secutus est, Jo. Henichii, qvi & argumentis aliis asserti nostri veritatem uberrimè comprobarunt. Qvæ cum ita sint, haud patiamur, qvicunqve à Christo nomen nacti sumus, ut κενὴ hæc ἀπάτη & Philosophia hominis male-Philosophi atqve veræ Theologiæ inimici, qva & in cætera fidei nostræ mysteria pro lubitu involat & superbè grassatur, spem resurrectionis nostræ, at qvantum Christianorum depositum! nobis eripiat atqve prædetur.

VI. Qvamqvam verò Christianorum proprium, rectè vocetur dogma, de resurrectione carnis, non tamen, ideò dicendum est, ne qvidem resurrectionis possibilitatem, naturâ, in qvantum illa, post lapsum, licet corrupta, in homine existit, duce, à ratione humanâ citra revelationem posse comprehendi; aut rationi

eandem si semet rectè explorare, nec sponte cœcutire, velit, prorsus impossibilem, videri. Qvamqvam enim à nonnullis forte impossibilis dicta fuerit, κατὲ τὸ δυνατὸν τινὶ, ut ex Philosopho docet Justinus Martyr, Resp. VII. ad Obj. de Resp. non tamen ea ideò πάντῃ seu ἁπλῶς ἀδύνατος censenda est. Qva in parte opinione nostra ab iis sive veterum, sive recentiorum Doctorum ultro recedimus, qvi rationi rectæ in se repugnare profitentur, eandem resurgere posse.

VII. Cum verò pro sententia nostra partim à Theologis in Locorum tractatione, partim ab iis, qvi contra Paganos dato studio scripserunt, multa numero, sed non æqva pondere, argumenta adduci videamus, nobis pro specimine Scholastico in illa inqvirere & judicium de iis nostrum expromere licebit.

VIII. Dubitandum non est, id genus argumenti, qvod è natura atqve virtute Divinæ potentiæ desumitur, cæteris omnibus præferendum, immò invictum esse, probandæ priori thesi: resurrectio carnis non est impossibilis. Qvicqvid enim neqve ex parte rei, neqve ex parte perfectionis Divinæ contradictionem involvit, id certè fieri à Deo non est impossibile. Sed ut eadem numero resuscitetur caro, ex neutra parte ullius contradictionis jure potest insimulari. Igitur impossibilibus & iis, qvæ rationi in se repugnant, accenseri nullo modo potest, debetqve.

IX.

IX. Major propositio negari ab iis neqvit, qvi Deum ens esse infinitè perfectum, àqve nulla re sive in essendo sive in causando dependens, concedunt. Qvi enim infinitè perfectus est, neqve ullos perfectionis suæ vel limites vel terminos agnoscit, ejus potentia nullis includitur terminis, nisi qvi consequenter perfectionem ipsam aliqva sui parte lædunt, veluti ubi aperta est contradictionis involutio. Et qvi à nulla re dependet, nullamqve supra se causam agnoscit, is qvoqve in agendo à nemine impediri, neqve ullo obstaculo, qvo minus id efficiat, qvod vult, potest cohiberi. Deum vero independentem & infinitum esse, qvi ratione utitur, inficiari non potest, cum hæc sit una naturalium προλήψεων, cui intellectus hominis, nisi voluntaria malitia vel suffaminetur, vel suffocetur, non potest non assentiri. Qvippe mens humana à causarum finitarum nexu ad eam usqve ascendit, qvæ supra se aliam non habet, hoc est, qvæ infinita est & independens, adeoqve termini omnis & causæ expers. Aut igitur Deum ens independens & infinitum esse intellectus hominis vi sibi insitâ apprehendit, aut Deum esse, naturalis rationis lumine, qvod absurdum est, non poterit doceri. Hanc clarissimi Paganorum Philosophi & infinitatem & omnipotentiam Dei agnoverunt Homerus:

- - - Θεοὶ δὲτε πάντα δύναντας.

Virgilius, lib. II. Æn.

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice.

Lucius Apulejus de DEO Socratis: *Summus Deus infinitus, non solum loci exclusione, sed & naturæ dignitate.* Cicero: *Nihil est, qvod Deus efficere non possit, & qvidem sine labore ullo.* Hinc Augustinus, Serm. XIX. de Temp. *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum, sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qvi non dicat, Deum esse omnipotentem? Negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest.*

X. Qvod verò contradictionem non importet, si dicatur, Deum resuscitare carnem demortuam, facile ostenditur. Non implicat ex parte rei, qvia non est major distantia inter mortuum esse & iterum existere, qvam inter non esse & esse. Jam verò ex eo, qvod non est, fieri aliqvid, adeò contradictioni obnoxium non est, ut reipsa ex non existentibus facta sint ea, qvæ existunt. Qvid igitur impediet, qvo minus ea, qvæ demortua sunt, adeoqve in principiis suis adhuc qvasi sepulta & obvoluta jacent, secundo fieri, id est, ad reexistentiam suscitari possint. Rectè Justinus Martyr, Resp. ad Qvæst. cap. XXX. *Si, qvemadmodum homo, antequam factus esset, erat potestate in elementis, ex qvibus factus est, sic & postqvam est corruptus, est potestate in elementis, qui fit, ut non credant Græci Deo, pollicito, se resuscitaturum mortuos, tanquam res sit impossibilis, cum homo potestate*

state sit in elementis, quemadmodum olim creandus, sic nunc recreandus. Et accuratius, cap. XXXII. *Potestate est animal in semine, naturæ; potestate est lectus in ligno, arti; potestate sunt resurgentes in elementis. Quod si est, nonne absurdum est, credere, naturæ naturalia & arti artificiosa, DEO verò non credere Divina?*

XI. Pressius ita proceditur. Si contradictionem implicat, hominem defunctum ad vitam revocari, tum aut implicat ex parte causarum externarum, efficientis & finis, aut internarum, materiæ & formæ. Aut neutro modo implicat. Non ex parte finis, qvia is est Dei gloria & resuscitati vita, qvæ priorem finem adeò non destruunt, ut potius promoveant. Non ex parte causæ efficientis. Nam sic aut læderetur potentia ejus, aut voluntas. Non illa, qvia per hunc potius actum, tam illustrem, tam sublimem, enitescit. Non hæc, qvia velle potest Deus, qvæcunqve neqve bonitati, neqve justitiæ ipsius adversantur. Resuscitationem autem hominum demortuorum bonitas atqve justitia, ut infra probabitur, reqvirunt potius, qvam repudiant. Non ex parte formæ, qvia illa adhuc superstes est, adeoqve corpori facile copulari potest. Non ex parte materiæ, qvia & ipsa in principia tantum sua rediit, adeoqve colligenda tantum, & pristinis suis formis induenda est. Qvæ itaqve dementia fuit gentium, qvæ Marco Antonino Philosopho imperante martyres non

occidisse contentæ, corpora insuper eorum exusserunt, cineresqve in Rhodanum ideò sparserunt, ut hac ratione Christianis spes omnis, ut ipsis qvidem videbatur, resurrectionis præcideretur? Rectè Augustinus, in Ps. CXXXIX. *Incensa sit caro, percussa sit caro nunqvid ideò subtracta est creatori, quia data est in manus persecutoris? Ille, qui creavit ex eo, quod non erat, non reparabit melius, quam erat?*

XII. Neqve verò implicat etiam ex parte perfectionis Divinæ, ex eadem prorsus ratione. Nam, ut rectè ratiocinatur Athenagoras: *si, quod deterius est, mortale scilicet & patibile corpus condere, non indignum Deo visum est, multò minus indignum erit, quod præstantius est, immortalitate & impatibilitate donatum, in rerum naturam producere.*

XIII. Qvæ tametsi clara sint, difficultas hic tamen aliqva subnascitur ex reproducendi modo, qvi cum à productione diversus sit, diversum qvoqve id esse, qvod reproducitur, videtur. Qvod enim nova actione efficitur, id ipsum qvoqve novum & à se priori prorsus diversum esse, necesse est. Confirmatur hoc seqventi ratione: actio est propter effectum, sive propter rem productam, [vulgò terminum vocant] estqve influxus, qvo esse communicatur effectui. Si ergo non est eadem numero actio, non idem numero esse per eam communicari potest, & per consequens non erit idem numero effectus, qvi per eam reproducitur.

XIV.

XIV. In dissolvendo præsenti dubio *D Jo. Henichius*, libr. de Ver. Relig. Chr. c. VII. p. 492. propositionem ita limitat: qvod non potest eadem numero actione reproduci, illud idem numero non potest reproduci, si sit in nihilum redactum. Qvâ ita concessâ evidens esse ait, demortuorum corpora non in nihilum, sed in principia tantum sua & elementa, è qvibus fuerant composita, abire. Qvare ex potentia ejusdem numero materiæ membra hominis, horumqve formas, diversa licet actione, facile reproduci posse. *D. Petr. Musæus*, libr. de Ætern. Beatit. & huic opposita Damn. §. LXXXI. p. 103. Majorem, si intelligatur de reproductione alicujus, qvod ponimus in nihilum esse redactum, *non quidem concedi, sed nec temerè negari* debere disputat. Postea tamen negantem sententiam non tantum ratione firmat, sed & patres asserit, qvoties ipsis disputandum fuerit contra ethnicos, fundamentum resurrectionis ejusdem numero carnis in eo posuisse, qvod corpora defunctorum ex eadem numero materiâ, in qvam putrefactione resoluta sunt, per Dei potentiam reproducerentur.

XV. Sed verò, ut de eo nihil dicamus, qvod ista materiæ potentia, exqve ea eductio, multis vel explicatu vel creditu videatur difficilis, non opus esse arbitramur, ut sinamus his nos obrui anguſtiis. Unde enim probabitur, diversum producendi modum ex simplici atqve immutabili necessitate inferre rei

qvoqve ipsius diversitatem? Sive, qvod idem est, involvere contradictionem, si statuatur, rem unam eandemqve numero, si vel maximè in nihilum abiisset, [qvod tamen mortuo corpori accidere ipsimet inficiamur] diversis efficiendis modis produci? Qvousqve verò ista contradictionis involutio soli meridiano clarior non est, vim infero potentiæ Divinæ amplitudini, si eandem restringo. Tu mihi cogita confessum qvempiam notissimorum hominum, eundemqve finge subitò ab oris Divini spiritu diffiari, id est, in nihilum redigi. Anne Deus omni suâ potentiâ efficere non potuerit, ut illicò ille idem numero confessus, illi iidem numero homines, qvi ante interfuerant, rursus adsint, vivant, colloqvantur? Qvis dubitat, posse Deum Sempronii corpus hodie Romæ atqve Venetiis, cras verò solis Venetiis, deniqve die perendino Romæ iterum atqve Venetiis præsens sistere, ut tamen nec diversa sistendi actio, nec corporis mutata per vices præsentia atqve absentia, ut in Sacramento corporis & sanguinis Christi fieri ex revelatione edocemur, corporis Semproniani unitatem, sive ponat sive tollat. Qvicqvid enim rei essentiæ extrinsecum est, neqve ejus qvidditatem formalem ingreditur, ut est producendi actus, qvi causæ efficientis, adeoqve externæ est, & diversi temporis ratio, qvæ accidens est, adeoqve sine subjecti interitu abesse & adesse potest, id nec existen-

existendi identitatem mutare, ultro & ex terminis intelligitur. Deniqve non apparet, qvomodo supposita materia prima, qvamlibet diversarum specierum capace, novus mutandi & ex illa qvidpiam reproducendi actus non variare rei identitatem debeat, cum variet reproducendi actus ex nihilo. Res enim eadem dicitur, non propter principii & elementi ultimi idenditatem, qvam cum infinitis aliis corporibus habet communem, sed ob unitatem individuificam, ut barbaro Scholasticorum vocabulo utar, materiæ talis & talis, hoc est, secundæ.

XVI. Non diffiteor interim, majorem propositionem, si intelligatur de reproductione alicujus, qvod non annihilatum, sed in principia tantum sua redactum est, majori specie gentili negari, seu potius contrarium eidem ostendi posse. Sunt enim adversus eundem ex qvotidianis rerum reparationibus instantiæ ubiqve infinitæ. Si, v. g. domus resolvatur in partes suas materiales & ex his vicissim componatur, alia numero materia non adscita, eadem iterum numero erit domus, qvantumvis diversa interceserit actio. Idem Mercurius resurgit, si mille actionibus in mille eundem redigas formas & in Mercurium iterum reducas. In hunc sensum Tertullianus, cap. LV. de Resurr. Carn. *Aliud est*, inqvit, *demutatio, aliud perditio. Porrò aliud, si ita demutabitur caro, ut pereat. Peribit autem demu-*

mutata, si non ipsa permanserit in demutatione, quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit, ita et si resurgit quidem, verum in demutationem subducitur, æquè perit. Æque enim non erit, ac si non resurrexerit. Et quamineptum, si in hoc resurgit, ut non sit, qvæ potuit non resurrexisse, nec esse, quia jam esse non cœperat. Non miscebuntur omnino diversa, mutatio atq; perditio, operibus utiq; diversa. Perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo, quod perditum est, mutatum non est, ita quod mutatum est, perditum non est. Periisse enim est in totum non esse, qvod fuerit, mutatum esse aliter esse est. Porrò dum aliter est, idipsum potest esse; habet enim esse, quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atq; adeo potest & demutari qvid, & ipsum esse nihilominus, ut & totus homo in hoc ævo substantia qvidem ipse sit, multifariam tamen demutetur & habitu & ipsa corpulentia & valetudine & conditione & dignitate & ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus; nec qvicqvam tamen amittat hominis, nec ita aliud efficiatur, ut cesset idem esse, imò nec alius efficiatur, sed aliud.

XVII. Miror autem, P. Musæum, virum doctissimum, scripsisse, Patres, qvoties contra gentes disputaverunt, fundamentum resurrectionis eandem numero materiam, eosdem numero cineres posuisse, cum compertum eidem fuerit, non negasse eosdem, si nihil uspiam remansisset materiæ, Deum nihilominus demortuos excitare potuisse. Ille idem, qvem ex lib. XXII. de Civit. D. c. XX. alle-

allegat, Augustinus, cap. XXI. *Etsi*, ait, *caro omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remansisset, unde vellet, eam repararet omnipotens.* Ille idem, qvem ex cap. LXIII. de Resurr. adducit, Tertullianus, in Apol. cap. XLVIII. *Considera*, inqvit, *temetipsum, ô homo & fidem rei invenies. Recogita, qvid fueris, antequam esses? utiqve nihil. Meminisses enim, si qvid fuisses. Qvi ergo nihil fueras, priusqvam esses, idem nihil factus, cum esse desieris, cur non possis esse rursus de nihilo ejusdem auctoris voluntate, qvi te voluit esse de nihilo? Qvid novi tibi eveniet? Qvid non eras, factus es; cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qva factus es, & tunc require, qva fies.* Minucius Felix, in Octav. p. 326. *Qvis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem à Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuò reformari? Nihil esse post obitum & ante ortum nihil fuisse? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius est id, qvod non sit, incipere, qvam id, qvod fuerit, iterare. Tu perire & Deo credis, si qvid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo, elementorum custodi, reservatur.* Tatianus, contra Græcos: *Qvoniam sicut ignorabam, qvid essem, antequã nascerer, cum nullus adhuc essem, solum autem in subjecto materiæ carnis existebam, deinde genitus qvi olim non eram, & ex ipsa generatione essentiæ meæ fidem habeo. Ita natus & per mortem ad non esse redactus,*

atqve

atqve iterum inconspicuus oculis, denuò existam. Quamvis enim caro tota incendio consumatur, materiam tamen evaporatam mundo excipit; qvamqvam aut in fluviis, aut in mari contabescam, aut à feris dilanier, condor tamen in penu prædivitis Domini. Qvod licet pauperes & impii nesciant, Deus tamen, qvi regnat, substantiam sibi soli conspicuam, qvando voluerit, ad pristinam integritatem reducet. Lactantius, libr. VII. Inst. cap. 23. *Si à principio Deus hominem, nescio qvo inenarrabili modo instituit: credamus ab eodem restitui posse, qvi novum fecit.*

XVIII. Sed nova iterum surgit difficultas ex unionis diversitate, qvæ seqventi potest ratiocinio includi: cujus anima & corpus non possunt per eandem numero unionem uniri, is non potest idem numero restitui. At hominis demortui anima & corpus non possunt rursus per eandem numero unionem uniri. Ergo homo demortuus non potest idem numero restitui.

XIX. Rectè utiqve in hoc Syllogismo majorem negant Henichius atqve Musæus. Nam ad id, ut qvis idem numero dicatur homo, non requiritur, ut omnia ea habeat, qvæ ad hominem eundem olim qvacunqve ratione concurrebant, sed efficit, ut ea redeant, qvæ essentiam hominis absolvunt. Dices; ad eandem essentiam & unionem accedere: respondebo cum Musæo; dupliciter aliqvid ingredi & constituere essentiam hominis, ut qvod & ut qvo, sive ita, ut aliud in conceptu homi-

hominis in casu recto, aliud in obliqvo exprimatur. Corpus verò & anima constituunt hominem, ut qvod, sive ut qvæ, sed unio, ut qvo, hoc est, corpus & anima constituunt hominem, mediante unione. Non qvidem anima in casu recto prædicatur de homine, si seorsim sumatur; sed conjunctim tamen rectè dicimus hominem nihil esse præter corpus & animam, cum unione, seu animam & corpus inter se unita esse hominem. Ubi anima & corpus in casu recto, unio vero in obliqvo exprimitur. Jam autem ad unius ejusdemqve carnis resurrectionem satis est, si ea resurgant, qvæ hominem, ut qvæ constituunt, deqve eo in casu recto enunciantur; neqve necessariò reqviritur, ut eadem qvoqve numero unio partes hominis copulet atqve jungat. Idem enim fasciculus est numerò, qvi eandem in se numero materiam complectitur, etsi pro diverso tempore diverso qvoqve vinculo colligetur. Unionem vero vinculum potius partium, qvam partem aliqvam hominis esse, indubium est. Qva de re post alios prolixè disqvirit, *D. Joach. Lütkemannus* Diss. Phys. Theol. de Vero Hom. Sect. I. §. 38. s.

XX. Sed de minore, utrum illa admittenda sit, controversia est. Nam Henichius, qvem pressis verbis pressoqve pede seqvitur Musæus, eam negari non posse probabile censet. *Fatemur autem*, inqvit, *valde verosimile esse, cum anima corpori redivivo reunietur, fore hanc diver-*

versam numero unionem. Qvicqvid enim planè interit, ita ut per novam actionem reproduci indigeat, illud non reproducitur idem numero. Atq; unio, qvâ anima & corpus hominis in hac vita inter se sunt unita, planè interit, cum homo moritur. Ergo. Patet minor; unio enim illa est modus, qui, homine mortuo, nullum amplius afficit subjectum. Sed implicat dari modum, qui nullum afficiat subjectum. Sicut videlicet non potest dari præsentia vel sessio Petri, nisi detur Petrus: ita etiam non potest dari unio inter animam & corpus, nisi detur corpus æquè ac anima. Sed qvod fundamentum istud: qvicqvid planè interit & per novam actionem reproduci indiget, id non potest reproduci idem numero; satis firmum non sit, jam ante ostensum est. Neqve enim vel probabiliter qvicqvam negandum est Deum posse, nisi id, qvod posse negatur, tam manifestum sit involvere contradictionem, qvam clarum est, solem lucere. *Deus enim potest superabundanter supra omne id, qvod nos cogitare possumus* Eph. III. 20. *Et in rebus miris summa credendi ratio est omnipotentia creatoris*, ait Augustinus, lib. XXI. de Civ. Dei, cap. VII. Jam verò ex qva parte contradictionem involvit, Deum per novam actionem eandem numero unionem posse reproducere? Neqve enim vel ex parte rei involvit, cum unionem unam existere atqve perire & iterum existere sese invicem non tollant aut perimant; neqve etiam ex parte reproducentis, cum nihil prorsus in Deo lædatur, si supponatur hoc facere posse.

posse. Ergo aut asserendum est, hoc posse Deum, aut alleganda ratio, qvâ evineatur hoc non posse; qvod qvamdiu non fit, neqve fieri potest, pietati Christianæ consentaneum est, id Dei potentiæ neqvaqvam subduci. Præterea haud abs re D. Lütkemannus, supra à nobis allegatus, inter unionis actum distinguit, qvem numero à priori distinctum esse concedit, & statum seu formam, *qvam unionem reproductam eandem numero vocari permitto*, inqvit, Sect. I. §. 52. p. 44.

XXI. Supposito verò ad reproductionem rei numero ejusdem existentiam saltem elementorum ex absoluta necessitate reqviri, hanc devorationem hominum vel à bestiis vel ab hominibus factam nullo modo tollere dicendum est. Qvicqvid enim à bestiis manducatum in earum substantiam transiit, id olim homini tanqvam legitimo Domino vindicandum esse ultro patet. Qvod verò ab homine comestum fuit, id partim accessit homini perfectè constituto: [At verò tam opus non est, ut qvælibet pars carnis humanæ accessoria eidem in resurrectione, ut idem homo fiat, reddatur, qvam necessarium non est homini febre ardente exusto, ut idem numero homo maneat, eandem numero, qvam deperdidit, carnem restitui, cum insuper monstrosus homo resurgeret, si qvaslibet iterum, qvæ per totam vitam ab eo defluxerunt, carnis particulas reciperet,] partim in ejusdem substan-

tiam conversum non est, sed vel calore absumptum, vel in excrementa vel in pilos vel in pituitam & bilem solutum; partim denique Deus, quæ Grotii vero haud absimilis opinio est, libr. II. de Verit. Rel. Christ. c. X. *corporibus humanis singulari quadam cura ita prospicit, ut quod inde ad aliorum hominum escam pervenit, non magis in substantiam eorum vertatur, quam solent medicamenta aut venena; eoque magis, quod quasi naturaliter constet, humanam carnem ad hominum victum non datam.*

XXII. Hæc adeò perspicua sunt, ut mirum sit, potuisse, quod testatur Athenagoras, hanc objectionem multos olim etiam eruditos turbare & torquere. Quid enim necesse est, homini hominem devoranti, si caro devorata in substantiam ejus transiit, restitui hanc substantiam, cum ea possit restitui, quam habuit ante devorationem? Neque enim is homo, antequam hominem alterum voraverit, à seipso diversus est, postquam absumpsit alterum. Sed audiamus hac de re eleganter, ut solent, loquentes Ecclesiæ patres. Tertullianus cap. ult. libr. de Resurr. *Non sola anima seponitur, habet & caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis; cum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repræsentetur* Augustinus, Ennarr. in Psal. LXII. *Si incenditur aliquis mortuus, aut si canes & lanient*

nient eum, putatis, qvia inde non erit resurrecturus? Omnia, qvæ discerpuntur & in favillas qvasdam putrescunt, integra Deo sunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt, qvando facta sunt. Non illa videmus, sed tamen Deus, unde scit, producet illa, qvia &, antequam essemus, unde sciebat, nos produxit. Idem Doctor Φιλοσοφικώτατος, libr. XXII. de Civ. Dei, c. XXI. *Qvicqvid carnium exhausit fames, utiq; in auras est halatum. Unde diximus omnipotentem Deum posse revocare, qvod fugit: Reddetur ergo caro illa homini, in qvo esse caro humanæ primitus cœpit; ab illo qvippe altero, tanqvam mutuo sumpta deputanda est, qvæ sicut æs alienum ei redhibenda est, unde sumpta est: sua verò illi, qvem fames exinanierat, ab eo, qvi potest etiam exhalata revocare, reddetur.* Seqvuntur verba illa, qvæ supra à nobis adducta sunt, qvibus significat, si prorsus in nihilum abissent omnes hominis carnes, nihil tamen esse, qvod ligare robur Divinarum manuum posset, qvo minus & id, si vellet, resuscitaret; in qvibus & nos, ut supra innuimus, acqviescimus. Qvibus gemina habet, Lib. XXII. de Civ. Dei, cap. X. *Absit, ut resuscitanda corpora, vitæqve reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia revocare, qvæ vel bestia vel ignis absumpsit, vel qvicqvid in pulverem cinerem; collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit, ut sinus ullus secretum; naturæ ita recipiat aliqvid subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.*

XXIII. Proximam huic argumento probandi vim ostensæ in naturalium exemplorum inductione resurgendi possibilitati haud immeritò adscribimus. In qvibus tamen ipsis hæc deprehenditur differentia, ut qvædam ex demortuis corporibus similia posse corpora exurgere, qvædam verò ex iisdem eadem numero excitari posse demonstrent.

XXIV. Prioris generis sunt, cum cernimus ex arborum animantiumqve seminibus, [qvod argumentum & Paulus urget, 1 Cor. XV, 36.] formâ specieqve qvantumvis mutatâ, rem tamen ad originis suæ formam redire. Si enim seminis granulum, in qvo nihil est, sive formam, sive materiam, sive qvantitatem, sive qvalitatem intuearis, qvod rem illam, qvæ inde exurgit, vel ulla ex parte repræsentet, [qvod chymici artifices ad contusum etiam & putrefactum extendunt; de qvo tamen non immeritò dubitatur] primum tamen in tenue virgultum, deinde in arborem, trunco, ramis, pomis, foliisqve superbam, naturâ obstetricante, evadit: qvantò magis poterit Deus, naturæ opifex, ex humano corpore, tanqvam semine qvopiam, si in terram projectum computruerit, similem qvondam exhibere humani corporis plantam? Fateor tamen, partim motus auctoritate Justini Martyris, Qu. CXII. partim persuasus, & Paulum non tam probandæ resurgendi potentiæ, qvam illustrandæ corporum resurgentium qvalitati

qvalitati documentum hinc sumere voluisse, vim huic argumento potissimam accedere ex comparatione naturæ cum Deo: si nempe hæc tanta atqve talia potest natura, qvanta aç qvalia poterit Deus? qvi nullarum causarum vinculis constrictus ea efficit volendo atqve imperando, qvæ natura gignendo atqve fabricando. Qvæ enim à natura semini, qvamlibet contuso, [qvod nunc suppono] inest, sese vivificandi atqve multiplicandi potentia, ea carere corpora hominum demortua, simplex sit, qvi ignoret. Tertullianus, in Apolog. *Lux qvotidie interfecta resplendet, sidera defuncta reviviscunt, tempora, ubi finiuntur, incipiunt, certe semina non nisi corrupta & dissoluta fœcundius surgunt; omnia pereundo servantur.*

XXV. Diffundit se hujus argumenti vel virtus vel amplitudo per universam rerum generabilium seriem. Nihil enim prosus interire videmus, omnia sibi similia procreando conservari. Præclarè iterum Tertullianus, de Res. Carn. c. XII. *Totus hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit ante Deus, qvam literis; viribus prædicavit, anteqvam vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, qvo facilius credas prophetiæ discipulus naturæ: qvo statim admittas, cum audieris, qvod ubiq; jam videris, nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, qvem omnium noris restitutorem.*

XXVI. Sed & ea natura nobis suggerit

specimina, quæ corpora membris etiam prius suis quasi vestita, id est, organis, pulcherrimisque partibus ornata, deinde verò igne soluta atque in cineres combusta, ad pristinam tamen, eandemque numero, erigunt venustatis suæ figuram. Quid non in fornacibus, in vasibus suis faciunt Chymici? Ut, quæ congenera sunt, quamvis disjecta, colligunt? De Mercurio Thomas Broune, Medicus, in Relig. Med. Part. I. Sect. XLVII. *admirari*, inquit, sæpe soleo artificialem illam Mercurii resurrectionem, qui postquam in mille formas mortificatus fuerit, suam tamen iterum emergens recipit, fitque idem ipsum, quod antea fuerat. Quod si tantum est naturæ in res à se morti traditas imperium, ut illæ revocanti spontaneo velut obsequio pereant, quosque vel figulus vel vitrorum conficiundorum artifex minutissimè confregit, aut aliis etiam formis induit, iterumque in elementa quasi suam massamque priorem reverti jussit, vascula, in integrum nullo labore restituit: cur vel naturam vel opera à Deo constituta, quamquam in particulas minimis minores divisa, obsequium Deo reducturo detrectatura esse, aut dominium ejus excutere posse, credemus? Esto verò, novissimam Chymicorum industriam *hodie ita Mercurium mortificare nosse, ut nunquam in pristinum statum reduci possit*, ut ex Helmontio ad Medici Religionem notat Levinus Nicolaus Molkius, [quod verò quia ab aliis Chymicis con-

confirmari haud video, qvi contrarium adhuc hodie constanter testantur, Helmontio nequaqvam soli fidendum esse duco] anne ideo major non erit Dei, summi artificis, vel potentia vel industria? *Absit*, ait Augustinus, lib. XXII. de Civit. Dei, c. X. *ut sinus ullus secretum̃q; naturæ ita recipiat aliqvid subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut fugiat potestatem.*

XXVII. Nec minus exactè resurrectionem nostram repræsentaret illud naturæ experimentum, qvo herba vel planta integra in cineres redacta per artificium chymicum ex plantæ vel salibus vel cineribus ita, ut ex favillis in folia & caulem redeat, revocatur; si verum esset, qvicqvid de isto naturæ miraculo vel refertur vel jactatur. Neqve enim, inqviunt, in sensilibus id genus corruptionibus corporum alterabilium formæ vel planè intereunt vel à sedibus suis facessentes in æternum eis valedicunt, uti primo sibi intuitu otiosus spectator persuadet, sed in partes se tantum abdunt penitiores & inaccessas, sub qvibus incombustibiles factæ à voracis elementi actione tutæ lateant, id est, ab adversariorum impetu & omnimodâ annihilatione protegantur, donec liberiore qvasi aurâ usæ exolvant se vinculis & velut è sqvalido carcere prodeant in nativæ formæ pulchritudinem. Elegantissimum hoc naturæ miraculum esse ajunt, ex qvo Religionis Medicæ auctor hunc in modum colligit:

git: *Qvod ergo in inferioribus istis ars humana potest qvæ blasphemia est, negare idipsum in præstantioribus posse omnipotentis dextram. Hæc est mystica illa philosophia, à qvâ nemo revera doctus atheus discedit, qvin potius visibilibus hisce experimentis indies proficiens, tandem vero nomine Theologus exit, nec per somnium tantum, ut Ezechiel, sed manifestos & visibiles resurrectionis typos vigilans intuetur.*

XXIIX. Editus est liber iste, qvod præfatio editioni Parisiensi præfixa profitetur, ut laborantes atheismi suspicione Medicos purgaret ille medendi artifex & innocentem artem, Apostoli laudibus claram, interqve Divina charismata annumeratam, à magnis & impudentibus vulgi calumniis vindicarêt. Ejus verò suspicionis qvæ in Gallia atqve Britannia præsserat Medicos, historiam Jo. Barclajus, parte prima Euphormionis. p. 50. Ita nobis aperit, ut dicat: *omnem religionis differentiam in tres partes esse distinctam. Hos appellari priscos*, [alio sc. nomine Catholicos, veteri Pontificum Rom. fidei addictos] *illos Novates*, [reformatos nempe] *tertium genus medicorum esse* (Naturalistas possis appellare; de qvibus, heu nimis verè appositeqꝫ. satyricus] *Sed potentissimam factionem Medicorum jam latissimè dominari, ut, qvod Spartacus regnum concupiverit, isti servi occuparint. Jam Procerum partem, jam Magistratuum, eruditorum etiam greges totos consensisse in Medicorum scholam, hæc & talia sentientem: aut Numen solis terroribus fingi, aut, si est aliquod, omnia permi-*

permisisse dispensatrici naturæ: animum ita corporis domicilio insinuatum, ut extra illum carcerem non duret; deniq; religionibus sicut vestibus utendum, de qvibus & consuetudo & ipsa vulgi inconstantia judices sedent. His institutis docti facillimè peccant in hominum vitam & novis experimentis radices omnes ac metalla tentant, nec perniciem hominum æstimantes, nec numinis iram. Qvam feliciter ubiqve hanc à se depulerit suspicionem Brounius, *quem nonnunquam suo sensu licentiosè abundare,* haud injuria scribit Theologus optime de Ecclesia meritus, D. Tob. Wagnerus, Inqv. in Or. Sib. nostra nunc disqvirere haud interest, mortuorum certè resurrectionem & sanctè sese credere confitetur, & ratio ab ipso, ceu Chymiæ perito, adducta, si experimentum exploratæ fidei esset, ut qvilibet videt, aptissimè vehementissimèqve concludit.

XXIX. Sed aurem hic nobis non immeritò vellicat, qvi Medicum notis illustratum Argentorati edidit, nobilissimus Molkius, testatus, haud levia esse de isthac experientia dubitandi argumenta, producta in Pharmacopolio ab Helmontio, inprimis, *qvod Archeus figurator sit reigenerandæ, qvi cum ignem conflagretur dudum, antequam carbo vel cinis fiat,* res qvoqve ipsa ex cinere nudo fieri aut generari non possit. Cæterum & usu compertum esse ait, qvod, qvos chymica ista ars promittit, naturæ lusus, haud præstet, aut certè non ex plantis combustis inqve cinerem solutis,

sed solum exsiccatis & in pulverem redactis. Qvare rem istam totam meritò suspectam dubiamqve videri, neqve tanti ponderis, ut primore adspectu appareat, qvod hinc sumitur, pro resurrectione argumentum esse.

XXX. Alii verò, qvi plantarum palingenesiam & resurrectionem ex secretis artis chymicæ defendunt, hæc, qvæ tam illustri admirandoqve naturæ experimento obvertuntur, dubia tanti non esse dicunt, ut veritatis ideò sit deserendum patrocinium. De urticis rem esse exploratissimæ indubitatæqve fidei. Illas enim, dum in flore existunt, cum igne crematæ in cineres conjiciuntur, ex his verò lixivium mediâ hieme paratum summo frigori, ut congeletur, exponitur, in glacie hinc inde conspiciendas sese cum caulibus, ramusculis & foliis ita præbere, ut à diligentissimo pictore accuratius delineari plantulæ neqveant. De qvo experimenti genere ipse doctissimus Eqves: *ejusmodi aliqvid fieri posse ex urticis & aliis, non est dubium.* Sed nec de aliarum plantarum exactiori suscitatione, nisi fidem hominum fide dignissimorum, qvi oculis se suis hæc θεῖα naturæ haud semel conspexisse referunt, temerè elevare, & eadem operâ, qvicqvid uspiam humanâ fide constat, insimulare incertitudinis, nescio qva indigna animi levitate velimus, ullo modo dubitari posse. Thomas Brovne, l. c. *Hoc experientiâ compertum est. Artis enim opera ex plantæ cineribus plantam ipsam revo-*

revocari & ex favillis in folia & caulem redire VIDIMUS. L. N. Molkius, ad h. l. *VIDI Romæ apud P. Athanasium Kircherum ejusmodi plantam, ut ille referebat, si bene memini, ex cineribus resuscitatam.* VIDIT, & tamen dubitat, utrum è cineribus resuscitari planta possit? Et præterea ad resurrectionis veritatem ostendendam parum nostra refert, an è cineribus an è pulvere exiccato surrexerit planta? Qvibus & ista addit: *Percepi postea, dictum Patrem Adiantos sive capillos Veneris partim in cineres redegisse, partim è cineribus sal fecisse, partim è capillis istis aqvam destillasse & postea omnia illa in phiala longa ac ventrem habente miscuisse, collam vitri Hermetice clausisse & collocasse in loco temperato; exindeq; novam surrexisse plantam.* Referam, qvid ad me scripserit Argentorato Amicus, de Clarissimo viro, qvi cum Romæ Kircherum salutaret, in vitrei vasis fundo elegantissimam caryophylli hortensis figuram ipsius naturæ opera, uti patuerit, viderit, vel ex sola aqva stillatitia resuscitatã. Nam interrogatus à me de penitiore istius rei modo, ita respondit: *Caryophillus hortensis apud Kircherum haud apparet in liqvore, quippe qui pridem vel effusus vel absumptus est, sed è fundo vitri cujusdam,* [non clausi, sed aperti] *paulatim assurgens versus latera tendit, ut picta potius qvam à natura ipsi vitro impressa videri possit imago, si de cætere vitrum ullo colore infectum conspiceretur, aut styli saltem appareret vestigium. Sed & lineæ albæ profundius impressæ, ad linearum ferè in chrystallo minerali nonnun-*

nonnunqvam apparentium, ἀφ' una parte ad alteram transeuntium instar, argumento esse videntur, naturæ facultati, qvicqvid hic effictum est, tribui potius debere, qvam pictori, cujus penicillus neqvaqvam istam profunditatem assequi potuerit. Qva propter cum natura in vitro isthoc perfectam instaurare plantam haud valuerit, ejusdem nihilominus excitavisse imaginem, veros exactissimè caryophyllos referentem judicat αὐτόπτης, qvi figuram inclusam ea, qva potuit, solertia delineavit. Jos. Qvercetanus in Def Med. Herm. c. XXIII. cognitum sibi testatur Medicum Racovienſem, *qvi è plantis & herbis nonnullis peculiari arte & industria subtilissimos cineres paraverat. Ubi ignem modici caloris admovisset, cœpisse ex cineribus exsurgere speciem plantæ, cujus isti erant cineres; nec nudis tantum lineamentis adumbratam, sed partibus suis omnibus absolutam, & præterea vivis coloribus, qvales alias secundum naturam in caulæ foliis floribusqve conspiciuntur, exornatam: qvæ tamen mox amoto calore in suos cineres relapsa fuerit.* Jo. Lassenius, in Ath. Dev. Serm. XVII. obs. n. 36. hæc recenset: *Narravit mihi vir qvidam Amplissimus, Dn. J. H. V. perlatam â se ad potentissimum Danorum Regem, Fridericum III. glorioss. mem. (cujus nomine ad conqvirenda naturæ & artis mysteria in superiorem Germaniam ablegatus erat) præeunte Serenissimo Principe Vinarienſi, phialam vitream, cum pulvere urticæ hermetice præparato, qvi modico calori appositus urticam plenè & verè repræsentarit, sepositò iterum in cineres redierit. Similis phiala cum urtica meo tempore Parisiis in Bibliotheca Illustrissimi Cardina-*

dinalis Julii Mazarini aſervabatur. Sed & in rosâ idem experimentum, me præſente, non ſine pertinaci labore fecit Andegavi Gallorum, Hoſpes tum meus, Jacobus Berge, Med. Profeſſor; modum operandi in ſimul pro eâ, qvæ inter nos erat, conjunctione aperuit, non multò abſimilem illi, qvem C. Schottus ſuis Naturæ & Artis Joco-Seriis inſeruit, niſi qvod nolit toties aëri exponi cinerem & in rore excipiendo planè aliter jubeat operari. Qvibus experimentis alii alia complura ex Kirchero, Schotto, Rob. Fludd, Fakio, aliisqve magno numero adjungunt.

XXXI. Cœcus verò hic eſt, qvi non videt, iſta ſi vera ſint, corpus idem numero, qvod & qvale antea fuerat, qvantumlibet in minutisſimas principiorum ſuorum atomos, hasqve inter ſeſe mixtisſimas, diviſum, ex cineribus tamen ſuis, qvamqvam non ad eam ſolidæ exiſtentiæ pertinaciam, ad qvantam magno atqve diuturno labore primitus ipſum natura evexerat, ad veram tamen ſuimet ipſius ὕπαξιν, [cum, qvod ex cinerum materiâ exurgit, inqve oculos ſeu ſenſus incurrit, non poſſit non & ipſum materiatum & corporeum eſſe] non merâ atqve imaginariâ figurâ, qvæ citra ſubjectum ſuum, utpote accidens, neqvit conſiſtere, conſtantem ſemet erigere? Ut vel hinc intelligamus, qvod naturæ hic deeſt, à naturæ auctore, Deo, affatim reſarciri, remqve numero eandem ex elementis ſuis, utcunqve diſperſis, non ad eundem ſtatum, ſed perfectiorem longè ſolidioremqve exiſtendi modum poſſe refingi. XXXII.

XXXII. Sed profectò, si fateri volumus, qvod res est, majora sunt argumenta, qvæ dubitandum esse de resurrectione isthac, deqve experimentorum veritate, suadeant, qvam qvæ ad fidem iis habendam inducant. Nulla eqvidem hoc in negotio auctoritas est *Jo. Baptistæ Helmontio*, novo isti Medicinæ Deformatori, cujus ego certè nolim dispntare principiis, qvæ, audacter dixerim, haud intellexit ipse. Qvæ enim monstra sunt opinionum Helmontianarum, in Initiis Physicæ inauditis proditarum? *Aqvam esse rerum omnium principium, ignem rerum omnium mortem? Eundemqve neqve accidens, neqve subst antiam, ens tamen verum & subsistens esse? Deum omnia mediatè & immediatè operari? Generationis initia esse aqvam & fermentum, dum illa scilicet per fermentationem in Gas, seu halitum qvendam*, beneficio Blas, (tali nempe Philosopho talia etiam vocum prodigia conveniunt,) *seu virtutis stellarum moventis & ælterantis, semina præparent & excitent? In seminibus esse Archeum, Gas nempe spirituale, continens in se fermentum, imaginem & ideam rei seminalem & insuper notitiam dispositivam rerum agendarum? Ideam hanc Archei ex patrantis seu generantis ideâ defluxisse? Hunc Archeum immediate à Deo dari & qvotidie ex nihilo creari, cumqve anima moritur, in nihilum recidere & dissipari?* Tu mihi magnus Apollo eris, si, qvid ludibrii sit hic tam bellè depictus Archeus, ipso scilicet nomine formosus, conjeceris, nedum hæc talia vani cerebri com-

commenta probaveris. Qvis enim non Valentinum aliqvem nescio qvos æonas, qvæ ænigmata audit loqventem? Sed audi alia novi Hermetis axiomata. *Hominem primum non fuisse animal, sed Archeum ejus omnes tam venenorum qvam alimentorum Archeos in sui incrementum subigere potuisse. Eundem nutritum fuisse non alio cibo, qvam arbore vitæ, qvæ cedrus, ut per somnium cognoverit, fuerit. Evam perfectiorem mare creatam liberos non ex marito sed ex Spiritu S. susceptura & absqve dolore, clauso utero, si in integritatis statu perseverasset, parituram fuisse. Postqvam de arbore scientiæ Adamus comedisset, animal factum, animamqve sensitivam atq; vim prolificam nactum, ruisse in amplexum reluctantis Evæ, (neqve enim hanc, utpote perfectiorem, vim pomi degustati tam maturè sensisse) eandemqve stuprasse. Tum demum,* (tenete risum!) *inverecundum virginis stupratorem barbam accepisse, ut qvadrupedum barbatorum libidinosorum signaturam præ se ferret. Mortem non ex peccato, sed ex pomo provenisse, qvod projiciente ad radices alterius arboris serpente, homo comedisset, si vel maximè non decerpsisset ipse. Animam igitur hodie hominis, novâ ei creatione inditam, caducam & mortalem, discursivam & motivam centraliter in duumviratu ventriculi & splenis habitare, inqve ore ventriculi cogitare, discurrere, raciocinari.* Tœdet reliqvorum. Nam ex his solis, qvanti ponderis habenda sit, qvæ ab hoc pleno fastu Medico, qvi alicubi libros se abjecisse scribit, *cum cognovisset, se nihil scire, qvia ex nihil scientibus suâ didi-*

didicerit, qvem summus vir, Herm. Conringius, lib. II. de Herm. Med. c. IX. *Chymici gregis famosum, nunc tamen demum qvam maximè volumine post humo, paradoxorum pleno, celebritatem adeptum assectam* vocat, *etsi novæ scholæ magister audire, Paracelsi in qvamplurimis acerrimus non censor duntaxat, sed etiam criminator, non dubitaverit sese Philosophum per ignem nominare, qvasi hujus beneficio Philosophus evaserit*; mutuo sumitur, ratio, satis innotescit.

XXXIII. Sed alia graviora sunt, qvæ παλιγγενεσίαν istam premunt. Qvorum primum est, qvod nunqvam adhuc probatum fuerit, posse qvintam qvandam à corporibus sive animatis sive inanimatis essentiam, penu scilicet virium omnium, & essentiales rerum integrarum virtutes, qvæ sive in sale, sive in cinere, sive in liqvore ex illis deducto lateant, à crasiori corpore separari. *Est autem*, ait vir celeberrimus, H. Conringius, libr. II. de Hermet. Med. c. VI. p. 256. *totum illud de qvinta essentia corporum, adeoque & gemmarum, nihil nisi febrile commentum. Ineptum quoque est, ex calce corporum combustorum essentiam eorũ genuinam educere velle; perinde enim fuerit, atq; si in cineribus combustæ domus quæsieris essentiam domus integram. Ad hoc quæ ex calce segregantur, solvunturq;, si verè rem æstimes, nihil sunt, præter salia usta nitri, sulphuris, aliorumq; calci insipidæ gemmarum adhærentia.* Et cap. VIII. p. 286. *Par, si non major error eorundem est: in calce & cineribus rerum combustarum supereſſe adhuc essentiales*

tiales integrarum virtutes. Id sanè illi omninò persuasum habent, qui ex gemmis calcinatis mirifica remedia, ex salibus item plantarum combustarum nobis promittunt gemmarum stirpiumq; naturalem vim referentia. Quacunque enim ratione Quintam istam Chymicorum essentiam exponas, omnia incerta, omnia dubia sunt, neque ullo argumento, quod animum moveat convincatque, hactenus comprobantur. *Tantum enim abest*, iterum produco verba Conringii, cap. IX. p. 300. *sive illas Paracelsi sive aliorum Chymicorum quintas essentias omnem vim naturamq; corporum comprehendere, ut nonnullæ planè nihil vel perexiguum ejus habeant. Nec enim, quæ fermentationis inventu, qualia sunt spiritus ardentes, multo minus, quæ ignis luculenti vehementia, ceu spiritus metallici aridi, aut quæ per acerrima menstrua producuntur, naturam referunt integrarum rerum illarum, ex quibus confecta sunt, sed aliam noviter ortam. Nonnulla quadantenus quidem naturam illam pristinam exhibent, neutiquam tamen integram. Enimverò non succi, non olea, non spiritus, qui appellantur, sive plantarum, sive animalium, sive lapidum aut metallorum, etsi vires aliquas eorum medicas contineant, digni sunt nomine essentiarum. Ubi enim essentia rei est, ibi ipsa res adest. Nihil autem illorum vel planta vel animal vel lapis vel metallum. Ne quidem ipsæ animæ sunt stirpium vel animalium essentiæ ... Scilicet ad organicæ rei, (cujusmodi est stirps & animal] sive naturalis illa fuerit, sive arte facta, essentiam pertinet & quantitas quædã certa, & figura &*

 situs

situs partium corporis. Reliqva similaria itidem non possunt qvantavis esse aut, magnitudine, aut tactilium saltem qvalitatum constitutione. Neq; enim officio suo fungi possunt, cui natura res singulas destinavit, qvod in organicis sole clarius patet, nisi requisitis illis positis; essentia autem rerum, qvarum est usus aliqvis, in facultate istâ operandi consistit. Sed malo allegato loco, ut qvintam essentiam, ita alia complura Chymicorum deliria protrita legi atqve confutata.

XXXIV. Deinde in præparationibus seminum istorum, è qvibus plantæ novâ resurrectione consurgere dicuntur, sive illa cineres sint, sive sales, sive deniqve extractus aqvarum, [nam ex his aliisqve promittunt vitam plantis chymici] formas rerum non planè interire, sed in partes se tantum abdere penitiores & inaccessas, sub qvibus incombustibiles factæ à voracis elementi actione tutæ lateant & inaccessæ, non tantum contra sensum & experientiam, sed & propriam Chymicorum confessionem dicitur. Qvi enim possibile est, ut calcinationis interventu talis è rebus vis atqve facultas eliciatur, qvalis integris inest, cum illa ignis vehementiâ, qvâ corporum partes crassiores, in qvibus major sæpe qvam tenuioribus vis inest, in calcem aut cineres rediguntur, etiam tenuiores multum mutentur? *Est autem*, ita denuò Conringius, *res sensibus omnibus evidentissima, de oleis ejusmodi vegetabilium, succini, bituminis, ceræ, omnium resinarum, gummatum*q;

tumq; saponum, tartari, spiritus item tartari, salis nitri, sulphuris & vitrioli, aliorumqve; uno verbo, de omnibus, qvæ paratur per corporum combustionem. Si certe sensibus licet fidere,

- - - [qvid verò certius ipsis
Sensibus esse qveat?]

manifestum est, omnia hæc plurimum ab integris differre, eoq; gravissimè hic à Paracelsicis peccari. Qvis enim non sensu animadvertit, qvantum à naturâ stirpium absint vel salia earundem vel cineres? Confitetur hoc productus à Conringio Angelus Sala: *qvamqvam*, ajens, *negari neqvit, reservari in sale aliqvid ptopriet atum ejus rei, à qva separatum est, integras tamen illas neqvaqvam retinet.* Et Jos. Qvercetanus, etsi supereſſe in salibus illis stirpium formas conetur persuadere, fateur tamen disertis verbis: *assatione, ac calcinatione urticarum in aprico spiritus æthereos ac Mercuriales exhalare ac evanescere.* Ejus Sectator Beguinus in eandem qvidem sententiam cum Qvercetano de salibus philosophatur, cum Gebero tamen in calcinatione agnoscit privationem humiditatis, qvod de nativâ intelligendum esse, per incinerationem perditâ, fatetur Hartmannus. Qvibus rectè subjicit Conringius: *Hæc si vera sunt, utiq; etiam illis confitendum venit, neutiqvam in cineribus & calce vim rerum integrarum supereſſe.* Ista autem si non supereſt, qvomodo ex salibus aut cineribus resurgere integræ plantæ poterunt, omnemqve suam post mortem interum naturam ostendere ac essentiam?

XXXV. Porrò qvicqvid resuscitatione istâ experientiæ à Chymiæ patronis adfertur, id vel incertum, vel obscurum vel falsum omninò est. Qvid vulgò magis exploratum esse creditur, acid, qvod de urticis forte primus retulit Qvercetanus? Qva de re Molkius: *ejusmodi aliqvid fieri posse ex urticis & aliis, non est dubium,* Petrus verò Borellus, Medicus Regius Castrensis, Cent. II. Obs. Med. Phys. Obs. XXI. *Dicebant à mago qvodam, miras figuras, instar hortorum floribus decoratorum, in glacie fossarum urbis factas fuisse, adeò ut nihil pulchrius, nec majori artificio factum cerni possit. Sed tandem veram causam percepi, hancq; hic inserendam esse existimavi. Sciendum autem est, sal esse adipem terræ, quo fertilis qvotidie redditur, cum à pluviis & aliis aquis ad decliviora sal dissolutum defertur. Unde fit, aquam & terram fossarum terras fertiliores reddere & montes steriles remanere, fertiles è contra planicies. Hinc; fit, terram, à qua sal eductum fuit, sterilem per triennium omninò remanere, donec ab aëre vi terræ magnetica sal denuò attrahatur. Ideò dixit optimè Doctor Doctorum, sal rem optimam esse & Apostolos ideò sali similes esse asseveravit. Sal autem petræ dum conficitur, ob spiritus, quibus præditus est, certas figuras, ut alia salia, semper induit, præcipuè oblongas & sine ordine, mutuò sese intersecantes; unde & Labyrinthi exsurgunt. Cum autem conglaciatur aqua hiberno tempore, si sale ferè careat, est unita & lævigata, ut glacies fluviorum; si parum verò salis nitri obtineat, ut in viis, qvasdam figu-*

figuras habet. Sed in fossis, in quibus à longo tempore aqva sale impregnata fuit, miras figuras producit. Vel id ab innumeris plantarum salibus provenire potest. In sale enim plantæ latet ejus figura, ut in lixivio plantarum ustarum, aceto, &c. congelatis cernitur, utqve de urticis refert Qvercetanus. Hi autem sales in aqvis confusi suas figuras confunduut. Ab hac speculatione aliqvi phantasmata plantarum, utpote rosarum, tuliparum, &c. in phialis sigillatis calore benigno suppositoeruerunt, qvod profectò valde admirandum & animarum perennitatis non parvum est argumentum. Idem Borellus, Cent. III. Obs. LXXI. *Cum D. de Linga, Italus, Chymicus Philosophus non procul à Manso Asilii in provinciâ Fuxensi, rorem collegisset, inq; magno illum collocasset matracio, glacie superveniente coagulatus fuit. Ægrè autem ferens, qvod & ros inutilis redditus fuisset, vasq; glacie fractum, glaciem aspexit & in medio ejus arborem cum foliis, fructibus, ramis, radicibusqve, ad nucis figuram observavit, qvi miratus amicis suis illud narravit, & inprimis D. Steph. Breßæo, Medico Chymico expertissimo & veracissimo, qvi mihi fideliter hæc retulit. Qvod probat, plantarum animis immortales in salibus latentes suscitari denuò posse & in glacie vel aliter formas suas ostendere.* Ibidem istud subjicit: *Ostendit nobis Dominus Barlet plantam miram instar albi juniperi integram cum multis ac innumeris ramusculis, ab unico trunco manantibus, in medio vasis sponte suâ è tartaro vitriolato ortam. Visa etiam fuit à Domino La Norio,*

qvi eam ab illo dono habuit & ab aliis multis, Anno 1655. Ejus altitudo erat octo digitorum, crassities qvatuor. At verò, qvid de glacie istâ Qvercetani, urticam ferente Conringius? *Illud*, ait, *Qvercetani de figuris urticæ in lixivio cinerum ejus plantæ congliciato, ridicula est delusio naturæ, pingentis qvasi in omni glacie varias figuras; qvæ si urticæ fuerunt similes, casu profectò accidit, ceu docet usus.* Et iterum: *Qvæ narrat de plantarum ex cineribus resuscitatione vel commentitia sunt, vel magicis annumeranda. Et verò Polonus ille, cujus fide qvam maximè utitur, Magico, Michaëlem autem Sendivogium intelligit, scelere fuit infamis.* Qvid de eodem experimento Jo. Bapt. Helmontius, summus cæteroqvin chymicæ rei præco & patronus? Is in Dispensatorio Moderno, n. XIII. *Qvercetanus* inqvit, *cum per chiromantiam & anatomiam, qvam vocant, signatam non satis examinari intimas rerum potestates animadvertisset, Pyromantiam vocat in auxilium; at in vitâ defecit. Scilicet è cinere urticæ debile lixivium traxerat, qvod in testâ forte fortuna parum constrinxerat glacies, (nam si lixivium fortius fuisset, glaciari non potuisset] mane miratus exclamat: Ehem, frondium urticæ figuram in glacie en conspicio. Gavisusqve axioma fundavit; qvod nempe in cinere ens seminale, figurativum herbarum, ignibus invictum permaneat. Bonus vir ille suam principiorum declarat insciti am. Nesciens inprimis, qvod omnis glacies incipiens dentales cuspidet ad figuram folii urticæ faciat. Deinde qvod Archeus sit figurator rei generandæ, qvi per ignem con-*

flagra-

flagratur dudum, antequam carbo vel cinis fiat. Tertiò si ens seminale herbarum exprimeret lixivium non sanè folia, sed radicem, caudicem, flores & fructus referre deberet. At seminum potestas figurativa delitescit in Archeo herbarum rerumque generabilium Vulcano. Ita scilicet Chymicus Chymici experimenta subsannat. Quod si tam facile ex lixiviorum conglatiatione plantæ exsurgent, è quarum combustione facti cineres & lixivium paratum fuit, cur non & cæterarum plantarum, arborumque, quoties nobis libet, efficere in glacie possumus imagines? Cur verò plantarum in cineribus delitescentes animæ contra naturam suam, cum plantæ solis calore alias excitentur & foveantur, in summo se frigore erigunt, viresque suas, quas de cætero frigore pressæ comprimunt, diffundunt? Quæ verò à Borello, ad credendum nimis facili, referuntur, quot nituntur auctoribus, priusquam ad primum perveniatur? De cujus hac in re experimentis appono judicium viri, ut solidè eruditi, ita ab omni partium studio remotissimi, *D. Joh. Wolfgangi Möglingii*, Sereniss. PRINCIPIS mei Archiatri, de bonis omnibus optimè meriti, qvi à me haud semel qvæsitus in hæc talia respondit: Ut pueri in nubibus varias menti suæ imprimunt, sibiqve imaginantur figuras: ita hos in lineamentis glaciei, easqve plerumqve in animo præconceptas, qværere imagines. Hiberno tempore orbiculas nostras fenestrales, vaporibus intra conclave calidis imbutas, cum

liqvorem in glaciem constrinxerint, flores varii generis exqvisitissimos atqve adeò pulchros referre, ut nec ab artifice elegantior qveat confici pictura. Idem fieri in nive, cujus minimæ qvidem particulæ regulariter sex radios vel cuspides diffundant, sed & aliis sæpe modis figuratæ inveniantur. Nec Chymistarum principiis convenire, qvod ex tartaro viriolato arboris forma surrexerit, cum debuisset forma vitis, Nam tartarum non ex arbore qvadam, sed ex vite, ejusq; succo, provenire. Borellum denicq; in fine libri profiteri, calcinationem plantarum fieri debere in vase clauso; cum tamen qvo firmius claudatur vas, eo minus res injectæ calcinari possint. Certum enim Chymicis esse, carbonem in vase omninò clauso in cinerem redigi non posse.

XXXVI. Qvid reliqvis experimentis habendum sit, ex his liqvere videtur. Nonnunqvam oculi falluntur, ut videre se, qvod non vident, arbitrentur. Nonnunqvam radiorum in phialis atqve injectâ aqvâ refractio, qvosdam videtur repræsentare colores, qvi, ubi propius inspexeris, vel evanescunt, vel eam certè figuram non habent, qvam præoccupata tibi opinio antea impresserat. Nonnunqvam ad fallendum studio compositæ sunt phialæ, sicut fortasse factum est à circumforaneo illo, cujus ex D. de Lingâ mentionem Cent. III. Obs. LXXI. facit Borellus: *Lutetiæ*, inqvit, *peregrinum vidit vasa figillata multa ut ea à Qvercetano memorata habes, qvi qving. assium precio* [ita ad Agyrtarum subsellia projecta hæc ars est, de cujus ratione & legibus nondum

inter

inter eruditos constat?] *ostendebat in iis plantarum resurrectiones. Erant autem vasa semiplena; dum autem moderatè calefiebant, in iis plantarum phantasmata cum propriis figuris & coloribꝰ erumpebant, utpote rosæ, tulipæ, &c. Calore verò amoto in pristinum chaos redibant & evanescebant.* Nonnunqvam plantarum aliqva vel species vel integrum corpꝰ cernitur, sed unde surrexerit, haud indubitatò liqvet; ut in caryophyllo apud Kircherum viso. Nonnunqvam, qvod Conringiꝰ suspicatur, magicæ artes aliqvid effecerũt, qvod naturæ postea tribuitur. Et qvid dicemꝰ? Vide, qvæ & qvanta sint, qvæ resurrectionẽ hanc plusqvã suspectã reddant? Primò, plericq; ad alios provocant, qvi viderint, pauci vidisse se testantur. Secundo, viderunt, aliqvi plantas in phialis depictas, non viderunt, unde fuerint suscitatæ? Tertio, non nulli dicunt è cineribus, alii è salibus, rursus alii ex aqvâ è plantis extractâ suscitari. Qvartò, alii referunt, admoto calore in formam suam pristinam redire plantas, remoto in principia sua recidere; alii plantarum species phialis ipsis, qvasi adpictæ essent, etiam apertis imprimi & perdurare. Qvintò, qvidam à Kirchero, à Schotto, aliisqve modum artemqve resuscitandi plantas traditam esse volunt; alii negant. *Utinam*, ait Borellus, *qvi tantum arcanum habent, illud publici juris facerent, cum innumera ad Physicæ emendationem necessaria ab eo dependeant*! Sextò, qvi modum artemqve illam scire creduntur, adeò obscura ejus rei reddunt documenta, ut tam sublimi artificio indigna meritò reputentur.

Qvis enim unqvam apud Kircherum testatur se vidisse; qvod se adspiciente combusserit plantam, qvod cineres phialæ injecerit, se intuente, qvod collum phialæ Hermeticè clauserit, qvod calorem moderatum suppoſuerit, qvod denique planta surrexerit? Nonnulli recensent, vidisse se qvendam floris alicujus colorem, ad latus vitri adhærentem; alii qvid viderint, non amplius meminerunt, hoc tantum recordantur, jactasse Patrem illum, se ex capillis Veneris ejusmodi resurrectionem aliqvando fecisse. Septimò, qvi arti illi, qvantumlibet confusè propositæ, omni nisu, omni studio excolendæ incumbunt, nihil tamen efficiunt, vano conatu laborant, nihil ex cineribus, nihil ex salibus surgit, & ne qvidem ex urticarum lixivio. Octavo alii vix magno negotio hanc resurrectionem conficiunt: aliis ultrò & nihil tale cogitantibus plantæ consurgunt. Nonò, nonnulli imaginem tantum & phantasma vident, alii corpus solidum. *Notandum est*, ait Borellus, *D. de Hardi, celeberrimum Parisiensem Senatorem ac eruditissimum, mihi ostendisse nucis figuram rudem, formatam sponte suâ in oleo nucum coagulato, in patellæ fundo. Dedit mihi Dominus Barbet, peritissimus Chymiæ artista, etiam fæcem quandam, sic in patellâ coagulatam, in quâ plantæ figura percipiebatur, quæ verbenacæ non erat absimilis.* Sed desino tandem, etsi plura sint, qvæ hoc artificium dubitationi non parum reddunt obnoxium.

XXXVII. Hoc tamen unum velim expendi, isthæc si Chymicorum concedantur principia: in

in salibus & cineribus qvorumlibet corporum seminale principium delitescere; Et illud vel arte vel casu sive ad imaginem sui qvandam & speciem producendam, sive multiplicationem corporis sui generativam excitari posse, nihil causæ esse, qvin & alia, isthac hactenus vulgo creditâ plantarum resurrectione longè majora & incredibiliora & veris miraculis haud absimilia, qvæ ex principiis istis elicuerunt Chymici, qvorumqve jam passim experimenta jactare incipiunt, admittantur. Utpote qvod ex cineribus qvarumlibet plantarum, immò & qvorundam animalium, [& qvidni deniqve, si ars incrementa ceperit, ipsorum hominum?] plantæ & animalia, non phantasticæ tantum eorum umbræ, sed corpora vera, animata & solida, fieri facile possint. Borellus, Cent. II. Observ. XXI. *Alii Chymici adhuc rem altius protrahentes è plantæ principiis separatis aliam similem plantam, à qva educta fuerant, in liqvore qvodam realiter producunt intra parvum tempus, sine terrâ, cujus rei testis est oculatus Stephanus Bressiæus, Gratianopolitanus Medicus, Chymicus peritissimus, virq; acie ingenii non vulgari præditus. Scio præterea, multos è sale plantarum in terram projecto easdem se posse producere plantas narrare; inter qvos est Beguinus: & è fimis animalium herbas similes, qvas comederunt, produci, & alios è seminibus lactucarum intra tres horas lactucas produxisse.* Petr. Joann. Faber, Pallad. Chym. p. 10. *Experientia tentare poterit qvivis, si ex calcinato aliqvo mixto vegetante*

getante salem extrahat, purum putum ab omni terrea feculentiâ, defecatus lationibus, filtrationibus & evaporationibus idoneis, donec in igne levissimo velut cera liquescat. Habet enim peculiare illud salomne, ut ad extremam & absolutam purificationem conductum facile fluat. Quod dum evenerit, terræ mandatur sub dio, aliorum seminum instar, statim convocato spiritu mundi, in aire residente, & terra & aqvis, ad generationem rerum omnium, statim putrescit & germinat, simileqve mixtum parit, ex qvo sal ille terræ mandatus extractus est. Mirum certè & qvasi incredibile, sed qvod vidimus & fecimus, facile testari possumus. De animalibus verò iterum Borellus, Cent. IV. Observ. XXXIV. Ab amicis expertis duobus accepi, se cancros fluviatiles calcinatos, restituisse. Si enim eorum cinis in loco humido vel in vase terreo sinatur cum aqva modica, hinc intra viginti dies innumeræ atomi animatæ visuntur, qvæ si sanguine bovino irrorentur, in cancros paulatim commutantur. Sic asserit Rocheus & alii: ardeas in pisces commutari, qvibus nutritæ fuerunt, si una tantum modo specie, in hanc tantum speciem. Sicq; ajunt, anates sub limo in bufones mutari, qvod libenter bufonibus vescantur, qvodq; qvid bufonium & voce & aliis modis referant, adeò ut asserant nonnulli, cum iis coire. Sic latent rerum semina in animalibus ipsis ut aliquando datâ causâ prorumpant. Hæcqve est antiqua Pythagoræ metempsychosis, vel potius metasomatosis. Sic ex excrementis animalium nascuntur iterum plantæ, è qvibus orta sunt. Sicq; patet immortales esse animas, etiam rerum minimarum, nullumque in mundo angu-

angulum esse animis destitutum, ut ex Jamblicho ex doctrinâ Chaldæorum & Assyriorum loqvar. Corporibus enim, seu animarum ergastulis corruptis, avolant per aëra, & sic errant, donec sibi novum aliquod corpꝰ ipsæ progenerent, magneticâ attractione substantiæ sibi necessariæ ad corpꝰ sibi prædestinatum, & juxta suam scientiam sibi architectonicè construendum. Hinc fit, quod in turribus nascantur plantæ & in locis inaccessis & in terris è profundo erutis. In Appendice hujus Centuriæ testatur, D. de Chambulam & D. Grandor hanc cancrorum resurrectionem fecisse. Credat qvi volet, ego hodie credo nihil.

XXXVIII. Sed placet qvoqve lepidam plantarum, bestiarum, hominum, in phialis, qvoad simulachrum sui, excitationem, qvam mirâ verborum suavitate ebuccinat Borellus, audire. Cent. IV. Observ. LXII. *Licet multoties*, ait, *hac de re disserverint, tamen adhuc cramben recoqvere non pigebit, cum nova qvædam de hac re habeam dicenda, cumqve hinc innumera in naturâ admiranda, adhucqve delitescentia, erui posse censeam, immò novam Physicam aliqvando hinc emersuram non dubitem, nullumqve adeò stupendum arcanum post lapidem philosophorum in rerum naturâ esse existimem. . . . . Huic incumbere strenuè decrevi, ut possim tanto arcano admiranda, qvæ seqvuntur, publici juris facere. Cum anima tota sit in qualibet parte, certum est, quod è frustulis fructuum, vel liquorum, vel radicum videbimus in glacie vel umbrâ eorum phantastica integram plantam. Et sic controversiæ authorum de certis plantis dirimentur.*

Sicque

Sicq; poterit, qvicunq; hortum botanicum, phialis inclusum, in cubiculo suo asservare, cum inscriptionibus, adeò ut planta optata qvæcunq; absq; ulla cultura ad placitum sese ostendat, cum propriis coloribus. Spero me rem brevi propalaturum, sed rem imperfectam non adhuc tradere volui, sufficit, ut revelem, qvæ inde emergere possunt, cum arcana ad immensa conscribenda volumina hinc erui possint. Nemo tamen illud videbat. Ego ergo animos stimulo, ut si qvis me potius hæc attingat, mihi gratias agere dignetur, qvod res indigitarim, neqve econtra mihi inventi gloriam, ut aliis fieri solet, eripiat. [Vereor ego, ne hæc tantæ gloriæ expectatio in caducum inclinet parietem] *Neq; solum de plantis cognitis, sed & de incognitis scientiam habebimus, per fructus, semina & frustula, qvæ maris inconstantia ab incognitis deponit ripis, qvæq; in musæis curiosorum asservantur. Et qvod magis mirum, idem de animalibus fiet. Habebis arcam Noë in Musæo, sicq; videbis formas rerum omnium immortales esse; maximum resurrectionis argumentum; & spiritum illum, Archæum q; rerum sibi corpus solidum juxta scientiam suam & prædestinationem concinnare posse, magneticè materiam ab elementis attrahendo, cumqve in aqva illa non habeat crassa elementa, umbratile tamen sibi corpus effingit. Sed qvod omnem admirationem superare debet, id de hominibus fieri poterit, & in phialis licita nigromantia, Patrem, Avum, Atavum, totamq; prosapiam, immò antiqvos Romanos, Hebræos, & qvemcunq; volueris, absq; Pythonissa ad libitum accersetis, cum propriis figuris, modo eorum cineres vel ossa servaveris; aliaqve majora,*

qvæ

quæ adhuc revelanda esse existimo Ingentia promissa, qvæ majora futura sunt, ubi præstiterit, qvod fiet ad Calendas Græcas.

XXXIX. Majora illa, qvæ revelanda adhuc existimat, ea sine dubio sunt, qvibus hominum non tantum imagines & phantasmata, sed corpora hominum & homines ipsi arte chymica, si vel sales eorum vel cineres adsint, produci posse dicuntur. Nam Chymicorum parens, Theophr. Paracelsus, non esse difficilius contendit, ut homo suscitetur, qvam ut ex limo terræ solis virtute vel vermis vel culex vel rana nascatur. Qvi & artem tradit, qvâ veros homines absqve concursu maris & fœminæ procreet, ministerio industria artificis Chymici. *Dubitatum*, inqvit, *fuit à philosophis, num fieri possit, ut extra uterum muliebrem homo nasceretur? Ad qvod ego respondeo, arti chymiæ ac naturæ id non repugnare, sed perfacile esse. Dambra in cucurbitula concluſa vel lutata in equino ventre per dies qvinqvaginta, putrefactione summa putresiat, dum moveatur, qvod facile est cernere. Post id temporis similis qvodammodo fiet onechstinemu, attamen circa corpus pellucida. Hanc deinceps si humano sanguine qvotidie prudenter cibes seu alas & in æqvabili ventris equini calore conserves ac foveas, membris omnibus ornata instar infantis ex muliere nati apparebit, minor tamen qvantitate. Hanc nos rem homunculũ appellamus, qvi postmodũ tanqvam verus puer seu infans accurata sollicitudine ac diligentia educari debet, dum adoleverit. Hoc ex summis miraculum*

culum unum est, adeoq; arcanorum omnium secretum maximum, qvod tamen pigmæis & Gigantibus jam olim fuit cognitum, ut qvi originem hinc acceperint. Oedipus sit oportet, qvi hæc ænigmata vel solvat vel intelligat. Borellus tamen suscitationis humanæ indicia non obscura, ut sibi blanditur, monstrat. *Ut experimentis hæc confirmentur,* ait, *& non solis verbis innitamur, N. de Richier, Saponarius, & Bernhardus Germanus, ex relatu Domini de Gerzan & aliorum, sangvinem humanum Lutetiæ distillantes, qvem veram lapidis sui materiam credebant,* [*& non adeò malè forsan*) *viderunt in cucurbita phantasma humanum, è qvo sangvinei radii prosilire videbantur, & rupto vase invenerunt tanqvam cranium humanum in fæcibus. Eandem refert ferè historiam Eqves Anglus, Fludd, de qvodum La Pierre vocato, qvi mugitum ingentem audivit, qvo hospites ejus perterriti fuerunt, & phantasma vidit humanum. Ajunt enim hæc accidere tum cum sanguis petitus est à viro, qvi mortuus est; à capite truncato enim carnificis manu sanguinem habuisse ferebatur; hinc q; qvidam concludunt, in sanguine animam residere, juxta antiqvorum doctrinam, immò & Hebræorum, qvi ideò à sanguine abstinebant. Fuerunt enim tres curiosi, qui terram S. Innocentii, id est loci, innumeris corporibus mortuorum pleni, Lutetiæ etiam pro verâ acceperunt Alchymiæ materia & phantasmata etiam in phialis perceperunt, à qvibus non parum perterriti fuerunt. Hinc fit, qvod à sole elevata hæc à terra phantasmata utplurimum in cœmeteriis videantur, qvæ pro Diabolis habentur, cum tamen naturali-*

ter

ter erumpant. Sic Albertus Magnus figuras è terrâ olim evocabat. Ita ille. Qvibus, ut & aliis hujus auctoris, *qvæ fides sit habenda, alii judicent;* ait accuratisſimus Scriptor Phyſicæ Gothanæ, lib. V. c. II. ſ. f.

XL. Qvod ſi hæc tanta prodigia vera eſſent, utiqve pro reſurrectionis poſſibilitate, perinde ut ex Mercurii exemplo, qvi utcunqve per aqvas fortes vel regias corroſus, utcunqve arte chymicâ in pulveris, olei, liqvoris formam redactus, ſemper tamen in priſtinam naturam reduci poteſt, tale argumentum depromi poſſet: ſi in cineribus hominis putrefacti & abſumpti principium tamen ejus ſeminale ita manet, ut aliqvando ſolis naturæ viribus illi priori formæ, vel ſolidæ vel qvalicunqve reſtitui poſſint; qvanto magis fieri hoc poterit à Deo, qvi naturam in tantum ſuperat, in qvantum infinitum finito præcellit? Nec alium laboribus ſuis finem præſtiturum eſſe videri volunt Chymiſtæ: *hæc ſunt*, inqvit Borellus, *initia & rudimenta reſurrectionis & renovationis ac regenerationis rerum.* Sed non obſcura in qvamplurimis ſunt indicia, id potius omni eo naturæ curioſorum conatu, qvantumlibet tam vano, tam irrito, tam ſucci omnis ſolidiqve fundamenti experte, agi, id qværi, ut qvicqvid ſacratiſſimarum literarum auctoritate miraculoſum eſſe, ſoliqve Deo convenire hactenus creditum eſt, id naturæ, naturalibusqve viribus, qvamqvam inter cætera myſteria ſo-

lis adhuc Chymicis exploratis cognitisqve, in solidum transcribant atqve hac tam suavi, tam lubricâ viâ in Atheismi barathrum præcipites agant. In qvos ideò hoc nomine non injuria plenis pietate zeloqve verbis invehitur doctissimus Theoph. Spizelius, de Atheism. Rad. p. 53. s. cum inqvit: *Eodem stigmate haud immeritò notandi sunt qvidam Chymicorum filii, qvi sub Chymiæ larva imponendi artem profitentur, ac licet præclaram pietatem simulent, plerumq; (viro qvodam egregio teste) nullius sunt, vel sanè tepidæ & pro loci natura flectendæ, aut Patrono accomodandæ religionis. . . . . Habet enim, ut nonnemo eleganter scribit, Pseudochemia suam velut peculiarem religionem. Nam qvia philosophiam omnem sive reformavit, sive perfecit, hoc etiam generosi addit, ut cum Theologia combinaret & res sacras profanis profana sacris exprimeret. Hac eleganti harmonia, qvicqvid volunt, absurdi adstruunt & de Deo, angelis & miraculis, de resurrectione mirificè argutantur, tantò licentiosius, qvanto verbi Divini consensu nihil opus habent, sed dixisse vel somniasse inter credulos suos abundè sufficit. Nam qvi hoc impetrarunt, ut credantur interno lumine splendescere, illis facillimum est, suum illum hiantem gregem verbis insolitis pascere, cui hoc unum plausibile, credere incredibilia, scire incerta, affirmare paradoxa, jactare q; impossibilia, tantaq; obsequii est promptitudo, ut uno mense ab uno impostore plus persuasum, qvam à Christo multis annis impetratum, aut ministris ejus creditum liqvido deprehensum sit.*

XLI. Qvale itaqve ex plantarum palingene-

genesia pro mortuorum resurrectione præsidium peti possit, ex dictis satis innotescit. Qvæ de cætero ex naturæ arcanis pro resurrectione carnis passim depromuntur argumenta, partim imagines ejus qvasdam & vestigia tantum esse deprehendimus, partim ita incerto lubricoqve inniti fundamento, ut citra periculum contra cordatum adversarium allegari haud possint aut defendi. Qvæ enim, ut ex infinitis unum adducamus, conseqvendi vis est, cum ex vicissitudine hiemis atqve æstatis, noctis atqve diei, tenebrarum & lucis, visura esse corpora nostra post longam mortis hiemem, post diuturnam ereptæ vitæ noctem & sepulchrorum nostrorum tenebras, novæ vitæ lucem, argutamur? Lusus hic est certè ingenii, futuram resurrectionem qvodammodo adumbrantis, non serii certaminis conflictus, Minucius Felix. in Octav. p. 328. *Vide adeò, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur? Sol demergit & nascitur, astra labuntur & redeunt, flores occidunt & reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in seculo, ut arbores in hiberno occultant virorem, ariditate mentita. Qvid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat & redeat? Expectandum nobis etiam corporis ver est.* Chrysologus, in Symb. Apost. Serm. LIX. *Dies sepelitur & redit, sol occidit & resurgit, menses, anni, tempora, fructus, semina, cum transeunt, ipsa moriuntur, cũ redeunt, suâ ipsâ morte reviviscunt, & ut resurre-*

turum te jugi & vernaculo instruaris exemplo, quotidie dormis & vigilas, toties moreris & resurgis. Quam acutè! Quam eleganter! Epiphanius, Hær. LXIV. *Atque gentiles quidem creatæ res omnes palam coarguunt, quæ quotidie speciem quandam resurrectionis ostendunt. Nam & dies occidit & mortuorũ adumbrat interitum, dum soporem hominibus indicit; & eadem rursus exoritur atq; à somno nos excitat, itaq; resurrectionis indicium demonstrat..... Quid? quod in decem manuum ac pedum ungvibus resurrectionem nobis Deus quodammodo obsignat ac spei nostræ evidenti testimonio suffragatur. Quin & ipsa capillorum corona eandem resurrectionem prædicat. Etenim quæ corporis pars in nobis mortua videtur, hoc est, pili quotidie detonsi atq; iterum pullulantes, spem nobis resurrectionis ostendunt.* Gregorius M. lib. XIV. Mor. *Tenebræ imago quædam sunt mortis. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris ea, quæ adspiciebatur, subtrahitur & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte, reparatur.* Quam in sententiam Joh. Wowerius & Gev. Elmenhorstius ad Minucii locum Theophilum, Justinum, Cydonium, Athenagoram, Tertullianum, Theodoretum, Theophilum, Autolycum, Prudentium, Symmachum, Macarium, Olympiodorum, Ambrosium, Nilum, Chrysostomum, expressis locis allegant. Sed de his aliisque eloquentiam quemque suam malu-

malumus pro suggestu qvam pro cathedrâ experiri.

XLII. Fabulam autem verius, qvam historiam redolent, qvæ de Phœnice, Arabicâ ave, produntur. Qvamqvam enim pleriqve, qvi de resurrectione scripserunt, Patres, inprimis omnium vetustissimus & Apostolorum auditor, Clemens, Romanorum Episcopus, in memorabili illa ad Corinthios Epistola, qvam Patr. Junius, vir doctissimus, nostro primum seculo in lucem produxit & Apostolica viri auctoritate inductus, qvem fabella religionis Christianæ veritatem comprobare haud posse credidit, existere revera Phœnicem, post tam luculentos aliorum, contrarium probantium, labores docuit, in argumentum resurrectionis hanc avem laudaverint, multis tamen magnisqve constat indiciis, qvicqvid ejus rei narratum unqvam fuit, ἀινιγματολογίαν potius, qvam historiam, fuisse. Id qvod nuper admodum eâ diligentia, eâqve eruditione, Exercit. de Stoica mundi Exust. Diss. IX. comprobavit *Jac. Thomasius*, ut ne dubium qvidem literatis ullum supereſſe possit. Qvo tamen ipso de auctoritate Clementi Romano, [si qvidem is certò auctor est, ut post Junium & eos, qvorum ipse suffragia libro præfixit, in iteratis editionibus prolixa opera contendunt *Joach. Maderus* & *Zacharias Hogelius*, sententiam verò in Programm. Acad. XII. suspendit *J. H. Bæclerus*] nihil decedere existimandum est,

cum neceſſe non ſit, *credere, Clementem ſciviſſe omnia, qvæ facerent ad arcana naturæ*, ut rectè judicat G. J. Voſſius, lib. III. Phyſ. Chr. cap. XCIX. diſputaritqve S. Martyr adverſus eos, qvi à ſacerdotibus ſuis perſuaſi, ut pleriqve in oriente tum fuerant, vera eſſe, qvæ de ave illa referebantur, crediderunt. Hoc tamen Phœnix, qvantumlibet fabuloſus, nobis argumentum præbet, fieri non tantum poſſe, ſed ex gentilium qvoqve ſententia poſt exactum magnum mundi annum futurum eſſe, ut mundus igne conflagret, ex cineribus autem mundi mundus novus, & vel iidem qvi antea fuerant, vel ſimiles homines, exſurgant; ſi verum eſt, Phœnicem à veteribus ideò excogitatum, ut imago eſſet mundi, qvæ non unitatem ipſius tantum, durationemqve longam, ſed & circulos per vitæ mortisqve vices exprimeret perpetuos; ut argumentis eqvidem non contemnendis oſtendit Thomaſius. De qvâ verò ἀποκαταστάσει gentilium πολυχρονίῳ infra amplius dicemus.

XLIII. A vero autem longius abeſſe, qvæ de Pelecano traduntur, neminem dubitare arbitror. Monuit jam olim, ne his fabulis aliis illudamus, gravisſimus Theologus, *Wolf. Franzius*, Part. II. Hiſt. An. c. IV. Neqve verò, ſi qvid iſthæc relatio veriſimile haberet, noſtræ ex cineribus reſurrectioni confirmandæ adeò faceret. Qvod & de bobyce, pulcher-

rimo

rimo certè & incomparabili naturæ miraculo, dicendum esse, qvi rem altius in animum suum intromiserit, ultrò deprehendet.

XLIV. Qvare ad tertium atqve ultimum possibili resurrectioni firmandæ argumentum accedimus, Paganorum nempe de istâ sive persuasionem, sive testificationem. Qvæ cum partim exempla nobis resurgentium, partim futuræ resurrectionis philosophicam atqve dogmaticam traditionem repræsentet, de utroqve separatis locis nobis erit agendum.

XLV. Vir igitur eruditionis stupendæ famâ illustris, Hugo Grotius, lib. II. de Verit. Rel. Christ. cap. VII. ostensurus, gentilibus absurdum immeritò videri, qvod Servator noster vitam receperit: *cæterum*, inqvit, *ut mortuo vita reddi possit, præsertim per ejus efficaciam, qvi vitam primum homini dedit, cur pro impossibili habeatur, nihil causæ est. Neqve verò viri sapientes id impossibile crediderunt: cum Eri Armenio id evenisse scripserit Plato, mulieri cuidam Heraclides Ponticus, Aristæo Herodotus, alii Plutarchus. Qvæ sive vera sive falsa sunt, ostendunt opinionem eruditorum de eâ re, tantum possibili.* Eundem simili sententiâ præivit Ludov. Vives, lib. II. de Verit. Rel. Chr. c. XXI. p. 357. *Atqve*, inqvit, *redditos vitæ permultos, ex Christianis annalibus constat. Hos non admittunt, admittamus nos suos ipsorum. Prætereo fabulas, ut Calisthonis filium in vitam esse reductum à Jove, tum etiam Pelopem, Alcestem ab Hercule, ab Æsculapio multos, velut Hippolytum, qvi dictus est*

Viribus, Glaucum Minois filium & Pollucem Tyndaridem. Sed Plato Herum quendam Pamphylium revixisse ait, in extremo de Republicâ. Idem Plato ex disciplinâ Pythagoricâ μετεμψύχωσιν ponit, genus qvoddam resurrectionis. Theopompus scribit, Zoroastris fuisse opinionem, omnes aliqvando reversuros in vitam. Plinius in lucem rediisse tradit plurimos, qvorum duo exempla subjecisse sufficerit - - - Non disputo de horum veritate, satis est, his exemplis non oportere videri impossibile. Et gentiles qvidem quum illa dicebant, nemo commovebatur, nos quum dicimus, non possumus ferri. Plinius, qvæ referat exempla, suo loco recensebimus.

XLVI. Sententiam eqvidem eruditorum de surrectione, tanqvam posſibili, agnosco, qvam ex præcipuis eorum monumentis in alterâ hujus disputationis parte demonstratum ibo qvosdam etiam, è plebe inprimis, persvasos fuisse, qvod illi, qvi à Grotio allegantur, aut alii etiam revera è mortuis surrexerint, non nego: sed eruditorum atqve sapientiorum de his exemplis eam opinionem fuisse, ut hos tales surrexisse à mortuis, non simulata fide crediderint, de eo non exigui momenti argumenta sunt, ut dubitemus.

XLVII. De Ere, Armenio, hæc refert Plato, ex qvo cæteri, qvicunqve ejus meminerunt transscripsere, Marsilio Ficino interprete, libr. X. f. f. *Eqvidem tibi non Alcyni apologum, sed præstantissimi viri,* (in græco pulchrè παρονομάζει: ἐκ ἀλκίνου ἀλλ' ἀλκίμου) *Eri Armenii, genere Pamphylii, rese-*

reſerabo. Qvi, qvum occubuiſſet in prælio, ſublatis decimo die cadaveribus, cæteris jam corruptis, integer qvidẽ incorrupto corpore repertus fuit, domumq; delatus, ut ſepeliretur, duodecimo jam ab obitu die, dum pyræ impoſitus eſſet, ἀνεβίω, revixit & qvæ interim viderat, retulit. Et poſt illa: *Qvomodo autem in corpus redierit, ignorare ſe narravit, ſed cum diluculo ſubitò circumſpiceret, ſeipſum pyræ impoſitum animadvertiſſe.* Valerius M. lib. I. cap. VI. exemplo extern. I. Erum; Plato verò Plutarchus & Macrobius, notante *Jac. Gronovio*, ἦρα, rectius legunt, cum Aſiaticum ſit nomen, qvod aliqvoties in Sacris occurrit; ערי, *Eri*, Gen. XXVI. v. 16. Plutarchus etiam cognomen Ἀρμενίου, non nationis, ſed gentis eſſe declara.: ἦρα Ἀρμονίου πατρὸς; qvem ſeqvitur Clemens Alexandrinus, lib. V. Strom. qvi & alio nomine Zoroaſtrum eundem appellatum teſtatur, qvippe è qvo iſthæc adducit verba: τάδε συνέγραψε Ζωροάστρης ὁ Ἀρμενίου, τὸ γένος Πάμφυλος, ἐν πολέμῳ τελευτήσας, ἐν ᾅδου γενόμενος ἐδάην παρὰ θεῶν. Neqve tamen conſtat, qvis Er ille, qvis Armenius, [nam & abſolutè ita vocat Clemens Alex. lib. eodem V. Strom.] qvis Zoroaſter fuerit, qvoqve tempore vixerit, cum unus illius meminerit Plato, qvem cæteri præter Clementem, qvi tamen ſibi non usqveqvaqve conſtat, & qvæ de Zoroaſtre adjicit, cum hoc nomine plures fuerint, interqve eos unus ſcriptis & ſapientia celebris, Perſa, Magorum Princeps, apud Diog. Laert. in Proœm. & Plin. l. VII, c. XV

æqve dubia sunt, atqve suspecta, simpliciter sequuntur.

XLVIII. Poterant Ecclesiastici Scriptores, qvi Religionis Christianæ vindicias adversus Paganos instituerunt, ceu fecere Justinus, vel qvivis alius in Protreptico, Clemens Al. l. all. Origenes, libr. II. contr. Cels. Eusebius, libr. XI. de Præp. Ev. c. XXXV. [qvibus à Grotio notatis addimus Cyrillum Alexand. libr. VII. contr. Julian. & ex indice diligentissimi Fr. Sylburgii ad Clem. Al. Theodoretum, libris de curandis Græcorum Affectionibus;] hoc exemplum, licet fictum falsumqve, ut agnoscit ad Platonem Seb. Foxius & Christiani sine dubio omnes, optimo tamen jure gentilibus, resurrectionem nostram tanqvam impossibilem cavillantibus, opponere, partim, qvia vulgo credebatur, ob auctoritatem referentis, Divini nempe Platonis: partim qvia nec Plato conseqventer poterat exempli veritatem inficiari, qvippe qvi præmia virtutum & pœnas vitiorum, post hanc vitam expectandas, non alio argumento Glauconi, qvam ista revivisscentis Eri relatione, verisimiles reddiderat. Qvamqvam enim Macrobius, lib. I. in Somn. Scip. c. II. *non omnibus fabulis Philosophiam repugnare, sed rerum sacrarum enunciationem integrâ sui dignitate tegi qvandoqve his nominibus, seu sub pio figmentarum velamine honestè vestiri*, haud ineptè demonstret, qvod & Platonem facere potuisse, facile largimur; non tamen

tamen poterat per id, qvod merè fabulosum erat, res Divinas atqve de cætero occultas, dubitanti, aut certe, ut Glauco introducitur, ignoranti comprobare. Qvam ob rem Colloti Epicureo, qvem odio sectæ *famosiorem & loqvacitate notabiliorem* vocat, non satisfacit Macrobius, qvi Platoni objecerat: *à Philosopho fabulam non oportuisse confingi, qvoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inqvit, si rerum cœlestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti non simplici & absolutâ hoc insinuatione curatum est, sed qvæsita persona, casus, excogitata novitas & compositi advocata scena figmenti ipsam qværendi veri januam mendacio polluerunt?*

XLIV. Cæterum Plato ipse hanc de Ere relationem ἀπόλογον vocat, tecta certè & Glaucoui haud observata, loqvendi ratione: ὃ μέντοι σοὶ Ἀλκίνους γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μέν ἀνδρὸς, ἤρου. Apologum vero fabulæ speciem esse nemo ignorat. Plutarchus autem libr. IX. Symp. Prob. VII.. non minori suspicione parentem ei Harmonium, [qvem tamen Clemens Alex. integris literis Ἁρμένιον vocat] ideò tribuere videtur, ut qvæ de Harmonia animarum atqve corporum Platonicus Er retulerat rectius qvadrarent. *Prædicabat enim*, ait, ὅτι γεννῶνται μὲν αἱ ψυχαὶ κατ' ἁρμονίαν, καὶ συναρμόττονται τοῖς σώμασι *qvod* finita præsenti vita per μετεμψύχωσιν, *generentur animæ secundum harmoniam*, h. e. consensum illarum qvalitatum, qvi-

qvibus in præcedenti vita præditæ erant, qvemadmodum ex. gr. Therſitis anima ſimiam, Agamemmonis aqvilam, Orphei cygnum induit, *& ita corporibus copulentur.* Omnium verò luculentiſſime rem totam prodit Macrobius, initio commentariorum in ſomnium Scipionis; Ubi oſtendit, *commento tali*, qvali & uſus ſit ſomnientem inducens Scipionem, Tullius, opus eſſe iis, qvi in ſermone de Reip. inſtitutione propoſito, infundere animis juſtitiæ amorem connitantur. *Ad hoc enim nihil æquè patrocinari, quam ſi fructus ejus non videretur cum vita hominis terminari, hunc verò ſuperſtitem durare poſt hominem non poſſe oſtendi, niſi prius de animæ immortalitate conſtet. Fide autem facta perpetuitatis animarum, conſeqvens eſſe, ut certa illis loca, nexu corporis abſolutis, pro contemplatu probi improbive meriti deputata ſint,* Hunc igitur ordinem & obſervaſſe Platonem, qvi poſtqvam in omni reip. negotio palmam juſtitiæ diſputando dederit, *ſacras immortalium animarum ſedes & cœleſtium arcana regionum in ipſo connſummati operis faſtigio locarit, indicans, qvo his perveniendum, vel potius revertendum ſit, qvi remp. cum prudentia, juſtitia, fortitudine ac moderatione tractaverint.* Atqve hoc Platonicum illum ſecretorum relatorem, *qvi vitam effudiſſe viſus, ſubitò ſeu recepta ſeu retenta anima,* [manſerat enim inter cæteros unà peremptos per duodecim dies, qvod vitæ indicium erat, incorruptus] *qvidqvid emenſis inter utramqve vitam diebus egerat videratve, tanqvam publi-*

publicum professus indicium, humano genere enunci-avisse. Per fabulam igitur Erem à Platone in Theatrum productum disputat Macrobius, qvo pacto & somniantem præsentavit Scipionem Tullius, qvos dum comparat, ingeniosa hac κρίσει concludit: *Hanc fabulam*, de Ere, *Cicero, licet ab indoctis, qvasi ipse veri conscius*, [hoc vult Macrobius: fingere Ciceronem, qvasi vera esset de Ere Historia, ab indoctis tamen explosa, qvam tamen veram esse non crederet ipse, velletqve nihilominus persuasam omnibus, ut eò altiores ubiqve opinio de virtutis in alterâ vitâ præmiis ageret radices] *doleat irrisum, exemplum tamen stolidæ reprehensionis vitans excitari narraturum, qvam revivisceremaluit.*

L. De fœmina septem diebus exanimi ad vitam revocatâ, adeò obscura relatio est, ut ipsa historia rei ubiqve hiet & qvicqvid ejus deniqve est, meris figmentis annumeraverint è Paganis sapientiores. Plinius, lib. VII. c. LII. ubi plurima recensèt eorum exempla, qvi elati revixerunt, ita habet: *Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, septem diebus fœminæ exanimis ad vitam revocatæ.* De isto verò volumine haud alia extat memoria, qvam apud Diogenem Laërtium, principio Libri I. & Libr. IIX. in Empedocle, ubi argumentum ejus describitur tale: Ἡρακλείδης μὲν γὰρ τὰ περὶ τῆς ἅπνυ διηγησάμενος, ὡς ἐδοξάσθη Ἐμπεδοκλῆς, ἀποσείλας τὴν νεκρὰν ἄνθρωπον ζῶσαν. Qvem locum

cum in editione Menagii versio Aldobrandina convertit: *Heraclides explanator eorum, quæ de carente spiritu tradita sunt, posteaquam Empedocles, fœminà mortua ad vitam revocata, summam gloriam esset consecutus.* Et postea: τὴν γᾶν ἄπνευσ᾽ Ἡράκλειτος, [monet Is. Casaubonus, legendum esse: Ἡρακλείδης, quippe cujus jam supra facta fuerat mentio, confirmatque Cicero, lib. V. Tusc. Quæst. cap. VIII. annotante ibi Dion. Godofredo] Φησὶ τοιοῦτόν τι εἶναι, ὡς τριάκοντα ἡμέρας συντηρεῖν ἄπνευν καὶ ἄσηπτον τὸ σῶμα: id est, transferente Fr. Ambrosio: *ἄπνευ igitur Heraclitus tale quiddam esse ait, quod triginta dies corpus absque strepitu integrum incorruptumq; servaret.* Vox ἄσηπτον crucem fixit criticis, quibusdam cum Hieron. Mercuriali ex Galeni VI. de Loc. Aff. legentibus: ἄσφυκτον; Nam ἀσφυκτεῖν Dioscoro est vel pulsu esse admodum languido vel nullum prorsus venarum pulsum reddere: quibusdam ἄσηπτον quod est incorruptum atque à putredine alienum; aliis denique, quod nec Casaubono displicet: ἄσιτον, id est, impastum & ab omni cibo abstinens. Sensus tamen loci facilis est, quomodocunque legatur. Hoc enim vult, traditum esse ab Heraclide & ex principiis medicis demonstratum, posse corpus sine motu, sine pulsu, sine corruptione, sine cibo potuque ad usque triginta dies conservari. Dum verò Diogenem cum Plinio conferimus, id simul observamus, non adversari, ut Grotius existimat, ab Heraclide exanimem fœminam post intervallum

vallum septem dierum ad vitam revocatam esse; & tamen ab eodem Heraclide tradi, qvod per triginta dies corpus absqve respiratione incorruptum posit præstari & exactis illis operationibus pristinis iterum restitui. Qvemadmodum non repugnat, methodum esse, qvâ convulsioni triduanæ mederi qveas, ut tamen eodem artificio & biduanæ tollantur. Neqve enim Diogenes ullibi fœminam triginta dierum exanimem resuscitatam esse profitetur: qvamqvam ex Heraclide referat, Empedoclem ex eo, *qvod mulierem defunctam*, sine ulla temporis designatione, *vivam dimisisset*, magnam gloriam adeptum fuisse. Hanc enim de cætero artem & Philosophum & Medicum & Vatem & Deum deniqve, Empedoclem, [his enim stolidus atqve superbus homo se titulis venditarat] docuisse, ex poemate constat, in qvo pharmacum laudat, inter cujus virtutes atqve miracula est,

Ἄξειν ἐξαίδαο καταφθιμένους μένος ἀνδρός;

Extinctos homines nigro revocarier orco.

LI. Prodi autem se fabula duplici indicio. Ἄπνευ enim, ut ex omnibus circumstantiis palam est, symptoma est affectus muliebris, qvi medicis πνίξ ὑστερικὴ *suffocatio uterina* appellatur, eò qvod uteri vitio, uteroqve causam suppeditante, fœminæ suffocari & qvasi strangulari videantur. Unde & *hodie à nonnullis* ἄπνοιαν *nominari qvod respiratio cumprimis lædatur*,

datur, auctor est eximius Medicus, Dan. Sennertus, lib. IV. Pract. Med. Part. II. Sect. III. cap. IV. Nec dubitare hac de re nos sinit Plinius, qvi qvum allegato loco recensuisset, multos, qvi mortui videbantur, post aliqvot dies, qvasi resumptâ animâ ad se rediisse, hanc ἐπίκρισιν addit: *Fœminarum sexus huic malo*, [Jacobus Dalechampius, Medicus Cadomensis, annotat: ἀπνοία, spiritus ac animæ interceptioni ac privationi] *videtur maximè oportunus, conversione vulvæ, quæ, si corrigatur, spiritus restituitur.* Qvibus verbis subjicit: pertinere huc Heraclidis Apnon. Qvid igitur ἡ ἄπνȣν Heraclidis aliud fuit, qvam descriptio passionis ilius hystericæ, qvâ demonstravit fieri posse, ut spiritus, [voce non pro ipsa anima, sed respiratione accepta] in muliere πνιγμένη ita intercludatur, ut ad trigesimum usqve diem aliqvando sine motu & vitæ indicio durare & iis exactis ex somno demum velut qveat excitari? Clarius Galenus, qvi & ipse Heraclidis ἄπνȣν citra dubium vidit, legitqve, libr. VI. de Loc. aff. §. V. ἡ μὲν ȣ̃ν πρώτη λελεγμένη διαφορὰ τὸ κατὰ τȣ̃ ποντικȣ̃ Ἡρακλείδȣ γεγραμμένον βιβλίον ἀπορίαν ἔχει πολλὴν, ὅπως γίγνεται, λέγεται γαρ ἄπνȣς τε καὶ ἄσφυκτος ἐκείνη ἡ ἄνθρωπος γεγονέναι, τῶν νεκρῶν ἑνὶ μονον διαλλάττȣσα, τὸ βραχεῖαν ἔχειν θερμότητα κατὰ τὰ μέσα μέρη τȣ̃ σώματος. Ἐπιγέγραπται ȣ̃ν τό βιβλιὸν ἄπνȣς ἡρακλείδȣ; καὶ ζήτησιν ἔφη γεγονέναι τοῖς παρȣ̃σιν ἰατροῖς, εἰ μὴπω τεθνηκεν. Qvæ latinus interpres ita red-

reddidit: *igitur prima ſpecies, cujus Heraclides Ponticus in ſuo Commentario fecit mentionem, multam exhibet de ortu ſuo ambiguitatem. Ait enim, ſub hac ſpecie neq; pulſum neq; ſpirationem mulieris deprehendi potuiſſe, atq; ob id duntaxat non viſam eſſe mortuam, quod exiguum in mediis corporis partibus calorem haberet. Eſt autem libri titulus: ἄπνους, id eſt, non ſpirans Heraclidæ. Ac aſtantes qvoqve medicos quæſiviſſe ait, an nondum eſſet mortua?* Qvid evidentius eſt, qvam ἄπνουν Heraclidis non fuiſſe artem reſuſcitandi mortuos, ſed conſervandi in vita eos, qvi vitæ actibus ſecundis, inprimis reſpiratione ſpoliati morti proximi fuerant, ut vix à medicis internoſci poſſet, utrum viverent, nec ne? Qvi à mortuis, qvantum ad externa indicia, non aliter differebant, qvam qvod calorem, qvi in defunctis prorſus exulat, in mediis corporis partibus retinerent? Erat igitur Heraclidis liber demonſtratio, qvâ oſtendebatur, fieri poſſe, ut mulier hyſtericâ, ut hodie vocant, paſſione affectâ, licet non reſpiraret, viveret tamen, incp vitâ illâ, qvantumvis ſuppreſsâ, medicâ curâ, non ad duos tantum aut tres, ſed tringinta uſqve dies conſervaretur. Qvamqvam Medici Heraclide poſteriores nihilominus ſpiritus aliqvid in ejuſmodi mulieribus, qvamvis iſte non appareat, agnoſcant. Qva de re Galenus verbis à nobis citatis ſubjicit: *In confeſſo eſt, & ſpirationem à vita & vitam à ſpiratione ſeparari non poſ-*

se adeo, ut viventem non spirare & spirantem non vivere sit impossibile. At q. hæc quæstio quoq. superiore difficilior videtur. Non est tamen perinde difficilis. Quippe facile sustinebitur, si latebris inclusa animalia consideres, nulla apparente in ipsis spirationis notâ. Hos enim ubi cognoveris, hujusmodiq. animalia frigida esse perspexeris, atque tibi demonstrandum erit, quod maximus respirationis usus est, ut intimus calor & refrigeratione & ventilatione servetur, haud ita difficile fuerit perpendere, exiguum illum calorem in ipsis derelictarum arteriarum, cordisque beneficio conservari. Quæ actio à quibusdam Medicis perspiratio, veluti ea, quæ à thoracis pulmonisq. officio prodit, respiratio vocatur. Itaque in uteri suffocatione, quoniam universum corpus refrigeratur, fieri potest, ut nulla ab ore prodeat spiratio, quamquam ea, quæ in arteriis fit, nequaquam intercipiatur. Quin & adeo potest esse exigua, ut sensum omnino effugiat.

Lll. Doceor eqvidem clarissimorum Medicorum auctoritate, ratione & exemplis constare, qvod ad tertium usqve diem, nec facile ulterius ἡ ἄπνοια mulieris ex utero strangulatæ possit perdurare. *Petrus Forestus* enim, primus in Academia Lugduno Batava Medicinæ Professor in Observat. Med. lib. X. Obs. LXXIX. ex Conciliatore, Petro Apono, demonstrat, præfocatas mulieres

res ante ſeptuaginta & duas horas non eſſe ſepeliendas, qvia intra hoc tempus humores omnes motum ſuum in humano corpore compleant, adeoq; hoc morbo affectæ reviviſcere poſſint. Qvod & Paſchalius urget, apud *Schenkium*, Obſerv. Lib. I. p. 94. Sed incerta ratio eſt, neq; ab omnibus conceſſa. Experientia tamen conſtat, ſine reſpiratione mulieres præfocatas non facile ſupra tertium diem vixiſſe. Foreſtus in Gallia mulierem, ex uteri ſuffocatione pro mortua habitam, cum viginti qvatuor horis integris vita ſine ſpiritus indicio latuiſſet, ſanitati reſtituit; *magno cum meo honore*, inqvit, *tempore juventutis, primo anno, cum praxin ibidem exercerem*. Puellam qvandam Ferrarienſem poſt trium dierum ſpacium ex inferis revixiſſe, Amatus narrat, apud Nymannum, De Apoplex. cap. XXXI. Ambroſius vero Paræus, lib. XXIII, c. XLVI. refert, Veſalio, Anatomicæ commentationis jacentis & prope neglectæ Parenti ac reſtauratori accidiſſe, ut cum in Hiſpaniam ad nobilem fœminam, qvæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam vocaretur, illa ad ſecundam adactæ novaculæ impresſionem derepente ad ſe redierit, & artuum, corporisqve, qvod pro cadavere habebatur, motu ac clamore vitæ adhuc ſuperſtitis ſigna ederit, Qvæ res circumſtantes amicos in tantam admirationem horroremqve rapuerit, ſic primæ & melioris notæ medicum illum infamem, odioſum & inteſtabilem reddiderit, ut parum abfuerit, qvin unguibus omnium è

vestigio discerperetur & laniaretur. Qvare & fuga invidiæ sese subtraxerit, non multo post mœstitia confectus. Qvamqvam Andreas Dudithius, in Epistol. Craton. lib. III. Ep. XXXI. neqve unqvam exulem fuisse Vesalium, neq; eam, qvam Paræus innuar, suscepta ad Christi sepulchrum profectionis causam, sed religiosum votum extitisse scribat. *Talia exempla*, ait Nymannus, *cum passim obvia sint, Genevæ & aliis in locis magistratus neminem sepeliri permittunt, nisi prius à perito qvodã Medico, ad hoc opus conducto, cadaver inspectum exploratumq; fuerit, hocce revera mortuum sit, necne? Et olim apud Judæos & alios populos: testibus Raschi, Lev. Lemnio, Horat. Angenio & aliis, lege cautum erat, ne libitinarii & vespillones ullum apoplecticum comitiatem, præfocatam, vel alios subito extinctos, præpropere loculo includerent, eosq; nonnisi post triduum elapsis septuaginta duabus horis sepelirent, cum in illis nonnunquam delitescat anima, qua rursus corpus spiritu vivifico imbuere queat.*

LIII. Sunt tamen nihilominus exempla earum, qvæ supra dies tres vitam ἐν ἀπνοίᾳ illa duxerunt. Nam R. Moses ex libro Galeni, qvem Patriarcha transtulit, mulieri accidisse ex matricis suffocatione scribit, ut sex continuis diebus ea sine sensu & motu, arteriis etiam induratis, tumulanda jacuerit & denuo revaluerit, ut ex Georgio

orgio Pictorio refert, lib. IV. Obſerv. p. 706. Schenkius. Qvo pertinent auditi freqventer poſt aliqvot à ſepultura dies è ſepulchris pulſus, qvi qvamqvam vulgo pro ſpectris habeantur, non deſunt tamen doctiſſimi Medici, qvi eos argumentum eſſe doceant, vitæ in demortuis atq; ſepultis ſuperſtitis. Unde & ſvadent aperienda eſſe ſepulchra & ſuccurrendum miſeris, cum nonnullos ex loculis iterum ſuis prodiiſſe, alios in iisdem, evulſis comis, dilaniatoqve ungve pectore, ſi aperirentur, inventos eſſe hiſtoriæ prodant. Qvalia exempla plurima cum aliis obſervationibus ſuggeſta mihi ſunt à curioſiſſimo, excellentiſſimoq; Medico, *D. Jo. Wolf. Mœglingio* qvi & de his pulſibus data opera ſcripſiſſe, *D. Fabrum*, Archiatrum Heilbronnenſem, virum doctiſſimum, in Obſervationibus Medico-Chymico-Mathematicis, me ſubmonuit. Qvod ſi Heraclides ſive in hac muliebri, ſive in qvacunq; alia per vim morbi malignam atq; narcoticam conciliata συνκοπὴ & deliqvio, corpus ad plures tribus aut octo, etiam triginta dies, integrum ſervari poſſe docuit, citra animam tamen corpori inhabitantem, licet operationibus ſuis & inprimis ſpiratione deſtitutam, hoc fieri ſecuudum ipſum potuiſſe, nullo idoneo argumento patet. Corpus verò integrum incorruptumq; poſt triceſimum diem vitæ actui ſecundo, aliqvamdiu intercluſo, qvamqvam anima corpori inexiſtente atq; ab omni motu qvieſcente, reddi, qva ratione ſine dubio Plinius fœminam examinem ad vi-

tam revocatam esse intelligit, non est, nisi ἀκύρως & impropriè reviviscere. Hoc enim pacto & hirundines & scarabæos, aliaq; insecta, qvæ per hyemem integram vel terra vel aqva, nullo prorsus cibo, nullo motu utentia, texerat, ad vernum calorem vitæ restitui, qvotidie videmus.

LIV. Sed ponamus, Heraclidem atq; Plinium de vera propriecq; dicta morte sermonem instituere, è qva ad vitam janua qvibusdam aperta fuerit, nondum tamen exinde conseqvitur, sapientiorum è Paganis hanc opinionem, qvod revera revixerint, fuisse. Heraclides enim, qvod & Empedocles fecit, magnarum rerum & incredibilium scientiam, qvas fieri posse nec crederent ipsi, ideo sibi arrogarunt, ut admirandi vulgo haberentur, Divinisq; afficerentur honoribus. De Empedocle Diogenes: *jactantiâ & amore sui ferebatur immodicè, quippe qui in carmine se Deum dixerit. Quando item ad Olympia peregrinabatur, in se cunctorum vertebat ora, ut nullius inter loquendum tanta, quanta Empedoclis fieret mentio.* De Heraclide verò: *Semper Heraclidi consuetudo est, miracula confingere, qui ex lunâ cecidisse homines dicit.* Qvid igitur fidei apud cordatiores habuerint Empedocles & Heraclides, hinc constat. Plinius verò & multa, ut Historicus, refert, qvæ verè contigisse nunqvam credidit, nec è suis defuere, qvi fabulis vel recensendis vel propagandis qvandoq; liberius deditum fuisse, non inficiarentur, & ipse denicq;

niq̃ non obſcuris indiciis prodit, qvicqvid de iis, qvi elati revixerunt, antiqvis monumentis, aut vagis etiam rumoribus circumferretur, de receptâ potius ex animæ deliqvio reſpiratione, cum mortui revera non fuiſſent, qvam de revocata, qvæ nunqvam penitus abfuerat, anima exaudiendum eſſe. Ea enim perſuaſio vulgi eſt, qvicqvid vel raro vel nunqvam vidit, cum ſit, miraculum proclamat. Qvemadmodum Albertinus Bottonus, qvi præfocatam mulierem conſvetis functionibus reſtituerat, de ſeipſo recenſet: *Hoc cum præter omnium opinionem eveniſſet, mulierem è mortuis revocatam fuiſſe, magno gaudio & mei applauſu clamabant omnes & de inſperato, felici tamen, eventu mutuo amplectebantur & toto corde mecum congratulabantur:* apud Schenkium, loco allegato. Qvare Plinius: *Hæc eſt*, inqvit, *conditio mortalium, ad has & ejusmodi occaſiones fortunæ gignimur, uti de homine, ne morti quidem, debeat credi.* Qvaſi diceret: non omnes mortui ſunt, qvi tales nobis videntur, animæq̃ mortalium qvandoq̃ ſub corporis paſſionibus, ut ignis ſub cinere, diu latent occultæ & inanimadverſæ, donec adeptæ oportunitatem liberare ſe obſtaculis & priſtinæ vitæ functioni obeundæ foras prodire poſſint.

LV. De Ariſteo Proconneſio Herodotus Halic. lib. IV. hunc in modum ex interpretatione Laur. Vallæ ſcribit: *Ariſteum ajunt ingreſſum in Proconneſo fullonicam officinam deceſſiſſe, ful-*

lonemq; occlusâ officina abisse denunciatum rem propinquis defuncti. Dispatoq; jam per urbem rumore supervenisse sermoni qvendam Cyzicenum, qvi diceret, se fuisse congressum cum Aristeo apud Gyzicum atq; collocutum. Et quum iste contendendo asseveraret, propinquos mortui ad fullonicam præstofuisse, habentes, quæ ad efferendos homines expediunt, sed aperta domo Aristeum nec vivum comparuisse nec mortuum, septimoq; deinde anno, quum in Proconneso comparuisset, eos versus fecisse, qui nunc à Græcis Arimaspei vocantur, quibus conditis rursus evanuisse. Aut ut nihil nunc dicam de eo, qvod Herodoti fabulositas in omnibus omnium sermonibus fuerit jam olim jactata, ut in proverbium propemodum abierit, [qvippe à qva dica Historicum memorabili apologia liberavit doctissimus H. Stephanus) nihil aliud ille qvam rem refert, ab aliis auditam; *ajunt*, inqvit, & iterum: *hoc istæ civitates commemorant.* In Polymnia verò disertis verbis pronunciat, hoc suum esse in universo opere consilium; ut sibi comemoranda, qvæ ab aliis acceperit, non item omnino sibi credenda esse censeat: ἐγώδε, inqvit, ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πειθεσθαι γεμὴν οὐ παντάπασιν ὀφείλω, καίμοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον. Cæterum & Plinius, lib. VII. cap. LII. ubi narraverat, visam Aristei animam evolantem ex ore in Proconneso corvi effigie, [hoc enim

enim vates Apollinem affectans jacta verat] *magna, quæ sequitur, fabulositate*, hæc talia à vetustate tradi asseverat. Deniqve omnium candidissimè Plutarchus in Romulo sub finem, qvid his Poëtarum nugis vel tributum fuerit à sapientibus, vel tribui debeat, exponit, cum recitata de Aristeo, aliisqꝫ pari modo ex hominum conspectu raptis, utpote Romulo, Cleomede, Alcmena, fabula subjicit: *Hujusmodi multa fabulantur commentitia, ea, qvæ natura mortalia sunt, inter cœlestia referentes. Atq; adimere semel virtuti Divinitatem nefas & illiberale, rursus in cœlo locare terrã, stultum sit. Relinqvendæ igitur fabulæ, cum rem ipsam teneamus, ut ait Pindarus:*

Omnium corpus tenetur morte pallida;
Mens restans æternitatis effigiem tenet.

LVI. Qvæ simul nobis sententia clarissimè exponit, non potuisse alibi Plutarchum contra propriorum verborum sensum credere, vel Thespesium vel Antyllum è mortuis unquam suscitatos fuisse. Neqꝫ etiam indubitatum est, Thespesium mortuum, iterumqꝫ redivivum, an in ἐκστάσει tantum qvadam constitutum, scelerum pœnas posthumas contemplantem, inducere voluerit Plutarchus. Quâ ratione, quiescente intra corpus sensu, anima alibi sibi degere visa, qvamquam intra corpus nihilominus delituerit, ad se rediisse dicitur, cum pristinas in corpore obiit functiones. *Qvum jam triduanus ad sepultu-*

ram efferretur, ait, *subito commotus*, καὶ παρ' ἑαυτῶ γενόμενος, *ad se se reversus, incredibilem quandam deinceps vitæ mutationem instituit.* Simile exemplum & veritati citra dubium magis consonum, [cum Olympicus, qui inter colloquentes à Plutarcho introducitur, μύθον seu *fabulam* totidem verbis appellet] refert *Conr. Lycosthenes*, de Prod. & Ost. A. D. 1552. quod in minore Basilea contigerit; ubi quatuordecim annorum puella, quæ in Vineatica tribu habitabat, cum peste obiisset, linteis insuta, multasq; horas tempore omnium frigidissimo sepositа in terra jacuisset, dum sepultura paratur, rediviva seipsam, dum sola esset, liberavit ex linteaminum vinculis, lectumq; iterum ingressa, cum vespillones feretrum attulissent, pro more terræ mandaturi, magno stupore rediviva contra omnium expectationem in lecto audacter loquens inventa est ac deinceps aliquot annos vixit. Dicebat autem se revera mortuam fuisse ac vidisse inferni varia tormenta, peccatorum pœnas, atq; quosdam sibi quam optimè notos, quos nominabat etiam, ibi suppliciis torqueri, cum tamen eo tempore adhuc viverent. Adjecit insuper alia quædam, anilibus fabulis planè similia; unde magistratus prudentissimi mandato, ne nugis seduceretur mobile vulgus, silere jussa est.

LVII. Quæ cum ita se habeant, nolim cum H. Grotio asserere, eruditiorum atq; sapientiorum inter gentiles eam fuisse opinionem, quosdam unquam à mortuis resurrexisse. Quanquã

si

si vel Thespesium vel Antyllum vel qvosdam alios intra paucos post mortem ipsorum dies revixisse credidissent, [qvod eqvidem secundum eos, qvi de animarum imortalitate persuasi fuerant, ideo fieri facilius poterat, qvia corpora animarum habitacula, nondum in cineres & favillas, id est, principia sua erant dissoluta] nondum tamen ex eorundem gentilium opinione, qvod elicit Grotius, seqveretur, resurrectionem ipsis hominũ, in elementa sua reversorum, non impossibilem visam fuisse. Quousqꝫ enim corpus organis suis instructum adfuerat, anima illud ex divina dispositione iterum intrare poterat & informare, cum ita numero fuerit idem; sed verò idem corpus in cineres relapsum posse ad priorem, eandemqꝫ numero, formam redire, id nec fieri posse autumabant, nec autumasse ex exemplis à Grotio adductis docetur.

LIIX. Jam, qui à Ludovico Vive adducuntur, in vitam rediisse, minorem habet dubitationem. Qvidam enim apertis fabulis â Gentilibus ipsis accensentur, quidam ea ipsa exempla sunt, quæ hactenus expendimus, quidam vero, quorum Plinius meminit, non tam vere mortui, quam visi mortui fuisse dicuntur. De Metempsychosi Pythagorica & Zoroastre in secunda Dissertationis parte dicemus. Plinii vero hæc integra relatio est, libr. VII. cap. LII. *Aviola consularis in rogo revixit.* [cujus & Valerius M. meminit, lib. II. cap. VI. calore nempe vitam, qvæ hactenus latuerat frigore pressa, restituente]

quoniam subveniri non potuerat, prævalente flamma, vivus crematus est. Similis causa in L. Lamia Prætorio viro traditur. Nam C. Ælium Tuberonem prætura functum à rogo relatum, Messala Rufus & plerique tradunt. (Nymannus de Apoplexia, cap. XXXI refert, accidisse Divioduni, peste atrocissimè sæviente, cum vespillones in sepeliendis mortuis tam occupati essent, ut cuilibet peculiare sepulchrum facere non possent, sed plura cadavera in commnnem foveam conjicerent, ut mulier qvædam, nomine Dame Nicole Lentilet, pro mortuâ cum aliis elata in foveam istam conjiceretur. Hæc totam noctem sub cadaveribus aliis latens sub auroram ad sese rediit, sesevqve colligit. Cum autem ubi esset, nesciret, neqve propter debilitatem aliorum cadaverum sibi impositorum pondus amovere valeret, clamare cœpit, qvia verò longè ab hominibus remotus erat locus, exaudiri à nemine potuit. Tandem redeuntibus vespillonibus, ut alios in idem sepulchrum inferrent, iterum miserè clamavit, corpusqve, qva potuit, commovit. Hi strepitum cum voce exâudientes & vocem etiam humanam percipientes, illicò fœminam illam effodiunt, eamqve revivisscere videntes domum suam deportant, ubi mox convaluit & postea Divioduni per aliqvot annos vixit. De Margaretha à Rot, cognomine Nachreisina, *Crusius*, in Annal. lib. IX. Part. II. p. 344. ubi catalogum texit Abbatissarum in Edelstettensi Parthenone, ex Bruschio narrat; *bis*

mor-

mortua. Semel enim fasciis involuta & ad humandum portata in templum, ubi dum canaretur psalterium, revivit; postea Abbatissa facta diu præfuit. Obiit. A.D. 1257. Notum est exemplum mulieris Colonienſis, qvam cum vespillones annuli causa, qvam in demortuæ digito videbant, seqvente humationem nocte refodissent, atqve illa aperto feretro surrexisset, isti terrore consternati, relicta apud sepulchrum lucernula, aufugiebant. Mulier itaqve linteis sese expediens è sepulchro egressa arrepto lumine domum suam contendit & vix, ut intromitteretur, à domesticis, spectrum esse ratis, impetrare potuit.] *Hæc est conditio mortaliũ: ad has & ejusmodi occasiones fortunæ gignimur, uti de homine ne morti qvidem debeat credi.* [Persuasus itaqve fuerat Plinius, hos tales revera mortuos nunqvam fuisse] *Reperimus inter exempla, Hermotimi Clazomenii animam relicto corpore errare solitam, vagamq; è longinqvo multa annunciare, qvæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi,* [non dicit: exanimi] *donec cremato eo inimici, qui Cantharidæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerint. Aristæ etiam visam evolantem ex ore in Proconneso, corvi effigie, magnâ, quæ sequitur, fabulositate; quam equidem & in Gnosio Epimenide simili modo accipio. Puerum æstu & itinere fessum in*

specu

specu septem & quinquaginta dormisse annis, rerum faciem mutationemque mirantem, velut postero experrectum die: hinc pari numero dierum senio ingruente, ut tamen in septimum & quinquagesimum atque centesimum duraret annum. Fœminarum sexus huic malo videtur maximè oportunus conversione vulvæ, quæ si corrigatur, spiritus restituitur. Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraelidis, septem diebus fœminæ examinis ad vitam revocatæ. Varro quoque autor est, XX. viris agros dividentibus Capuæ, quendam, qui efferretur feretro domum remeasse pedibus Hoc idem Aquini accidisse. Romæ quoque Corfidium materteræ suæ maritum funere locato revixisse & locatorem funeris ab eo elatum. Adjicit miracula, quæ tot a indicasse conveniat. E duobus fratribus, equestris ordinis, Corfidio majori accidisse, ut videretur expirasse, apertoque testamento recitatum hæredem minorem funeri institisse, interim eum, qvi videbatur extinctus, plaudendo concivisse ministeria & narrasse à fratre se venisse, commendatam sibi filiam ab eo. Demonstratum præterea, quo in loco defodisset aurum nullo conscio & rogasse, ut iis funebribus, quæ comparasset, efferretur. Hoc eo narrante fratres domestici propere annunciavere exanimatum illum; & aurum,

ubi

ubi dixerat, repertum est. Plena præterea vitæ est his vaticiniis, sed non referendis, cum sæpius falsa sint, sicut ingenti exemplo docebimus. Bello Siculo Gabienus Cæsaris classiarius fortissimus captus à Sexto Pompejo, jussu ejus incisâ cervice & vix coharente jacuit in littore tota die. Deinde cum adveſperaviſſet, cum gemitu precibusque congregata multitudine petiit, ut Pompejus ad se veniret, aut aliquem ex charis mitteret; se enim ab inferis remiſſum habere, quæ nunciaret. Miſit plures Pompejus ex amicis, quibus Gabienus: Inferis Diis placere Pompeji cauſas & partes pias, proinde eventum futurum, quem optaret: hoc se nunciare jussum, argumentum fore veritatis, quod peractis mandatis protinus expiraturus eßet. Idque ita evenit. Poſt ſepulturam quoque viſorum exempla ſunt, niſi quod naturæ opera, non prodigia conſectamur. Hæc Plinius, qvi dum ista concluſione naturæ se opera, non prodigia referre teſtatur, eoipſo, qvæcunqve narraverat reviviſcentium exempla, non reſurgentium è vera morte, qvippe qvod prodigioſum utiqve fuiſſet, ſed ex animæ tantum deliqvio aut reſpirationis ad aliqvot dies interceptione qvaſi evigilantium fuiſſe innuit. Qvare palam eſt, ea ad veram è morte reſurrectionem demonſtrandam immeritò allegari.

LIX.

LIX. Qvamqvam vetò ex adductis à Vive atqve Grotio exemplis haud indubitatò constet, utrum è Gentilibus sapientiores, qvosdam unqvam è mortuis ad vitam rediisse, crediderint; ex aliis tamen, partim à Vive indicatis, principiis atqve doctrinis, utpotè Metempsychosi & qvibusdam Persarum atqve Stoicorum placitis, facile convinci possunt, resurrectionem istam neqve in se impossibilem esse, neqve absurdum cuiquam meritò videri. Qvæ verò cum & pro resurgendi actu non impertinenter allegentur, ad secundam hujus dissertationis partem eorundem discussionem differemus. Ex his verò, qvæ hactenus longo ordine disputavimus, constare sufficienter arbitramur, resurrectionis possibilitatem adeò rectæ rationi non adversari, ut luculentis potius ex ea argumentis qveat doceri, ut tamen argumenta, qvæ passim & nonnunqvam sine judicio adducuntur, non ejusdem ponderis atqve momenti haberi debeant, cum si nonnullis contra serium adversarium uteremur, veritatem prodere potius, qvam persvadere velle videremur. Cætera itaqve, qvæ dicenda restant, hunc primum Exercitationum nostrarum Tomum, Deo benè juvante, concludentes, secundi Tomi, si ita Deo videbitur, principio destinamus; nunc vero Deo ter optimo, ter benignissimo, pro concessis ad qvalemcunqve hunc laborem viribus immortales persolvimus gratias.

EXER-

EXERCITAT. XII.

Thesium Miscellanearum qvaternionem complectens,

D. B. J.

THESIUM MISCELLANEARUM.

I.

A *Reis novæ*, ut in omni antiqvitate eruditâ ignoratæ, ita prorsus monstrosæ primus, qvantum publicè constat, auctor è Pontificiis est GONTERIUS, qvi in Divilacensi colloqvio, dignum hunc Jesuiticâ sapientiâ fœtum, non tam exclusit, qvam osculandum lambendumqve proposuit. Qvanqvam autem inventum tam stolidum sit, ut cordates eruditosqve jamdiu illius puduerit, longè tamen stolidior, & propemodum intolerabilis est, in investigandâ prodigii hujus origine, sive Calvinianorum qvorundam calumniandi libido, sive Pontificiorum fingendi malitia. Nicolaus enim Vedelius, fundamentum vanissimæ artis jecisse Lutheranos, carissimos scilicet Refor-

matorum fratres, dum Philosophiæ usum [abusum autem dicere debuissent] permittere Reformatis noluissent, ideò fœda criminandi audacia objectat, qvia Arnoldus & Veronius, Jesuitæ, eandem artem, à se propagatam & perfectam, Calvinianis in Gallia, rectè, si Diis placet, ratione utentibus, opposuerunt. Fabricatores verò egregiæ artis Lutheranos, dumsolam Scripturam Sacram pro fidei regula venditant, omne rationis negotium in Syllogismis sacris excludere, & propositionibus, *purum putum verbum DEI*, sine ullius vocabuli, qvantumvis in vi propositionis latentis, additione, formaliter, ut loqvimur, continentibus, probare controversa inter nos fidei capita, necesse habere, ideò fraudulenta improbitate comminiscuntur, qvia nec illi ipsi literarum vocumqve, atqve adeò universæ Grammatices usum à Theologicis disputationibus arcent, qvam tamen inter principia fidei nunqvam reposuere, contenti puro puto antiqvæ Ecclesiæ, ad mentem Romani Pontificis intellectæ, consensu. De cætero prodigii hujus pudenda masculè denudarunt jam olim eruditissimi viri D. Jo. Musæus, D. G. Calixtus, D. Jo. Hülsemannus, inqve patria nostra, ubi caput primum erexit, ante illos D. Thomas Wegelinus, Ecclesiastes Pforzensis.

II.

II.

§. I. De infantibus Gentilium, priusqvam ex infantia excedunt, demortuis, ardua qvæstio est, utrum saluti an damnationi sint, adjudicandi? Sunt qvi sententiam hic suam prorsus suspendunt. G. Calixtus Tr. de Bapt. §. 127. *Curiosè rimari nolumus, sed DEO potius totum committere, qvam judicandi partes temerè involare. Parum enim,* [inqvit] *facit ad praxin.* Sed qvi ajentem defendunt, deprædicandæ misericordiæ divinæ magnitudini, qvi negantem, rigori Justitiæ & Ecclesiæ fideiqve necessitati atqve nobilitati ostendendo, amplissimum hinc pandi argumentum, haud injuria dixerint. Fr. Balduinus Tr. de Consc. casibus libr. II. c. I. c. 12. *De horum infantum salute vel damnatione nihil temerè judicamus, Apostolo dicente: qvid nobis de iis qvi foris sunt?* 1. Cor. V, 12. At is non temerè judicat, qvi argumentis ductus S. Literarum judicium discretivum instituit. Et locus ex Paulo allegatus, *de conversatione Politicâ tantum agit, nec qvicqvam habet de jure Ecclesiastico, vel de communione verbi & Sacramentorum, qvam latè ea se extendat;* rectius dicente eodem Fr. Balduino libr. IV. c. VIII. c. 8. Q. d. qvid ad me, nunc curare aut corrigere gentiles? Secus si esset, nec judican-

di nobis partes sumere possemus, cum qværeretur: Utrum adulti Gentiles, Mahummedani, Judæi, Hæretici, qva tales, salventur, an vero damnentur? In qvos tamen lata jam est mortis sententia. Marc. XVI, 16. Joh. III, 18.

§. II. Proximi his sunt, qvi qvanqvam nihil expressum divino verbo, de isthac re profiteantur, impossibilem tamen aut simpliciter inficiandam horum infantum salutem esse negant. Idem Fr. Bald. in cæteris de Ecclesia nostra benè meritus: *Juxta ordinarium quidem judicium*, inqvit, *subjacent damnationi*, Joh. III, 17. *sed Pater misericordiarum super hos, qui nullâ suâ culpâ in ignorantiâ versantur miserationum suarum Thesauros aperire potest, quod sperare malumus, quam præcipitanter tales damnare.* Hæc intra eum, qvem fidei nostræ oeconomia admittit, sensum accipi necesse est: duriora sunt qvæ subjicit: *Ignorantia Christi, quæ in ipsis est, non excusare eos potest à peccato & peccatum hoc dicitur infidelitatis, quod juxta ordinarium DEI judicium damnare constat ex* Joh. III, 36. *An verò DEUS extraordinariè eorum velit misereri, quos jure damnare posset, nihil revelatum est in verbo, ideoque nihil à nobis affirmari potest.* Nam Scriptura, dicendo: *sine fide*, qvæ notitiam Christi essentialiter involvi-

volvit, ἀδύνατον *impossibile est placere DEO*, Hebr. XI, 6. omnes eos damnationi actu adjudicat, qvi non credunt; cui divinæ voluntati aliam qvandam extraordinariam, huic revelatæ contrariam, qva qvosdam incredulos actu damnare nolit, fingere non licet; Si verò de absoluta & extraordinaria, si ita loqvi libet, potentia salvandi duntaxat sermo est, tum qva non credentes, extra verbum revelatum, salvare DEUS potest infantes, eadem & posse adultos, suppositò merito Christi, in infidelitate perseverantes, qvâ ratione nihil privilegii infantibus relinqvitur, dubium esse non potest.

§. III. Qvi paulò clementiores audire cupiunt, optimam & propemodum certam de horum infantum salute spem concipiunt; cum ex fidei analogiâ constet, neminem absolutè reprobari, nisi qvi actualem mediis fidei obicem ponat, cujusmodi contumacia in infantibus esse non possit: ita Remonstr. Decl. Art. II. p. 286. & præterea Ninivitarum gentilium infantes adeò gratioso oculo respexerit DEUS, ut & Parentes ipsorum eorumdem causâ ad gratiam vocaverit, & urbi universæ, qvo minus excidium eidem induxerit, pepercerit. Jon. IV, 11. Sed infirmius hoc certè est robur qvam qvod isthanc sustentare qveat opinionem; solam qvippe intellectus excoecati ignorantiam, & articulorum ad salutem simpliciter necessario-

rum abſentiam, etſi nulla accedat voluntatis contumacia, actu damnationem inferre, indubitatæ veritatis eſt. At unde gentilium infantes, *naturâ filii iræ* Eph. II, 3. *tenebris obſcuratam habentes intellectum.* c. IV, 18. neceſſariâ credendorum notitiâ imbuere intellectum poterunt, qvi, cum in Eccleſiâ, extra qvam non eſt ſalus, haud exiſtant, mediis efficiendæ conſervandæqve fidei, utpote verbo & Sacramentis, & inſuper promiſſione divinâ, ſi extra culpam qvis ſuam Baptiſmo privetur, atqve parentum voto precibusqvs, qvibus infantes ſuos, ſi baptizari neqveant, DEI miſericordiæ commendant; [qvæ atqve alia argumenta Chriſtianorum infantum, licet non baptizatorum, ſalutem certam reddunt] prorſus deſtituantur? Ninivitarum verò infantes DEUM ita reſpexiſſe, ut horum cauſa, eorundem parentes, ad Eccleſiam vocaverit, loco allegato neqvaqvam, [cum in Ninivitis, priusqvam vocarentur, nihil prorſus fuerit, qvod commovere DEUM ad miſerationem potius, qvam eorundem deletionem potuerit] ſed hoc dicitur, qvod illorum, qvin & jumentorum cauſa [ad qvæ ſc. ſe extendit miſericordiæ divinæ abyſſus, nedum ad homines] non perdiderit, qvos perdere conſtituerat. Hoc autem pacto reſpexit DEUS infantes, non gentilium, ſed eorum, qvi ad DEUM ſeſe jam converterant. Non igitur erant infantes iſti, in intuitu illo conſiderati, am-

amplius gentiles, sed Ecclesiæ filii, proselyti, cum parentibus ipsorum, ut vocabantur, Portæ, licet circumcisionis non susceperint, qvippe ad qvam amplectendam non erant obstricti. Neqve qvicqvam aliud, qvam hoc dicturus erat d. l. DEUS: Ego non parcerem Ninives, in qva tot sunt, si innumeram adultorum copiam prætereamus, infantes, qvi posthac in vera mei cognitione educandi, gloriam Ecclesiæ meæ ad omnem posteritatem propagabunt? Taceo Div. Lutherum ea esse in sententia, descriptione isthac non infantes, sed totam urbis universæ multitudinem insinuari. Verba hæc sunt: Comm. in Jon. Tom. III. Jen. p. 220. Es wäre dann / daß man es so deuten wolt / daß der Menschen / die nicht wissen / was recht oder linck wäre / solte so viel gewesen seyn / als junge Kinder und Narren / der alten Leut aber / so viel mehr gewest. Aber solche Deutung halt ich nicht / sondern / daß sie allzumahl nicht haben gewust / was linck oder recht sey; das ist / wie wir sagen / sie musten weder diß noch das in göttlichen Sachen / als die kein Gesetz-Mose / noch Propheten hätten / welche sie hätten gelehret / wie sie solten beyde in geistlichen und leiblichen / äusserlichen und innerlichen Dingen / für GOTT sich halten / wie die Juden hatten / dann so mag man die Rechte deuten auff das geistliche inwendig / und die Lincke auff die leibliche auswendig / dann man GOTT mit Leib und Seel dienen muß.

§. IV. Mediâ incedunt via, qvi neqve omnes damnationis involvunt, neqve omnibus salu-

tem, sed iis duntaxat, adscribunt, qvos DEUS per scientiam mediam, ut vocant, præviderit, si ad provectam perveniissent ætatem, credituros fuisse. Joh. Hülsemannus Brev. Extens. c. XVII. §. 10. *Quod per scientiam, quæ dicitur media, non-excussionem mediorum oblatorum in quibusdam præviderit, id est, sub hac conditione, si servasset in vitâ superstites, obtulissetque illis ordinaria salutis media, eum non fuisse excussuros prævenientem illam gratiam, probabile est ex loco* Apoc. XX. 12. *ubi etiam parvuli, tam illi, qui in stagnum ignis missi sunt, quam qvi vitam æternam ingressi, judicantur ex libris secundum opera sua. At opera actu secundo existentia, non habuerunt parvuli, qvæqve adeò objectum intuitivæ DEI scientiæ esse neqviruut. Qvare relinqvitur parvulos habere opera existentiæ in scientiâ DEI mediâ, & scripta in hunc librum scientiæ mediæ;* Sed imbecillius iterum, qvam tantæ rei sustinendæ fulcrum. Si secundum id judicat DEUS, qvod per scientiam mediam prævidisset esse futurum, non qvod actu secundo existit, cur non & Tiriis & Sidoniis salutem tribuit, apud qvos, si qvæ in Chorazin & Bethsaida, signa facta fuissent, *in cinere & sacco poenitentiam egissent*, Matth. XI, 21. Parvuli in loco Apocalyptico [siqvidem ea vox qvantitatem hic molis potius significat, qvam vir-

virtutis, ut alias plerumqve, Job. III. 19. Sap. VI, 8.] neqve vivocum, neqve ulla neceſſaria conſeqventia, aut in ſtagnum ignis miſſi, aut judicati eſſe ſecundum opera, ſi rectè locus inſpiciatur, leguntur. Etſi præterea, judicati dicerentur ſecundum opera, nondum tamen ſeqveretur: Ergo ſecundum opera vel exiſtentia, vel extitura; qvin potius juxta non exiſtentia, hunc in modum: Qvia ſupremus Judex in his nulla omnino invenit opera, qvæ habere debebant, ideò ſententiam tulit: damnandos eſſe. Qvanqvam præterea in infantibus etiam actu opera ſint mala, id eſt, peccata, eaqve non omiſſionis tantum, ſed & commiſſionis, ut vocantur, actualia, ceu alibi probatum ſupponimus. Porrò qvem ſcientiæ mediæ terminum pones, in qvo figatur reſpectus oculi divini? Si reſpiciat DEUS annum hominis Gentilis viceſimum, forte inter Chriſtianos erit, & credet; Si triceſimum, ad populares ſuos reverſus fidem abnegabit. Si dixeris, fatalem vitæ cujuslibet finem attendi, cur non attendit primum, æqve natura ei poſitum, vitæ terminum, cum in infantia moreretur; cur verò ſecundum? cur non tertium, qvartum, qvintumqve, ſi vitam nempe ultra ſecundum prorogaſſet? Aut qvo argumento ducor, in ſecundo potius, qvam tertio alioqve, miſericordiæ divinæ ſecundum mediam ſcientiam terminum figi? Theologo certè præter gravem ratio-

nem, præcipuè contra dilucida scripturæ verba, nihil est vel asserendum vel credendum. Deniqve si DEUS, qvoscunqve media ipsis oblata non excussuros prævidit, salvaturus est, necesse est, neminem Gentilium infantum salute excludi, cum nemo coram, si primum atqve principalissimum salutis medium, nempe baptismus, in infantia ei offerretur, id excussurus esset. Qvomodo igitur posita scientia media nonnulli salvabuntur, nonnulli verò damnabuntur?

§. V. Restat ergò, vero esse maximè consetaneum, qvod Apologia Aug. Conf. profitetur Art. IX. p. 156. *Certissimum est, quod promissio salutis partinet etiam ad parvulos. Neque verò pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo & sacramentis existit.* Sal. Gesnerus allegatus à Theol. Witteb. in dem gründlichen Beweiß / Appendix p. 276. Also lauten Zwinglii Worte / an den König in Franckreich: Du wirst daselbst im ewigen Leben sehen Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones; Und abermahl in einem besondern Buch / wider die Catabaptistas, sagt er: Der Heyden Kinder aus dem ewigen Leben ausschliessen wollen / das ist gottloß / und

und wir irren sehr/ daß wir über der Heyden Kinder das Urtheil fällen. Solche ungeheure Zwinglische Opinion hat hernachmahl Henricus Bullinger ihme sehr wohl gefallen lassen / und Zwinglii Schwanen-Gesang geheissen. Auch hat Rudolph Gualtherus im Jahr 1545. eben diese gottlose Opinion von der Seligkeit der ungläubigen Heyden zu vertheidigen sich unterstanden. Welche Lehr aber die Menschen nach diesem Leben dahin weiset/ da die abgöttische ungläubige Heyden sind / die führet dieselbige fürwahr nicht ins ewige Leben/ sondern im Abgrund der Höllen. Sintemahl die Heyden / die an Christum nicht gläubt/ freylich nicht in himmlischer Glori und Herrlichkeit / sondern in höllischer Qvaal und Marter anzutreffen / nach dem Spruch Christi/ Marc. XVI. und Joh. III.

§. VI. Qvanqvam mitius olim puniendos esse haud in injuria doceat Augustinus, libr. V. contra Julian. Pelag. Cap. XI. *Si, quod servator de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: Quis dubitaverit, parvulos non baptisatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros? Quam levissimam damnationem* de pœna damni, seu carentia claræ visionis DEI, non tamen exclusa, inde emanante, tristitia dolore ac molestia ani-

animi, intelligi posse, probabili argumento ostendere laborat D. Petr. Musæus Tr. de æterna Beat. §. 72.

III.

De Ethica Aristotelis non immeritò Apologia Aug. Conf. Art. de Justif. p. 62. judicat. *Aristoteles de moribus civilibus adeò scripsit eruditè, nihil ut de his requirendum sit amplius.* Commentarii loco esse possunt, qvæ Apologiæ Author Epistolæ Nuncupatoriæ in Epitomen suam Philosophiæ moralis præmisit, è qva isthæc nunc excerpimus: *Scio, quosdam mirari alias sectas. Nam Stoicos suspiciunt nonnulli, tanqvam semideos. Valla, cum reliquos Philosophos rabiosè exagitet, Epicuro tamen non obscurè plausum dat. Ego verò, qui has sectarum controversias, diu multumque agitavi, ἄνω καὶ κάτω στρέφων, ut Plato facere præcipit, valde adhortor adolescentes, ut repudiatis Stoicis atqve Epicureis, amplectantur Peripatetica. Nam etiam, cum gnaviter defenduntur, & ut ita dicam mangonizantur, Epicurea & Stoica, necesse est, plurimum admisceri Sophistices, juxta illud: Euripideum:* ὅδε ἄδικος λόγος νοβῶν ἐν ἀυλῶ φαρμάκων δεῖται σοφῶν. *Porrò &*

mo-

moribus nocent falsæ opiniones, & ipsa consuetudo Sophistices multis modis perniciosa est, corrumpit judicia, abducit animos ab amore & studio simplicis veritatis, & proprietatis, assuefacit ingenia, ut ament monstrosas opiniones, ut non explicare res, sed involvere studeant. At in Aristotele methodus gubernat disputationem, & quasi intra metas coeret, ne à demonstrationibus & à rectâ viâ deerretur. Quare eruit veras sententias, easque ordine & propriè explicat. Proinde & propter veras sententias, & propter methodi exemplum Peripatetica sunt utiliora. Qvanqvam idem Germaniæ Præceptor, labi qvandoqve Aristotelem, ex defectu superioris luminis, hoc ipso venia, qvam accusatione dignior em, haud diffiteatur. In Epit. Phil. mor. p. 15. *Quomodo loquitur Aristoteles de fine? Cum in naturâ hominis corruptâ non satis luceat notitia DEI, Aristoteles de fine paulo aliter* [qvam sc. Melanchthon locutus fuerat] *loquitur. Constituit enim finis hominis generaliter rectam actionem supremæ potentiæ in homine, hoc est, actionem virtutis, seu virtutem. Quærit enim finem ex ordine & dignitate potentiarum. Sed, si quæsisset actionum gradus, invenisset summam actionem*

nem esse, agnoscere DEUM & obedire DEO, & vidisset, virtutem referendam esse ad illum finem, videlicet ad agnitionem DEI. Etsi igitur finis ille, quem supra constituimus, rectè & philosophicè constitutus est, tamen non confutabimus sententiam Aristotelis, ne subtilitas remoretur adolescentes; verum interea studiosi cogitent, hominem non esse sibi finem, sed homines DEI causâ nasci, & virtutem per seſe non eße illud extremum, in quo acquiescere mens debet, sed referendam eße ulterius ad agnitionem DEI & obediendum DEO.

IV.

QVam Reformatis fraternitatis spiritualis dextram porrecturus fuisset Megalander Lutherus, si, fidem & gratiam divinam, nullis, qvantumvis atrocibus, peccatis amissibilem esse, uno ab ipsis Spiritu doceri vidisset, fusâ divino & prophetico Zelo verba, qvæ Articulis Schmalcaldicis inserta sunt, non obscurè innuunt, ubi pag. 328. ita loqvitur: *Cæterum si Sectarij quidam orirentur, quorum nonnulli jam forsan adsunt, & tempore seditionis rusticanæ mihi ipsi in conspectum veniebant, sentientes, omnes eos, qvi semel Spiritum*

ritum aut remissionem peccatorum accepissent, & credentes facti essent, etsi deinde peccarent, manere tamen in fide, & peccatum ipsis nihil obesse. Hinc voces ipsorum Fac, quicquid lubet, modo credas nihil tibi nocet, fides omnia peccata delet, &c. Addunt praterea: Si quis post fidem & Spiritum acceptum peccet, eum nunquam Spiritum & fidem verè habuisse. Et tam insanos homines vidi, & audivi multos, & vereor ne adhuc in nonnullis dæmon iste latitans habitet. Siigitur, inquam, tales imposterum etiam orirentur, sciendum & docendum est, quod si sancti, qui originale peccatum adhuc habere se sentiunt & quotidie de eo pœnitent & cum eo luctantur, insuper ruant in manifesta peccata, ut David in adulterium, homicidium & blasphemiam, eos excutere fidem & Spiritum Sanctum & abesse tum ab ipsis fidem & spiritum Sanctum. Spiritus enim Sanctus non sinit peccatum dominari, invalescere & victoriam obtinere ac consummari, sed reprimit, & coërcet, ne facere possit, quod vult. Si verò facit, quod vult, certè Spiritus sanctus & fides amittuntur, nec simul adsunt. Sic enim inquit Johannes: Qui ex DEO natus est,

est, non peccat & peccare non potest. Et tamen etiam hoc verum est, quod idem Johannes dicit: Si dicimus, nos peccatum non habere, mentimur, & veritas DEI non est in nobis.

FINIS.

IN-

Index Exercitationum.

I. Exercitatio Præliminaris, de Usu Linguæ Sanctæ, & primæ Philosophiæ. pag. 1.

II. Exercitat. de Interpretatione Loci Hebræi 1 Sam. II. v. 25. p. 82.

III. De Quæstione; An Actio secundum Legem hominis ex Spiritu S. renati, medium consequendæ Salutis dici possit? p. 108.

IV. De Loco Exod. XVI. v. 18. p. 177.

V. De Quæstione; An & in quantum Deus pœnarum causa appellari possit? p. 187.

VI. De Objecto Omnipotentiæ Divinæ. p. 217.

VII. De Loco Exodi XVII. v. 16. Quisnam ejus verus sit sensus? p. 268.

VIII. Articuli de Christo compendiaria per Theses delineatio. p. 278.

IX. Articuli de Deo & SS. Trinitate compendiaria per Theses delineatio. p. 313.

X. Exercitatio de Forma Faciei Christi, dum in his terris viveret, Libro Francisci Vavassoris, Galli, de hoc argumento edito opposita. p. 359.

XI. De Resurrectione Carnis; An & in quantum illa ex naturali ratione innotescat? p. 888.

XII. Theses Miscellaneæ. p. 977.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1049
DFG

INDEX
Locorum Scripturæ.
GENES.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1.	336
	2.	200. 334. 336. 345. 351
	4. 10. 12. 18. 21. 25.	100
	26.	335
	27.	468. 477
	31.	207. 231. 326
II.	9.	519
	17.	
	21.	200
III.	6. 7.	100
	16.	200
	22.	335
IV.	14.	93
	23.	100
VI.	1. 5.	100
	6.	329
	7.	200
	17.	200
VIII.	21.	100
XII.	11. 14.	454
XIV.	14.	100
	22.	276

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1050
DFG

Cap.	Verſ.	Pag.
XVI.	7.	350
XVII.	1.	331
	18.	95
XVIII.	1. ſeqq.	292
	2.	350
	24.	335
XIX.	2.	350
	13.	191
	26.	191
XXII.	17.	99
XXIV.	3.	276. ſeq.
	16.	454
XXVI.	7.	454
XXVII.	1. ſeqq.	95
	15.	794
XXIX.	17.	454
XXXII.	24.	350
XXXVI.	12.	268
XXXIX.	6.	454
XLV.	22.	794
XLVIII.	14.	100
	16.	350
	EXOD.	
II.	2.	100
III.	2.	292. 336. 344. 350
	4.	344. 101
	6.	344
	11. 12.	101
	14.	318. ſeq.
	15.	336

Cap.	Vers.	Pag.
	19.	101
XII.	4.	179
XIV.	19.	350
XVI.	18.	177. seqq.
XVII.	16.	268. seqq.
XX.	5	327
	6.	326.
	12.	454
XXI.	6.	88
	12. 16. 18. &c.	83
	29.	95
XXII.	8.	88
XXIII.	20.	350
XXV.	7. 8.	89
XXIX.	42.	849
XXXII.	29.	94
XXXIII.	19	325
	20.	332
XXXIV.	6.	327
	9.	100
	LEVIT.	
IX.	7.	90
X.	2.	94
XI.	45.	325
XVI.	16. 17.	90
XXIV.	14.	94
	NUM.	
VI.	24. seqq.	336
	26.	351

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1052
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	33.	94
XV.	36.	94
	38.39.	845.855
XVI.	31.35.	191
XXIV.	20.	269
XXV.	8.	196
	DEUTER.	
IV.	35.	320
VI.	4.	320
XXII.	12.	845.856
XXIV.	19.	178
XXV.	17.seqq.	269.277
XXVIII.	3.	454
XXXII.	12.	351
	35.	198
	39.	189.320
	40.	276.328
	JOSUÆ.	
VII.	25.	94
XVII.	18.	100
XXII.	31.	101
	JUDIC.	
VI.	11.	350
	22.	101
XIII.	3.	350
XIV.	19.	794
	RUTH.	
II.	14.	178

Cap.	Vers.	Pag.
	I. SAM.	
II.	6.	189
	19.	791
	21.	99
	24.	195
	25.	82. seqq. 189
	27. seq.	101
	30.	106
III.	8.	101
	13.	94. 101. 102
IV.	6. 7.	101
	11.	95
V.	7.	101
VI.	10.	742
VII.	7.	101
VIII.	1.	95
IX.	2.	519. 741.
X.	23.	382
XV.	2. seqq.	191. 270. 277
	12.	272
	19. 22. 23.	196
XVI.	7.	323
	10.	195
	12.	454
XXIII.	12.	324
XXV.	22.	828
	II. SAM.	
I.	15.	196
XIII.	19.	840
XIV.	25.	741

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1054
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XV.	32.	840
XVIII.	18.	272
	33.	95
XXIII.	2.3.	350
XXIV.	10.	100
	I. REGUM.	
I.	46.	172
VIII.	27.	330
XVIII.	27.	314
	II. REG.	
I.	10.12.	191
XX.	5.	454
	ESTH.	
II.	7.	454
	ESR.	
IX	4.	840
	HIOB.	
XI.	8.9.	330
XVI.	10.	828
XXXIII.	4.	351
XLII.	12.13.15.	444.463
XLIII.	5.	454
	PSALM.	
II.	7.	291.340.344.346.347
	12.	345
V.	5.6.7.	325.327
VII.	12.13.14.	96.189.195.325
VIII.	8.9.10.	304
XI.	6.	326

Cap.	Vers.	Pag
XI.	7.	189. 325.
	8.	325. 326.
XVI.	10.	293
	11.	326
XXII.	17.	396
XXV.	11.	100
XXXIII.	6	291. 334. 336. 341. 345. 347. 351
XL.	7. 8. 9.	302
XLI.	5.	100
XLV.	3.	293. 394. seqq. 688. 696
	8.	344. 351. 464
XLIX.	8.	90
LI.	6.	83. 84. 301
	18. 19.	436
LXIX.	6.	302
LXXI.	15.	100
LXXVI.	10.	96
LXXVII.	14	325
LXIIX.	33.	94
LXXXII.	1.	88. 314. 401
LXXXIII.	19.	319
XC.	3.	329
	5.	330
	10. 11	532
CII.	26.	345
	27.	329
	28.	329. 344. 290
CIV.	30.	351

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1056
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
CVI.	30.	87.89.196.
CVII.	2.	336
CX.	1.	335
	7.	306
CXV.	3.	332
CXVI.	10.	99
CXIX.	137.	325
CXXXIX.	1. seqq.	323
	7. seqq.	330.351
CXLV.	3.	330.333
	17.	326
	PROVERB.	
VIII.	12.14.	345
	22.	344
XIX.	18.	95
XXXI.	13.	833
	ESAIÆ.	
I.	2.	351
IV.	2.	346
VI.	1.	351.272
	3.8.9.	344.351
VII.	13.	344
IX.	6.	290.344
XVI.	11.	821
XXVIII	21.	195
XLI.	22.	323
XLII.	8.	272
XLIII.	11.	345
XLIV.	6.	320

Cap.	Vers.	Pag.
XLV.	2. 3.	345
	5.	320
	7.	189. 200. 206. 207. seqq.
	23.	289
	24	345
XLVIII.	16.	351
XLIX.	16.	275
LII.	14.	518
LIII.	2. seqq.	307
	3.	293. 445. 716. 728.
	4.	308. 716
	5. 6.	301. 302.
	10.	293
	12.	175
LXI.	1.	301. 351
LXIII.	1. 3.	301
	11. 12.	336. 350
	JEREM.	
III.	12. 13.	328
IV.	18.	99
X.	10.	324
XXIII.	5.	295. 304.
	6.	304. 344
	23. 24.	312. 331
XXIX.	16.	99
XXXIII.	16.	344
	THREN.	
III.	37. 38.	189
	EZECH.	
XVI.	5. 6.	161

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1058
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	52.	87
XVIII.	19.	327
	24.	190
	32.	190. 213
XX.	5. 6.	276
XXVIII.	23.	87
XXXIII.	2.	213
	11.	190. 328.
XXXVIII.	21.	189
	DANIEL.	
I.	15.	454
VII.	9. seqq.	342
	13.	350
IX.	24.	293. 325
	OSEÆ.	
VI.	1.	189
XIII.	14.	345
	AMOS.	
III.	6.	189. 207. 209
IV.	10.	189
	MICHEÆ.	
I.	12.	189
V.	1.	291. 346. 347. 353
	2.	291. 344
	HABAC.	
III.	17.	100
	ZACHAR.	
II.	8.	272
III.	4.	794

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1059
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
VII.	12.	351
VIII.	6.	228
IX.	11.	345
	12.	281
	MALACH.	
I.	11.	404
III.	1.	350
	6.	329. 330
	SAPIENT.	
I.	6. 7. 8.	331
	13.	190
II.	14.	195
	24. 25.	190
XVI.	12. 13.	189
	TOBIÆ.	
XIII.	2.	189
	MATTH.	
I.	21.	288
III.	4.	854
	6.	324
	16.	352. 356
	17.	327. 336
IV.	2.	520
VII.	22.	175
	23.	189
VIII.	2. 3.	344
	17.	719
	20.	459
IX.	9.	666. 671. 674
X.	9.	796. seqq. 854. 802

Cap.	Vers.	Pag.
X.	19	820. 822. seq.
	20	351. 353.
	28	189
XI.	19	345. 290
	21	324
	27	345
XII.	28	351
	31	351
XIII.	12.	
XIV.	33.	347
XVI.	18.	291. 345. 405
XVII.	2.	425. 440
	5.	342
	27.	584
XVIII.	15.	85
	20.	312. 245
XIX.	17.	326
	26.	331. 247
XXI.	19.	200
XXII.	43. 46.	334
XXIII.	5.	845
XXIV.	15.	325
XXV.	34.	305
	41.	96
	45.	305
XXVI.	26.	312
	31.	716
	39.	224
	53.	252
	65.	840. 835
	66.	727

Cap.	Vers.	Pag.
XXVII.	22.	288
	54.	347
	57. seqq.	307
XXVIII.	18.	298
	19. 336. 337. 345. 348. 351. 352	
	20	298
	MARC.	
I.	7.	808. 826
V.	27.	832. 839
	30.	839
VI.	9.	820. 822. seqq.
VIII.	5.	798
	6.	584
	8.	182
IX.	2.	425. 440
	7.	342
X.	18.	325
XII.	29.	320
XIII.	32.	309
XIV.	63.	840
XVI.	6.	309
	LUCÆ.	
I.	33.	305
	35	295. 307. 344. 351
	37.	228. 255. 331
	70	351
	76	344
II.	46	460
	52	309. 464
III.	16	806

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1062
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
V.	6.	584
VI.	29	792
VII.	36	756
	38	810
	47.	99
VIII.	3.	586
IX.	31.	454
	35.	342
	58.	750
X.	33.	161
XI.	49.	345
XVII.	3. 4.	85
XX.	46.	834
XXII.	19.	292
	35.	579. 785. 795. 798. seqq.
	37.	719
	44.	307
XXIII.	33.	309
	34.	304
	35.	309
	43. 46.	307
XXIV.	35.	405
	39.	318
	49.	346. 353
	JOHANN.	
I.	1.	336. 340. 345. 346.
	3.	347
	9.	365
	13.	351
	14.	280. 295. 344. 347. 575. 686

Cap.	Vers.	Pag.
	18.	332.344
	27.	806
	29.	302
II.	11.	345.
	21.	573
III.	3.	344
	5.	351
	8.	711
	11.	335
	16.	327. 345.347
	17.	341. 345
	19.	290
	21.	710
	35.	327
	36.	216
IV.	24.	318
V.	17.	344.345
	18.	344
	19.	291. 339.341.345.347.355
	21.	290.291.344.345
	23.	334.345
	25. seqq.	298.328.458
	30.	347
VI.	15	344
VIII.	25.	340
	44.	190. 195
	58.	297
X.	17.18.	281.293.458
	28.29.	345
XI.	24.25.	344

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1064
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XII.	6.	798. 800
	38.	719
	41.	344
XIII.	4.	832. 840
	29.	798
	32.	341
XIV.	1.	345
	6.	321. 328
	9.	353
	10.	339. 347
	16.	337. 347. 352
	26.	351
XV.	1.	365
	2.	161
	26.	339. 340. 346. 352. 353
XVI.	7.	340. 346. 353.
	13.	341. 346. 351. 354
	14.	346
	15.	290. 346
	27. 28.	346
	30.	344
XVII.	1. seqq.	345
	2.	291. 298. 345
	3.	173. 174. seq. 333.
	5.	290. 344
	9.	304
	10.	344
	11.	355
	24.	686
XVIII.	20.	710

Cap.	Vers.	Pag.
XVIII.	23.	831
	36.	798
XX.	28.	401
XXI.	7.	855
	17.	344
	18.	854
	26.	749. 756
	ACTOR.	
I.	9. 10.	311
	17.	100
	24.	290. 345
II.	3.	356
IV.	12.	287. 345
V.	3. 4.	351
VII.	35. 38.	336
VIII.	32.	719
IX.	6.	223
X.	36.	344
	38.	351
XII.	8.	800. 854
XIII.	2.	351
	39	345
XV.	11.	334
XVII.	25.	326
	27. 28.	331
XVIII.	6.	835. 840
XX.	22.	351
	28.	297. 298. 302. 345
XXI.	11.	854
XXVIII.	25.	351

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1066
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	ROM.	
I.	4.	351
	16.	332
	19.	315.316
	20.	229
II.	8.9.	96
	14.	316
	15.	315.316
III.	23.24.	304
	25.26.	193.302
	28.	122
IV.	14. seqq.	122
	17.	318
	25.	311
V.	1.	302
	10.	301
	12.	518
VI.	17.	97
	23.	100.213.293.479.482.513
VIII.	3.	299.346
	9.	346.353
	14.	351
	21.	85
	26.	351
	32.	199.290.291.302.303.344 347
IX.	1.	345.351
	5.	290.297.344

Cap.	Vers.	Pag.
X.	16.	719
XI.	20.	122
	23.	345
	34.	323
	35.	326
	36. 291. 336. 340. 341. 347. 351. 354.	
XII.	3.	452
	19.	198
XV.	12.	345
XVI.	26.	329
	I. CORINTH.	
II.	10.	351
	12.	353
III.	16.	351. 355
IV.	18.	85
VI.	11.	351. 355
	19.	85. 355
VIII.	6.	320. 341. 345. 347
X.	21. 26. 28.	344
XII.	7.	452
XIII.	12.	162
XV.	27.	305
	28.	326
	42.	439
	II. CORINTH.	
III.	17.	351
IV.	13.	99
V.	18.	302
	21.	302. 308. 719
VI.	16.	355

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1068
DFG

Cap.	Verſ.	Pag.
VII.	1.	351
VIII.	9.	309. 460
	14. 15.	183. 186
XIII.	13.	336. 348. 351. 451
	GALAT.	
III.	13.	308
IV.	4. 5.	291. 346. 349
	6.	353
V.	6.	166. 173
	EPHES.	
I.	17.	351
	20.	311
	23.	290. 312. 344
II.	10.	165
	22.	351
III.	9.	345
	20.	259. 331. 672
	6.	320. 341. 347
	8.	310
	10. 11. 12.	305. 344
	23.	355
	24.	349. 472
V.	26.	355
VI.	2.	454
	PHILIPP.	
I.	19.	353
II.	6. 7. 8.	306
	9.	298. 310
	10.	289. 291. 310. 298. 345

Cap.	Vers.	Pag.
II.	11.	310
III.	20. 21.	345
	COLOSS.	
I.	15.	344.346.347
	16.	345
	20	731
II.	2.	344
	3.	290.298.345
	9. 234.295.298.312.344.450.552	
	23.	111
IV.	4.	637
	I. THESSAL.	
I.	9.	324
	II. THESSAL.	
II.	8.	353
	13	354.355
	I. TIMOTH.	
I.	5.12.	345
	13.	100
	16.	328
II.	1.	90
	4. 5.	304.324
	6.	291
III.	16.	292
IV.	8.	168
VI.	15.	322.643
	16.	315. 322.333

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1070
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	II. TIMOTH.	
II.	13.	225. 261. 332
	19.	327
III.	16.	334
IV.	13.	798. 800
	TIT.	
I.	1.	173
	4.	452
II.	12	85
	13	290. 344
III.	5.	122. 351
	I. PETRI.	
I.	2.	355
	3.	162
	9.	166
	22.	355
II.	22,	518. 719
	24.	719
III.	18.	221
IV.	8.	413
	17	96
	II. PETRI.	
I.	4.	451
	10.	162
	17.	342
	21.	350. 351
II.	4.	96
III.	9.	190. 213

Cap.	Vers.	Pag.
	I. JOHANN.	
I.	3.	344
	7.	298. 301
II.	1. 2.	304
	23.	334
IV.	8.	324
	9.	327
	12.	332
V.	7.	336. 337. 351
	9.	351
	11. 12.	334
	20.	324. 344. 347
	HEBR.	
I.	2.	347
	3.	291. 344. 345. 346. 446
	4. 5.	346
	6.	345
	8.	395. 408
	12.	344
II.	7.	309
	14.	292. 301. 307.
	15.	301
	16.	221. 290. 301
	17.	290. 590. 766.
IV.	13.	323
	15.	290
V.	14.	174
VI.	26. 27.	301
VII.	3.	294

Cap.	Vers.	Pag.
IX.	12.	302
	14.	351
X.	10.	355
	30	198
XI.	23	454
XIII.	8	297. 344

EPIST JACOB.

I.	7.	329
	22.	173
II.	19	175

APOCAL.

I.	4.	351
	8.	290. 344
	17.	344
	18.	189
II.	23.	345
XVII.	14.	643
XIX.	19.	643
XX.	15.	216
XXII.	13.	344

Rerum & Verborum itemqve Auctorum, qvi, & ubi allegantur,

INDEX.

ABgarus, 623
Absolute posita interdum intelliguntur non absolute, 135
Abulensis, 812
Accidentium cognitio, affectiones, demonstratio, 48. 49
Achilles à Virgil. descriptus, 606
Actiones crebro iteratæ, an causæ sint habituum: 117
Actio Physica, & Actio moralis, differ. 116
Actus moralis, & Medium morale, differ. 171
Actus moralis qvis, & qvomodo comparatus? 115
Actiones materiales in homine, unde proveniant? 550
Actio secundum Legem, hominis renati, an medium Salutis dici possit, 110. seqq.
Actionis malæ materiale & formale, ad Dei Voluntatem relat. 325
Activa qvædam verba, linguæ proprietate, non

non actionem seu causalitatem, sed permissionem saltem notant, 119
Agendi modus, ex modo subsistendi fluit, 354
Adamus formæ qvoqve nobilitate DEUM referebat, 381
Adrianus Imp. Antinoum in Deum consecrat 368
Christian. Adrichomius, 626. 635
Adulteram cur Christus non condemnarit, 757
Ægyptii Monachi, 481
Ægyptiorum Dii, cultusqve nefandi ac ridiculi, 572. seq.
אלהים, qvalis vox, ratione significationis & constructionis, 335
אלהים Judices dicuntur, 88. seq.
Ælianus, 795
Æmilius Probus, 781
Æneæ forma à Virgil. descripta, 605
Æqvabilitas in liberalitate, 186
Æqvalitas, 512
Æqvivoca, 45. 406
Æqvivocum qvotuplicer dicatur 156. seq.
Aëris natura, 497
Aëris ac regionis natura, qvid in coporis constitutione efficiat, 741. seq.
Æternitas, qvid? 329
Æthiopes Regem eligunt, qvi pulcherrimus sit 383
Aëtius, 13
Affectus, & eorum differentia, 327
Agatho, Deum non omnia posse, dicit, 236

Agesilaus Rex Spart. 537. 585.
Agobardus 633
Joh. Agricola Islebius, 109
Agrippa, 16
Alcibiades, 781. 783
Alexander Imp. 652
Alexander Magnus, 618. 653
fœminæ venustate ac lepore capitur, 373
Ejus dictum, de corporis cultu ac venustate, 367. seq.
Petrus de Aliaco, 250
Altempsiani, 647. seq.
Amalek, Amalekitæ, 268. seqq.
Ambrosius, 84. 208. 412. 414. 870
Ambrosium D. Bernhardus magnifico ornat elogio, 167
Amor, qvid, 327
Amor Dei, qvotuplex, 327
Amorem Christo habendum esse dupliciter considerari potest, 773
Moses Amyraldus, 375. 898
Anabaptistæ, 890
Anacharsis, 530
Anacreon, 391
Analoga, 43. seqq. 156. 157. 406
Analogia, 364. seq.
Anastasis, nomen templi, 648
Andradii argumentatio, 254
Andronicus Comnenus, 617
Angelologia, 40
Angelorum species, qvibus Filius DEI in V. T.

V. T. apparuit, 349
Angelorum cultores hæret. 438
Anianus Chrysostomi interpres, 679
Animæ nostræ nobilitas considerandæ, 468. seq.
Animi mores corporis temperamentum sequi, Galenus disputat, 515
Anthropomorphitæ, 248. 480
Antinomi, 109
Antiqvitatis consensus, 59
Antoninus, 806. 809
Antyllus è mortuis revocatus, 969. seq.
Apelles hæret. 762
ἄπνους, ἄπνοια, qvid, 959. seqq.
Apollinaris, 14
Apparentes in V. T. Angelos, seu Viros, non fuisse personas erectas, demonstratur, 349. seq.
Appropriatio operis externi in Personis SS. Trin. qvid, & qvotuplex, 342. seqq.
Appropriatio in Persona Christi, & ejus modus, 297. seqq.
Appropriatio ad παράστασιν terminata, seu παραστατικὴ, 350. 356
Apulejus, 889. 902
Aqvilus color, 610
Aratus, de omnipotentia Div. 236. seqq.
Argumentum, & Principium, ἰσοδυναμοῦντα, 59
Arias Montanus, 828
Aristæi Proconnesii fatum, 967. seqq. 973
Arius, 13

Aria-

Ariani, 314
Jac. Arminius; Arminiani, 14
Josua Arndius, 359. 360. 593. 623. 624. 633. 636. 745. 852
Aristoteles, 13. 33. 42. 42. 47. 51. 53. 64. 227. 230. 236. 379. 382. 474. 483. seqq. 486. 487. 536. 539. 547. 558. 560. 608. 739. 780
Aristotelis error, de æternitate corporum cœlestium, 48
Arnobius, 889
Christoph. Arnoldus, 622
Arnulphus Episc. 628
Artem & scientiam qvantum qvisqve laudet? 10
Artemoniani, hæret. 762
Athanasius, 635. 640
Pseudo-Athanasius 638. 640. seq.
Athenæus, 383
Athenagoras, 914
Aug. Conf. 286. 291. 313. seq.
A. C. Apologia, 11. 168. 357. 477. 508
Augustinus, 3. 11. 15. 22. 37. 38. 73. 88. 111. 174. 197. 206. 207. 209. 235. 246. 247. 249. 251. seqq. 259. 261. 278. seq. 315. 355. 413. seq. 481. 589. 614. 672. 676. seqq. 726. 760. 806. 814. 824. 889. 902. 904. 908. 912. 914. seq. 919
Augustini encomium, 167. 279. 915
Antonius Augustinus, 643. 646. 653. 659
Augustus Imp. 387. 388. 609. 610. 671. 745. 848
Aurelianus Imp. 828
Auri natura, 495. 507

Auto-

Autoritas Doctorum, 59
ab Autoritate negata, in rebus facti non ducuntur firma argumenta, 708
Averroës, 491
Avicenna, 488

B.

B. Balduini lib. de Calceo antiq. 806. 808 seqq. 812. 819. 824. seq.
D. Frid. Balduinus, 132
Baptismi operatio rationi absurda videtur, 260
Barbara vocabula in disputatione Scholastica, an toleranda, & qvatenus? 70. seqq.
Barbaræ voces qvænam? 74
Jo. Barclaji Euphorm. 290
Rob. Baronius, 153. 599. 611. seqq. 624. 640. 644. 843. 869. 870
Baronii in multis suspecta fides, 792
Barradius, 797. 808
Basilius, 3. 402. 411. 435. 437
Jac. Batelier, 123
D. Balth. Belelius, 256
Frid. Bechmannus, 118
Beda, 628
Beguinus, 931
Bellarminus, 404. 410. 533. 600. 640
Armandus de Bello visu, 145
Pet. Bembus, 6
Benedictiones, per SS. Trinitatis compellationem in Script. fiunt, 336
Matth. Berneggerus, 636

D. Bern-

D. Bernhardus qvando, & qvibus ſtudiis vixerit, 166. genus dicendi, *ibid.* Commentatio in Canticum Cant. 692. ſeq.
D. Bernhardus citatus, 86. 163. 164. 167. 353. 413. ſeq. 420. 446. 467. 686. 775. Fidei ſoli ſalutem adſignat, 167
Frid. Beſſelius, 189
Beza, 129. 598
Biblia Germanica Judæorum Conſtant. 177. 277
Bibliotheca Guelpherbytana, 849
Matthiæ, Hung. R. 604
Veneta Beſſarionis, 602
Gabr. Biel, 249
Bionis dictum, 386
Dn. Henr. Bœclerus, 49. 949
Boëtius, 226
Boëtii dictum: Videri hominem potius pulchrum, qvam eſſe: qvomodo intelligendum? 376
Sam. Bohlius, 365
Bonitas diverſo ſenſu Deo tribuitur, 326
Bonitas moralis, qvid, & qvo ſpectet; 142
Bonum, aut malum ſimpliciter, qvid? 206
Bona opera: æqvivocatio termini, 112
Bonorum Operum definitio, 111. 166. Subjectum, principia, forma 111. ſeqq. Eorum neceſſitatem qvare in Eccleſiam reducendam putent aliqvi, 124. B. O. à D. Bernhardo vocantur meritum Vitæ æternæ. 163. ſeq. item, Via Regni, ibid.

Bonis operibus conservari salutem: qvo sensu DD. Lutherani dixerint. 158. 159
B. O. Pontificii medium Salutis faciunt, 122. Calixto sunt Salutis causa per accidens, & qvalis; 145. seq. 148. Præmiorum vitæ æternæ media esse, an concedendum, & qvomodo? 167. seq. Conservant Salutem, sed improprie, 158. seq.
Bonorum Op. per accidens causandi ratio qvid complectatur, 150. seq.
Bene operans qvalis sit causa respectu operationis; qvalis it. respectu Salutis; 151
Bona corporis, 378
Bona externa ad felicitatem seu perfectionem internam utiqve reqviruntur, 474. seqq.
Lazarus Bonamicus, 6
B. Bonaventura, 807. 810. 812
Petr. Borellus, 932. seq. 935. seqq. 939. seqq.
Albertus Bottonus, 967
Carolus Borromæus, 642
Hier. Bosius, 841
Angelus Breventanus, 645
S. Brigitta, 626
Thomas Broune, 261. 918. seqq.
Bucanus, 469
Burgensis, 808
Jo. Buxtorfius, 99. 866. 879

C.

Cajetanus, 263. 430. 808
refellitur à Melch. Cano 211
Calcinatio Plantarum, 919. 930. 936

Caliga antiqvitus qvid? 802. 822
D. Ge. Calixtus, 32. 74. 112. 125. 130. 139. 894. 899. Ejus Theologia Moralis, 125. 134. Ejus verba de Bonis Oper. qvem conceptum generent, 134
Calixtini inaniter distinguunt inter media salutem conservandi, &, media salutem non amittendi, 130. seqq.
D. Fr. Ulricus Calixtus, 129. 139
Calor an ignis sit proprium, 498
D. Calovius, 129. 173. 502
Jo. Calvinus, 890
Calvin. Doctores præcipui, 215
Calviniani notantur, 266. 283
Calvinianorum injusta actio in Lutheranos. 18
Calviniani ex 1 Sam. II. 25. Absolutum decretum probare neqveunt, 103. seqq. Ipsorum hypothesis pugnat cum sanctitate ac bonitate divina, 106. Potentiam Dei ex potentia naturæ æstimant, 264. Eorum sententia discors, de Bonis Operib. 123. Doctrina circa decretum Dei damnationem hominum concernens, 215
Calvinians infra lapsariis mitiorem nonnulli sententiam adscribunt, sed male, 107. seq.
Joach. Camerarius, 49. 598
Phil. Camerarius, 647. 649
Candor corporis, 388
Melchior Canus, 8. 14. 17. 25. 35. 172. 174. 211. 430. seq. 436. 769. Laudatur, 16. 69. iniqvus ac vanus obtrectator Lutheranorum,

rum, 14. 16. Ejus responsio, pro necessitate studii Philosophici, 2
Capilli causa materialis, 531. Capilli nigri, ruffi, 549. 551. seq.
Caput opertum, cujus rei signum? 872. seq.
Capite operto sacra facere, 872
Capite aperto esse, 874. seqq.
Capitis rasura, & calvitium, 876. 878
Charitas operit delicta, qvomodo? 413
Carneades, 379
Carolus Magnus, 634. 650
Carolus Dux Croyacus & Arschotanus, 656
Carolstadius, 282
Casaubonus, 388. 598. 599. 609. 610. 617. seq. 624. 790. 804. 658
Cassiodorus, 84
Joseph. Castalio, 643
Seb. Castellio, nominum novator, 73
Casula, seu Planeta, vestis genus, 869. 871
Cathæi regem eligunt pulcherrimum, 383
Catullus, de statu post mortem, 888
Cavillonius, 282
Causæ vocabulum significatione ampliore acceptum, 202. est analogum, inæqualiter competens speciebus suis, 157
Causale aliqvid esse potest, & non causale diverso respectu, 119
Causa qvo respectu dicatur medium, 116
Architectus qvalis causa respectu domûs; qvalis it. respectu lucri promeriti, 118
Causa universal. & partic. 61. Principalis, & instrum. 194, impulsiva ab extra, 201

Causa efficiens, 140. Ejus causalitas, 113. 115. seq. 118. 155
Causa per se, & per acc. physice & moraliter consider. 149. 151. 153
Causa per accid. qvotupliciter dicatur, 145. an vera causa; 147. seq.
Deum esse causam per acc. peccati, qvomodo defendant & explicent, 152
Causa moralis, causa æqvivoca, sed qvomodo, 150. 156. 157
Causa moralis, versa causa, 157. qvid sit, 188. seqq. 194. ejus ratio formalis, 117. 189. 193. Ejus causalitas, 153. seq.
Actio & intentio caus. moral. constituunt, 211
Causa moral. divid. in meritoriam, & non-merit. 193. Causa mor. minus principalis, 140. seq.
Causa physica, 188. 194. Sola verè est causa, 150
Causa phys. & causa moral. reducuntur ad causam per se, & per accid. 149
Cedrenus, 633. 650. 656
Celsus hæret. 225. 415. seqq. 669. 734.
Christus, qvid significet, 287. seq.
Doctrina de Persona Christi à Jesuitis corrupta, 283
Divinitas Christi probatur, contra Socinianos, ac Celsum, 290. seqq. 401. 415
Christi generatio æterna à Patre, 291
Christus dicitur Germen Jehovæ, it. Fructus terræ, 346. Item Jehova; El; Elohim; Θεὸς, Κύριος 344. 290

Christi

Christi exitus à Patre generationem, ejus notat, 346
Humana Christi natura comprobata, 292. ad imaginem divin. formata, & egregiis donis prædita, 293. per se ἀνυπόστατος, 292
Christi anima an ab instanti creationis clare Deum viderit; 769
Christus formâ corporis, ab infantia, omnium mortalium pulcherrimus, 293. 392. seqq. vid. Pulchritudo.
Christi facies majestate conspicua & veneranda, 419
Christi statura, 448. 883. seq. qvare non gigantea, 552. seq.
Unio naturarum in Christo, 293. 296. 441. 465. ab Ecclesia antiqva descripta, 294. Unionis hujus ratio, 296
Divina Christi natura absolutè considerata, non est incarnata, 291
Humanæ in Christo naturæ subsistentia, 265. 294
Humana Christi natura, propriâ carens subsistentiâ, tamen perfectissima, 293. assumta est non per modum subjecti, 329
Communicatio naturarum, 296
Natura in Christo neutra qvicqvam sine arctissima alterius communicatione agit, 300
Salutis nostræ negotium nullibi non ab utraqve conjunctim natura Christi procedit, 300
Communicatio personæ in Christo, qvomodo ab unione differat, 295

Communicatio Idiomatum in Persona Christi, 296. 452. seq. 455. seq. 465, 592. 664. à Calvinianis negatur, 283. seq.
Communicationis modus in Idiomatibus Naturarum Christi, 298. seq.
Commun. Idiom. alii tria, alii 4. genera faciunt; qvæ recensentur, 296. seqq.
Attributa divina de Hum. Nat. prædicantur, & qvomodo; 298. seq.
Majestas div. humanæ nat. communicata, 298
Christus secundum carnem omnipræsens, 264 seq. 283. 311. seq. Christi corpus in S. Cœna, 19. 906. Carnis Christi gloria & honor, 289
Humanam Christi Nat. esse omnipotentem; omni caret contradictione; 257
Præsentia Christi ad extra, s. externa; & præs. interna, differ. 309
Ἀποτέλεσμα, in tertio genere comm. idiom. 299
Christi status exinanitionis, & exaltationis describuntur, 305. seq. An status addendus intermedius? 306
Christi exinanitio, seu status exinanitionis; ejusqve gradus ac species, 306. seqq. 459. seq. 761. seqq. 767. seq.
Christi conceptio, ac formatio, 306. 419. 483. 562. 572. 587. seq. 697. Nativitas, 307
Christus statum Dei glorioſum, μορφὴν τῦ θεῦ, prorsus deposuerat, non a. tantum occultaverat, 308. Qvomodo fratribus per omnia similis factus sit, 766
Obedientia Christi, 302

Christi adolescentia, 749. 753. Status in his terris miser atqve contemptus, 719. seq.
Christi paupertas, 458
An Christus ad mendicitatem usqve pauper fuerit, 784. seq. 830. An eum nunqvam risisse, firmiter probari possit; 709
Forma Christi externa Vid. F.
Christi Transfiguratio Taborica, 749. 752
Christi Passio, 307. Passiones & calamitates Christi, qvantum ab hominum pasionibus differant, 783
Christus tanqvam καθάρα tractatus, 308. dolores infernales atqve intensione infinitos passus est, 308.
Christi derelictio à Patre, qvid; 307. seq
Christi mors, & sepultura, 307. 457. descensus ad inferos, 310. Resurrectio: Adscensio ad cœlos; 311. Status Exaltationis, ejusqve gradus, 305. 310. seq. Sessio ad dextram Patris, qvid; 311. Apparitiones, 702. seq.
Officium Christi tergeminum [aliis geminum] exponitur, 300. seq. Propheticum, 300 Sacerdotale, ejusqve partes; Satisfactio, & Intercessio, 301. seq. 395. Regnum Christi triplex, 304. seq.
Christi Sponsa, 694. cur non pulchra sit corpore, 695
D. Mart. Chemnicius, 161. seq. 168. 208. 254. 265 seq. 404. 451. 464. 632
χιτὼν, qvid, 833

Chrysostomus, 3. 184. 209. 229. 252. seqq. 368. 409. seq. 413. seqq. 572. 592. 679. 720. 775. 790. 793. 806. 870.
Chrysologus, 947
D. Dav. Chytræus, 9. 131
Chymica mercurii resuscitatio, 918. 945
Chymicorum fraudes ad Atheismum pellicientes, 945. seq.
כי qvalis particula, 96. 99
Petr. Ciacconus, 802. 806
Cicero, 65. 363. seq. 373. 391. 445. 605. 899. 956. seq
Cingulum: cingendi mos, 853. seqq.
Claudius Imp. 388
Gasto Claveus, 495
Clemens Alexandrinus, 2. seq. 236. 251. 361. 366. 368. 373. 381. 413. 572. 578. 727. seq. 953. seq.
Clemens. Rom. 246. 949
Clemens V. Papa, 785
Cliviæ Annales, 822
Rob. Cocus, Anglus, 620. 641
Cœlestia corpora generationi & corruptioni subjecta, 48
Cœli ab Aëre qvænam differentia? 48
Colloqvium Altenburgense, 124
Coluthus; Coluthiani, hæret. 206. seq.
Coma flava, 608
Comparatio implicita, 436
Compositio rationis, 321
Concilium Ephesinum, 281. Chalcedon. 281. Ilerdense, 415. Avinionense, 785. Tridentinum, 398

Con-

Concretum naturæ, in doctrina de Christo, qvid, 297
Concursus generalis & specialis, 192
Conditionalis propositio, 405. seq.
Conditio sine qva non, 115. seq.
Conditio moralis omnis, alicujus causæ moralis causalitas est, 119
Herm. Conringius, 928. seq. 934. 937
Conscientiæ stimulus, Deum esse arguit, 317
Conservandi modus non causalis, 161
Constantinus M. 611. 614. 644. 649. 652. 656
Constantius Imp. 645
Constantia uxor Licinii, 636
Contradictoria, 21. 24. Omnia æqvaliter sunt impossibilia, 256. dist. in materialiter, & formal. accepta, 264. Deus ea non potest, 256
Contradictionem implicare, qvid sit; 244. 259
Contradictio sæpe videtur, nec est, 259
An aliqvid respectu potentiæ divinæ contradictorium sit, non ubiqve dijudicare possumus, 263
Humanam Christi naturam esse omnipotentem, non implicat, 257
Contradictio in adjecto, 264
Conversio hominis per verbum, 223
Corporis in pluribus locis præsentia 264. seq.
Corpus bene constitutum definitur: 523
Corporis qvantitas ac statura, 557
Corporis statura grandior, 558. Principem commendat, 391
Corporis majestas apud omnes gentes venerabilis habita, 382

Κεφάλαιον, qvid; 856. seq.
Creare, & Creatura, qvid; 318
Creatio, ἔργου θελήσεως, 222. qvâ ratione Deo Patri approprietur; 342. seq.
Joh. Crellius, 14
Crucis signum qvis primus clypeo, nummis &c. inscripserit; 649
Crusii Annal. 972
Petr. Cunæus, 382
Godofr. Cundisius. 478. 509
Q. Curtius, 382. 874
Cyprianus, 3. 228. 410. 721
Cyri dictum, 584
Cyrillus, 209. 234. 284. 315. 411. 433. 435
Cyrillus Alexandrinus, 248. 261. 445. 954

D.

DÆmonum cur Deus non, ut hominum, misertus sit? 303
Jac. Dalechampius, 603. 960
Jo. Dallæus, 429
Jo. Damascenus, 222. 623. 633. 889. 895
Petr. Damianus, 225
Damnati à qvo torqveantur, 191
D. Dannhauerus, 33. 64. 97. 147. 470. 477. 517. 631. 697
Decretum absolutum Calv. 103. seq.
Defectus proprie qvid; 204
Deformitas corporis laudi Virtutis nihil derogat, 367. seqq. in bona temperie, unda oriatur? 483. ad contumeliam invivitat, 712

Demo-

Democritus, 486. 898
Dependentia, & Independentia, 44
Dependere qvid proprie dicatur, 126. 143
David Derodon, 283
Desiderium, 327
Vox Deus, qvid significet, & qvid sonet; 314. 897
Per Independentiam DEUS formaliter est DEUS; 245
Deus sui ipsius Principium & finis, 233
Factum esse, Deitati repugnat, 232
Simplicitas Essentiæ Divinæ probatur, 321
Deus consideratur, vel qvoad Essentiam vel qvoad Personas, 317. qvoad essentiam, qvid; ibid.
Dei Unitas absolute, & respective, spectatur, 320
Personarum in Deo pluralitas probatur, 335
Earum trinitas ostenditur, 336
Articulus de Deo Uno & Trino, in Script. firmissime fundatur, 357. seq.
Fides de Deo Triuno, Christianorum propria, 339
Deum essentia unum, esse personis trinum neutiqvam contradictio est, 257
Personarum realis differentia docetur, 337. seq.
Ordo Personarum internus, & externus, qvomodo denotetur, 347. seq.
Trium Personarum Divinitas demonstrata in genere, 336. seq.

Deus

Deus non componitur ex Personis, sed ex iisdem subsistit, 339. Vide Persona.
Personarum proprietates externæ, nihil aliud sunt, qvam ordo earum internus, in externis operibus manifestatus, 341. seq.
Persona SS. Trinit. singulatim consider. 336 seq.
Modus agendi in Personis divinis duplicit. ter spectatur, 354. seq.
Deus Pater: proprie accepto vocabulo, & improprie, 339
Potentia Dei generativa, 222
Deus Pater, qvomodo sit Prima Persona, 340. Fons est Deitatis, 340. Ejus proprietas characteristica interna, 340. ad extra, 341. Ex se agere, qvomodo dicatur, 342. A se agit, per Filium, in Spir. S. 341. Speciem Grandævi Viri sibi appropriat, 342. it. Vocis delapsæ Symbolum, 342
Deus Filius, 344. Ejus divinitas probatur, 344. seq. Unde dicatur λόγος, 340. Ejus Generatio, missio in mundum, 346. Incarnatio, 293. Vid, lit. I. Assumtâ carne mutationem non subit, 329. Ejus Character hypostaticus ad intra, 291. 346. 348. ad extra, 347. seqq. In V. T. species qvasdam παραχωρισικῶς sibi appropriavit, 349. Apparationes ejus in V. T. 292. 300. 305. Vid. Christus & Messias.

Spiri-

Spiritus S. Vid. lit. S.
Divina Idiomata, 452
Attributa Dei, qvales forment conceptus, & qvomodo à Deo & essentia divina differant, 391. seq.
Attributa divina enumerantur, 320
Div. attributa ἐνεργητικὰ, in Articulo de Christo, 297. 298
Dei independentia, 901
Dei Veritas, Metaphysicè, & moraliter considerata, 324
Perfectio Dei, 322. 897. 901. Dei perfectiones duorum sunt generum, 450
Vita in Deo, qvid; 328
Essentia div. incomprehensibilis, & qvatenus; 315. 333
Deus ineffabilis, 315. 333
Immensitas Dei, 330. Ubiqvitas, 330. Qvomodo dicatur infinitus, ibid. Invisibilitas, 332. Immutabilitas, 328. seq.
Intellectus Dei, 322. seq.
Scientia Dei, triplex, 323. seq. Omniscientiæ div. objectum, 323
Potentia divina. Vid. lit. P.
Omnipotentiam div. gentiles qvoqve asserunt 236
Circa Omnipotentiæ div. terminos, contrario, modo peccatur, 219. seq
Doctrina de Omnipotentia div. qvem usum practicum præstet, 267. Vid. Omnipotentia. Dei

Dei bonitas ac beneficia, 195. 205
Dei Sanctitas describitur, 325
Dei Voluntas & ejus objecta, atqve inde proveniens discrimen, 324. seq.
Deus omnium rerum fons & oceanus, 217
Deus effectuum suorum qvalis causa sit, 231
Divina natura in se pulchra, & fons omnis pulchritudinis, 362
Deus res qvaslibet potest meliores facere, 232
Deo passiones tribuuntur; & qvomodo, 221
Dei habitatio in Sanctis, 451. 455. 562
Visio Dei, 422. An Deus per naturam suam videri possit, 333
Dei notitia, 31
Principium, unde Deus cognoscitur. 315
Notitia de Deo innata, 315. seq. acqvisita, 316
Notitia Dei, qva ratione Vita æterna dicatur, 175
In cognitione Dei qvomodo ratio progrediatur, 316. seq. Causalitatis via, ibid.
Per causarum remotionem ad divinam essentiam ascenditur, 318
Naturalis de Deo notitia qvousqve progrediatur, 317
Deum esse gentium consensus probat, 315
Unum esse Deum, etiam gentiles saniores agnoverant, 320
Cognitio Dei fiducialis, 175
Dei nuncupativi, 401
Deistæ, seu Epicuræi, 375
Dii gentilium, amori succubuisse finguntur, 380

Diabo-

Diabolus mortis autor, qvomodo; 197
Dialecticæ usus verus, 17. abusus, 13. 17
Διανόια qvod docent S. Literæ perinde est ac id qvod expressis verbis dicunt, 399
Διαφανὲς qvomodo se habeat respectu visus 120. 163
Δικαιωσύνη, 85
D. Conr. Dietericus, 481
J. C. Dieterichius, 6
Dilherr, 6. 25
Diogenes, de Pulchritudine corp. 379. de moribus inhonestis in corpore formoso, 369
Dionysius Charthusianus, 812
Dioscorus Alexandrinus, 281
Disciplina realis, qvænam; 46
Disciplinæ reali ac theoreticæ propria, 47
Disputandi & contradicendi libido, qvæ damna in Ecclesiam invexerit, 78
Doctoris Ecclesiastici sermo ac stylus qvalis esse debeat, 70. 73
Doctrina Pietatis qvam poscat orationem, 78
Dona ac Virtutes div. in credentibus, 451. 454
Donatistæ Ministrorum Eccles. ἀναμαρτησίαν unde probarint, 88
Joh. Bapt. Donius, 869. 870
D. Jo. Georg. Dorschæus, 429. 770. 793
Jo. Conr. Dürr, 125
Jo. Duræus Scotus, 641
Durandus de S. Portiano, 894

E.

Doctorum Eccles. autoritas 661. 698

Eccle-

Ecclesiæ nostræ Doctores puros non facile debemus adhærentis alicujus nævi insimulare, 160
Ecclesiæ Traditiones, 59. 399
Conclusio Theologica, ex Ecclesiæ tradit. & auctoritate Doctorum, qvalis? 59. seq.
Edessani à Chosroë obsessi, 623
Educationis puerilis finis, 114
Eginhardus, 618
Eli Sac. Sum. 92. seqq.
Gev. Elmenhorstius, 948
Empedocles, 486. 957. 959. 966
Ens qva ens, qvid Aristoteli, 38. 41
Ens per se, & per accid. reale & rationis &c. 44
Ens qvomodo de Substantia & Accidente dicatur, 157
Inter Ens, & non ens, infinita distantia, 331
Facultati ἐνεργητικῇ cuilibet proprium objectum competit, 238
Ἐνέργεια, & Ἐνέργημα, in tertio genere communicat. Idiom. Christi, 299
Epaminondas, 795
Epicharmus Pythagoreus de omniPotentia div. 236
Epiphanius, 448. 604. 621. 865. 894. 948
Epiphanius Monachus, 596
Ἐπίρρωσις, 609
Joh. Episcopius, 14
Er. Armenius revixisse traditur, 952. seq. 955
Erasmus Roter. 10. 637. 676
Eruditionis veræ initium, 73

Essen-

Essentiæ rerum non possunt meliores reddi aut perfectiores, 230
Ἐθελοθρησκεία 111
Ethica, 60. Ethici finis, secundum Aristot. 171
Ethicæ conclusiones, 60
Eucherius, 209
Eclides, 13
Eudoxus, Philos. 898
Emenius Rhetor, 822
Eunomius, Eunomiani, 13. 314
Euripidis imago, 862. seq.
Εὐσέβεια, 85
Eusebius, (Hist. Eccl.) 13. 612. seq. 624. 631. 633. 636. 645. 646. 648. 954
Εὐτελὲς, qvid, 733
Euthymius, 789
Eutyches, 281
Eutychius, 894
Euthymius, 804
Evagrius, 623
Evangelistarum libertas in conscribenda Historia Christi. 706. seqq.

F.

PEtr. Jo. Faber, 939
D. Faber, Med. Heilbr. 965
Facundus Hermianensis, 429
Aretius Felinus, 696
Feminalia, seu feminales fasces, apud veteres, 849
Femoralia veteribus non fuerunt in usu, 848 850

Oct. Ferrarius, 787. seqq. 796. 802. seqq. 841. 853. 858. seqq. 866. seqq. 875. seqq.
Festus, 789
Feuerbornius, 84
Marsf. Ficinus, 372
Fides sola medium Salutis, 120. seq. 139. etiam à D. Bernhardo nuncupata, 167
Fidei salutaris doctrina, jam inde à D. Pauli ævo, varie corrupta, 109
Fides an moralis bonitas sit; & qvomodo agat, 141
Fides qvid ex mente D. Hülsemanni, qvid item ex mente Calixti, 142
Fides secundum Calixtum elevatur à Deo ad justificandi actum, 139. seq. sub ratione Virtutis aut actionis beatitudinem promovet, ibid.
Fidem operibus nudam nonnulli Ecclesiæ obtruserunt, 109
Fides practicam spirat indolem, 176. & in habitu Theologico practici medii vicem explet, 175. Per bona opera exercetur, vegetatur, crescit, 162. 166
Fides qvibus mediis retineatur, 162
Fidei Articulus principalis, 276. 287
Finis dat mensuram mediis, 78. 81
Summus hominis civilis finis, 114
Petr. Firmianus, 389. 655.
Flacius Illyr. 11. seq.
Florinus, Floriniani, hæret. 206. seq.
Fonseca, 223. 226

Petr.

Petr. Foreſtus, 962. ſeq.
Formæ venuſtæ Divinitatis veſtigia inſunt, 380
Forma ac venuſtas viris competens, 386. ſeq.
Forma virilis, muliebris, puerilis, 542. ſeqq.
Forma θεοπρεπὴς, 446
Forma Chriſti à Nicephoro, it. Lentulo, ac Joſepho deſcripta, 593. ſeq.
Quæſtio de forma Chriſti, qvo pertineat, 430
De forma ac pulchritudine Chriſti cur nihil prodiderint Evangeliſtæ, 749. ſeq.
Servilis forma in Chriſto, qvid notet, 830
Chriſti forma & ſtatura, qvid nos admoneat, 886. ſeq
Chriſtum corpore formoſiore fuiſſe, qvam Adamum, demonſtratur, 371
Chriſti forma eximia & divina, ad capiendos hominum animos efficax, 393. Vid. Pulchritudo.
Chriſtum forma corporis omnium fuiſſe pulcherrimum aſtruitur, 392
& probatur argumentis. Argumentum primum, 394. ſeqq. Argum. II. 441. ſeqq. Argum. III. 465. Argum. IV. 482. Argum. V. 571. Argument. VI. 593. Argument. VII. 661. Vid. Imago.
Forma corporis fucata, 370

Form. Conc. 213. 286. 296. 299. 310. 312
Fortuna & casus in Physicis, 146
Seb. Foxius, 954
Marqvardus Freherus, 646. seq. 649
Jo. Freinshemius, 72. 367. 384
Fridericus III. R. Dan. 924
Jo. Frischmuth, 257
Andr. Frisius, 877
Wolfg. Franzius, 950
Fucus faciei, ab antiqvis etiam Ecclesiæ Doctoribus acriter reprehensus, 370

G.

GAlenus, 13. 501. 528. 560. 958. 960. seq.
Galilæi, naturâ qvales, 744. seq.
Gallienus Imp. 653. 657
Petr. Gassendus, 489
D. Mart. Geierus, 84. 434. 437. 840. 851. 867. 874. seq. 879
Gelasius, 624
A. Gellius, 841
Generatio qvid, 347. est ἔργον Φύσεως, 222. Qvalis generans, talis generatio, 347
Generatio, Dei Filii à Patre, vere & proprie sic dicitur, 347
Genii, ex mente Aristot. qvid; 40
Gentiles omnipotentiam div. diserte non negarunt, 234. 236. rei possibilis sanam rationem agnoverunt, 247. seq. Servatorum suorum imagines colunt, 613. à Zwinglio Saluti æternæ adjudicati, 20

Genu-

Genuflexio Phil. II. 10. qvid denotet, 289
Georg. Major, 110
D. Jo. Gerhardus, 429. 470. 477. 600. 640. 722. 797. 833. seq. 844
Sal. Gesnerus, 696
Gigantes, 558
D. Sal. Glasius, 132. 273. seq. 828
Gloriam suam Theologi qvidam malunt qværere, qvam Christi gloriam, 77
Gnostici, 894
Dion. Godofredus, 958
Physica Gothana 489. 504. 945
Græciæ natura & temperamentum, 530. 536
Grammatica, 15. 28. 43. 46. 53. 59
Gratiæ vox late patet apud Latin. 685
Gratia Dei singularis atqve extraordinaria, 98. seq. Gratia Dei revocans, 97
D. Alb. Grawerus, 18. 22. 24
Gregorius M. 209. 948
Jac. Gronovius, 953
H. Grotius, 84. 123. 161. 249. 258. 898. seq. 914 951. 970

H.

HAbitus in Prædicam. Qvalit. 45. seq.
Habitus practicus in rigore; & analogicè talis, 175
Habitus pract. analogicè dictus, qvodnam reqvirat medium, 175
Habitus instrumentales, 15
Hadrianus Papa, 611

Hæresium & errorum origo, 2
Hæretici plerumqve eruditi, 13
Petr. de Harentalis, 697
Hartmannus 931
Hebraica Lingua commendatur, 7. 8. 9. Ejus usus qvis, 15. à qvibusdam parvi penditur, 6. 11. Augustini ex ignorantia Hebr. Linguæ lapsus, 88
Helladii Lexicon, 49
Jo. Henichius, 899. 905. 910. seq.
Jo. Otto Henkelius, 498
Heraclius Imp. 643. 644
Heraclius Ponticus, 957. seqq. 965. seq.
Herodotus, 383. 874. 876. 951. 967. seq.
Hesychius, 870
Hieronymus, 3. 11. 208. 248. 409. seq. 417. 437. 661. seqq. 680. 721. 727. 774. 811. 824. 849. 870. 876. 893. Laudatur, 661. 676
Jo. Hierosolymitamus, 894
Hierosolym. excidium, qvo anno factum, 638
Hilarius, 3. 251. 410. 531. 577
Hirundines hyems tanqvam mortuas tegit, 965
D. Dan. Hoffmannus, 21
Holcot. 250
Holcotianum & Bricotianum seculum, 70

Home-

Homerus, 558. 606. 608.
Homerus de infinitate & omnipotentia Dei, 901
Homileticum dicendi genus, 166
Homo qvo fine à Deo creatus, 478
Humani corporis fabrica, ad Numinis notitiam argumentum præbet, 381
Zach. Hogelius, 949
Horatius Poëta, 236. 577. 609
Horatius Tygrius, 644
D. Conr. Hornejus, 25. 124. seq. 130
Jo. Henr. Hottingerus, 429
Janus Huardus, 520. 528. 532. 534. 536. 557. 591. 619. 750
D. Jo. Hülsemannus, 97. 141. 161. 200
Hundeshagen, 152. 154
D. Leonh. Hutterus, 132
Hymenæus & Philetus, 894
ὑποδήματα qvid, 801. 809. 817. seq. 820. seq.
Hypostaseos natura ac ratio, 22. 292

I.

Identitas rei: &, unde res dicatur eadem, 907. 910
Nomen Jahova, 88. 290. 319
Jejunium Christi miraculosum, 520. seq.
Jejunia aliorum qvorundam, miraculi speciem habentia, 521
Jesus qvid sonet, 287. Nomini Jesu qvare externa veneratio exhibeatur, 289
Jesuitæ, 282. 586. 664. Circa Personam Chri-

Christi nova dogmata fabricantur, & veteres hæreses revocant, 282
Illustris proprie Lux dicitur, 364
Imago divina describitur, 465. seqq.
Imago div. in Hum. Christi natura, 293
Imago div. per Christum, Imaginem Dei essentialem, in nobis resturata, 349
Imaginum Christi effictarum genera, 622 seqq.
Imagines Chr. manufactæ, 629. seqq. A Luca picta; it. à Nicodemo, 634. seqq. Aere signatæ, seu nomismata, 643. seqq. 660
Imagines Christi; it. Petri & Pauli, ab Eusebio citatæ, 612. seqq.
Imago Euripidis, 862. seq.
Ἱματισμὸς apud Johannem, qvid, 833
Immortalitas aliter in Deo, ac in Spiritibus creatis, 328
Immortalitas Protoplastorum, unde, 502. seqq.
Impedimenti remotio, causa per accid. qvalis, 145. seqq. 151. seqq.
Imperium infert causalitatem, 196
Impossibile dupliciter dicitur, 247
Ad imposibilia sese extendere, impotentiæ argumentum est, 231. 235. 263
Incarnationis Filii Dei Mysterium, 279. Elegantissimus de ea locus D. Augustini, ibid.
Independentia conceptus Dei proprius esse ostenditur, 318. seqq.

Indul-

Indulgentia parentum, 95
Infantes qvoqve Deum esse norunt, 315
Infinitas. Infinitum dupliciter dicitur, 330
Influxus realis; & intentionalis, 118
Informare materiam, qvalis actus dicendus 241
Ingenium, & ejus causa, 527
Ingenii diversitas, ejusqve species, 529
Ingeniorum in diversis populis differentia, 536
Ingenii boni signa, 531
Insecta hyeme, tanqvam mortua, latent, 965
Instrumentum, 486
Instrumentum morale, 141. seq. 194
Instrumentum physicum, 194
Instrumentalis, & realis tractatio, 52
Intellectus humanus natura fertur ad θεωρίαν & scientiam, 47
Intellectus noster potentiæ divinæ terminus à Scholasticis constitutus, 363
Intellectus noster qvibus rebus ornandus, 67
Intellectus vel discursivus est, vel non discursivus, 322
Intentio duplex, 154
Intercessio apud Deum, 90. 91
Interimisticus liber, 109
Invisibilitas, 332
Invulnerabilitas, 477
Johannis Baptistæ vita & cultus asperior, 779. 792
Joh. Curopalates, 643. 648. seq. 650
Johannes à Jesu Maria, 384. 440

Jonathan Chaldæus interpres, 277
Jo. Jonstoni Lect. Philol. 609
Fl. Josephus, Hist. 594. seq. 745. 788. 849. Ejus de Christo locus, 621. seqq.
Irenæus; 207. 412. 439.
Isidorus Pelusiota, 377. 379. 421. 438. 793
Judææ situs ac temperamentum, 740
Judæi cæteras nationes nulla re imitabantur, 861
Judici an competat ipsa executio, 196
Julianus Apost. 632. 652. 656. 666
Corpus Julium, 128
Franc. Junius, 246. 856. 873. seq.
Patr. Junius, 949
Juris & injuriæ qvodnam capax sit objectum; 215
Justitiæ proportio Geometrica. 499
Justificationis & salutis causæ eædem, 112
Fl. Justinianus Imp. 643. seqq. 653
Justinus Martyr, 900. 902. 916
Juvenalis, 608

K.

Keckermannus nimium tribuit rationi ac Philosophiæ, 20
Athan. Kircherus, 923. 937. seq.
Kirchmannus, de Funer. 874
D. J. Frid. Königii Theol. posit. Acroam. 210

L.

Labbæus, 602
Lactantius, 1. 3. 73. 910

Diog. Laertius, 279. 898. 853. 957. 966
Lainezius, 282
Lamachus, Athen. Dux, 795
Corn. à Lapide, 413. 736. 797. 800
Jo. Lassenius, 924
Latinitatem eruditam nonnulli fastidiunt, præ horridis Scholasticorum tricis, 71
Latina lingva enunciandis rebus metaphysicis minime inepta, 72
Legenda Sanctorum, 625. 640
Publii Lentuli Proconsul. Epistola de Christo, 593. 616. 619. seq.
Leo P. 297
Λέξις. 51
Lexici ratio, 49. seq.
Lexicon philosophicum Thomasii, 40
Libertini, 889
Liberius locutos esse Doctores ante mota certamina, non ubiqve tuto dicitur, 159
Thom. Linacer, 6
Just. Lipsius, 842. 876. Ejus dictum, de perverso philosophandi modo, 77
Locutio impropria de rebus religionis, an concedenda, 159. seqq.
Error in locutionibus, admodum proclivis ad erroneas sententias via, 110
Loqvendi ratio liberior extra certamina, 166
Logica, 15. 17. 20. 28. 43. 59. Ejus objectum, 46
Λόγος apud Johannem, qvid denotet, 291
Petr. Lombardus, 242

Jo.

Jo. Lorinus, 413
Lucas medicus fuit, non pictor, 636. seq.
Lucanus, 235
Lucianus, 609
Lugentium mos, 874. seq.
Lutherus, 162. 184. 282. 356. 433. 473. 695. 895.
Lutherus Scholasticæ barbariei eliminator, 70 77. Veræ Theologiæ instaurator, 77. Ejus exhortatio ad Hebr. Linguæ studium, 7. Judicium de D. Augustino, 279. Non ipsam Philosophiam, sed abusum ejusdem inqve S. Mysteria dominium, impugnat, 16
Lutherani Philosophiam maximi faciunt, contra qvam Pontificii calumniantur, 14. 16. 17
Lutheranis Patrum contemptus à Melch. Cano objicitur, 430
D. Lütkemannus, 911. 913
Lux, 364. seq.
Conr. Lycosthenes, 969
Lyranus, 812
Polyc. Lyserus, 797

M.

MAccovius, Lutheranorum obtrectator, 79
Macrobius, 954. seq. 957
Joach. Maderus, 949
Centur. Magdeb. 593
Jo. Magirus, 486. 491. 501. 564.
Magistratus Deorum nomine notantur, 314
Mahometistæ, ibid.

Jo. Maldonatus, 600. 802. seq.
Malum naturale, 187
Malum morale, ibid.
Malo morali formale qvoddam positivum Theologi qvidam tribuunt, 203
Malum pœnæ & culpæ, 206. 208. ad Dei voluntatem relatæ, 325
Malum pœnæ, unde? 194
Malo pœnali forma qvædam positiva competit, 203
An Deus mali pœnalis causa dici possit, 191. 193
Mali pœnalis efficientiam Deo adscribunt antiq. Ecclesiæ Patres, 207
Qvomodo Deus influat in malum pœnale. 96
Malum pœnale qvod simul culpa est, non est à Deo, 210. seqq.
Manichæus; Manichæi, hæret, 314. 762
D. Erasm. Marbachius, 185. 278
Marcion, hæret. 208. 730. 762
Sam. Maresius, 123
Anton. Margaritha, è Judæo Christianus, 864 866
B. Mariæ Virginis assumtio, 599. Effigies, 634. seq.
Jo. Marius Belga, 785
Corn. Martini, 21. 259.
Jac. Martini, 515
Petri Martyris contra omnipræsentiam Christi dicterium, 264
Mares, & fœminæ, 487
Masora; Masorethæ, 273. 411

Matthe-

Mathematica, 48. 60
Mart. Mauritius, 881
Maximus, insignis proceritatis homo, 617
Medici in Gallia & Britann. Atheismi suspecti, 920. Hinc Religio medic. liber Apolog. 780
Mich. Medina, 736.
Medium qvid significet, & qvotuplex sit, 113 133. 143. est terminus metaphysicæ considerationis, 113
Medium & via, diff. 163
Mediare actionem includit, 114
Media Rintelensibus idem qvod causæ, 120
Media fini proportionata, causæ sunt principales, 129
Medium morale, qvid? 114. 120. 126. seq. 144
Medii moralis, & physici, differentia, 114
Medium morale Theologicum, & Philosopicum, 129
Medium morale, generaliter dictum, & medium conservans; in causa bonorum operum frustra distinguuntur, 158
Medium morale, & conditio sine qva non moralis, non rectè æqviparantur, 116. seq.
Medium esse, & necessarium esse ad aliqvid, differunt, 169. 171
Medium naturale visus, est τὸ διαφανὲς, 120
Media falsa non debent adhiberi ad obtinendam veritatem, 699. seq.
D.P. Meisnerus, 18. 173
μέλας color, 610

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1110
DFG

Phil. Melanchthon, 16. 502. 504
Mendacia non debent esse via ad pietatem, 699 seqq.
Mentiri Deo impossibile, 246. 248. seq.
Alph. Mendoza, 620
Archang. Mercenarius, 495. 501
Hieron. Mercurialis, 801. 958
Meritum omne, est medium, 167
Messias, 287. Messiani characteres, 288
Messiam qvare Deum & hominem esse oportuerit, 290
Messiæ divinitas in Ecclesia V. T. credita, & publice proposita, 292
Methodus Augustiniana, 18. 19
Metaphysica, est disciplina realis, 42. seq. 54. non est Lexicon philosophicum, sed scientia, 51. seq. A nonnullis naturali acumine qvodammodo perspicitur, 15
Ejus finis duplex, 27. Objectum, 29. 46. Disterminatio Thomasiana, 38. seq. Est disc. ἀρχιτεκτωνική, 41. Ejus dignitas ac sublimitas, 68. Contemptores, 6. admiratio nimia ac superba, 14
Metaphysices usus, 9. 10. In aliis scientiis, 16. In facultatibus superioribus, 65. An proprie organicus sit, & ancillaris, 26. seqq. An veteres, itemqve Apostolorum simplicitas, hunc usum evertant, 1. 2
Ejus abusus, 15. 67. seq. 74. seq.
Metaphysicarum propositionum, qvænam in aliis disciplinis ratio usus; 33

Meta-

Metaphysica nil habet contrarium Theologiæ, 67. An & qvatenus Theologiæ ancilla dicenda; 27. seqq. Ornatum dicendi genus non respuit, 71. seqq.
Metaphysicarum subtilitatum elaboratior atqve diffusior cognitio qvo spectet, 78. seq.
Termini Metaphysici, & Theologis, & Philosophis necessarii, 9
In Metaphysicam plures, qvam in alias disciplinas, voces illatinæ irrepserunt, 72
Qvæstionum Metaphysico - Theologicarum delectus habendus, 75. seq.
Controversiæ simplicissimæ terminis Metaphysicis fraudem occultant, 80
Mingens ad parietem, qvem notet, 828
Minucius Felix, 381. 854. 888. 909. 947
Miracula, 181
Miracula Dei, 572. 592. Miraculorum Christi majestas, 667
Misericordiæ affectus, 327
D. J. N. Mislerus, 65
Mistio elementorum, 500. seq.
Jo. Wolfg. Möglingius, Med. D. 935. 965
Jo. Molanus, 620
Levin. Nicol. Molkius, 261. 918. 921. 923. 932
Molicies in mulieribus, non in viris, probatur, 387
Montanus, hæret. 722
Moralis philosophiæ principium, 60
Moralis rerum æstimatio, 367
Phil. Mornæus, 899

Mortis causa [moralis] 197
Mortis vocabulum in Script. late accipitur, 479
Mulieres qvare obvelentur, 873
Muliebris ornatus ac mollicies in viris reprehenduntur, 388. seq
Seb. Munsterus, 696
D. Joh. Musæus, 19. 20. 64
D. Petr. Musæus, 23. 118. 140. 147. 153. 189. 244 905. 908. 910. seq
Mutatio, qvid, 329
Simeon de Muys, 397. 696
Mysteria Theol. non sunt è philosophia explicanda, 22
Mysterii de SS. Trinit. profunditas, 353
Mysteria fidei ratio capere neqvit, & pro contradictoriis habet, 259. seq. 263

N.

NAsi physiognomia, 609
Natura cujusqve rei, 230
Natura qvid, & qvarum rerum effectrix, 524. 527. 534. seq.
Qvomodo agat, seu, qvalis sit causa, 485
Semper intendit perfectum, 370
atqve optimum, 484. 525
Non agit temere, ac nullo fine, 486
Natura, principium est cognitionis Dei, 315
Natura, in hominis elaboratione impedita, 540. seq.

Naturalis Philosophia, 20
Naturalistæ, 890. seq. 920. seqq.
Nazaræi, Nazareni, 620. seqq.
Greg. Nazianzenus, 3. 77. seqq. 522. 527
Necessitas, alia medii, alia præcepti, 121. 169
Necessitas alicujus reqvisiti, non protinus involvit rationem medii seu causalitatis, 132. seq.
Nemesis divina, 92. seq.
Nero Imp. 385. 608. 746.
Nestorius, 14. 19. 281. 283.
Nestorium hæreseos absolvit qvidam Calvinista, 284
Nicæna Synodus, 935. 313.
Nicephorus Callistus, Hist. Eccl. 3. 448. 593. 595. seq. 610. seq. 623. seq. 633. 656. 746
Jul. Nigronius, 802. 819. 822. 825. seq. 849. seqq.
Nivis albedo qvid, 551
Nominales, 44
Nonius, 842
Novarum rerum ac sententiarum noxium studium, 78
Nummi, an firmum de forma Christi argumentum præbeant, 650. seq. 657. seq.
Nummi Zimiscæ, vultu Christi insigniti, 659
Nudis pedibus incedendi mos, 813
Nymannus, 963. 971

O.

OBscuritas qvorundam affectata, 421
Occam, 256

Olym-

Olympiadis, matris Alex. M. judicium, de pulchritudinis effectu, 373
Omnipotentia, 226
dupliciter accipitur, 225
Omnipotens unde dicatur, 228
Omnipotentia divina, fidei est scaturigo, 217 seq.
exponitur, 331
unde probetur, 228. seq.
ejus objectum, 217. seq. 238. seq.
Omnipræsentia, 330
Ontologia, 48
Optatus, 3
ὥρα; ὡραῖος, qvid, 402
Origenes, 3. 11. seq. 208. 224. seq. 249. seq. 255. 415. 423. 734. 758. 894. 889. 954
D. Andr. Osiander, 91. 98. 278
Jac. Ouzelius, 854
Ovidius, 377. 386. seq.

P.

PAcati Latini panegyricum Theodosio Aug. dictum, 381
Pænula, qvale fuerit vestimentum, 869. seq.
Pænula D. Pauli, 842
Alphonsus Palæotus, 628
Palingenesia plantarum; it. aliorum corpor. 918. seq.
Experimenta ejus inania esse, summatim ostenditur, 936. seq.
Pallium Christi, & Hebræorum, 855. 858. seq.

Pantænus, Clementis Alex. Magister, 3. 733
Παντεξουσία divina, 226
Pallium philosophicum, 859. 867. palliolum hodiernorum Judæorum, 863. seq.
Statius Papinius, 606
Theophr. Paracelsus, 928. seqq. 943
Ambr. Paræus, 963
Paronymica prædicatio ampliata, 295
Passio qvomodo de Deo dicatur, 221
Passionis Christi precium infinitum est, 303
Patrum Eccles. sacra & profana eruditio locupletissima, 3
Patres usum Philosophiæ commendant, 1. seq. ex ignorantia lingvæ Hebr. hallucinari, 7. 11. 12. In tractatione S. Scripturarum diversa seqvuntur instituta, 435. In Homileticis, & extra certamina liberius loqvuntur, 166. à Vavassore male obscuritatis insimulantur, 421
Patrum auctoritas, qvanta sit, & qvatenus pro principio Theologico adhiberi possint, 430
à Patrum multitudine & autoritate veritas Ecclesiæ non suspenditur, 414
Carolus Patinus, 645. 654
Paulus III. P. R. 282
Pauliani, hæret. 762
Peccatum qvid, 84. seq. ejus objectum, 83. seq. differentia ex objecto, 85
Peccata civilia, seu contra legem civilem, 86
Peccare in Deum; &, peccare in hominem, qvænam differentia, 86

Deus

Deus ad peccata permisfive tantum concurrit, 199
Peccati meritum, vel sub rigore legis, vel sub æqvitate Evangelii consider. 214
Peccati agnitio, non est medium impetrandi remissionem peccatorum, 170. Ejus subjectum, & causa effic. ibid.
Peccata sine pœna dimittere, qvare divinæ justitiæ non repugnet, 214
Peccatum expiari, nisi per divinam personam, non poterat; & qvare, 302. seq.
de Pelecano commentum, 950
Conr. Pelicanus, 696
Ben. Pererius, 386. 467. 576
Perfectio, 450. ad amorem allicit, 444. Perfectio creaturarum, 322. Perfectio cujuslibet rei, secundum se æstimatur, 239
Περιχώρησις intima, in duabus Christi naturis 296
Persona qvid, 334. Non res, sed subsistendi modus est, 293. 319. Essentiam non includit, sed eandem hypostatice terminat, 334. multiplicari potest, non multiplicata essentia, ibid.
Persona in Deitate, qvid, 314. Personarum in divinis pluralitas, qvomodo unum constituant, 321. Earum proprietas particulis διακριτικαῖς, in Script. exprimitur, 347. seq.
Perspicuitas, Doctoris virtus præcipua, 421
Pes Romanus; & aliarum gentium, 617
Petrus Corbariensis. 785

Dion. Petavius, 643
Petilianus Augusti antogonista, 88
D. Petri Basilica Vaticana, 614.626
Petronius, 609
Pharisæi & Scribæ singulare qvid, etiam in vestitu, præ vulgo affectabant, 865
Varini Phavorini Lexicon, 49
Philastrius, 207
Philo, 788
Philopæmenes, 383.725
Jo. Philoponus, 894
Philosophia ὀρθοποδῆσα, 5
Philosophia, & Philosophi, disting. 1
φιλοσοφόμισοι, 4.18
Philosophiæ abusus, non usus, culpatur. 22.24 seqq.
Philosophiæ Encomium, 17. Commendatur à D. Paulo, 1.3. ac patrum Eccl. exemplo, 3. qvi non ipsam Philosophiam, sed Philosophorum Sophismata rejiciunt, 1.2. Augustinus Philosophus divinus appelatur, 279
Philosophiæ necessitas, 5.22. Ejus usus late, adqve etiam occulta, sese extendit, 65. Superioribus Facultatibus inservit accidentaliter, non per se, 32. seq. Ea minime contaminatur Christiana religio, 67. seq.
Philosophia non est Scripturæ ac Mysteriorum divinorum interpres, 22. qvod simili illustratur, 23. tamen non repugnat Theologiæ 21. seqq. Sed ei ancillatur, & qvomodo, 25.27

Bene à Philosophis dicta in usum Christianum convertenda, 5
Philosophiam Socrates à rebus occultis & intricatis, ad vitæ usum traduxit, 75
Scientiæ Philosophicæ à Deo revelatæ sunt, 67
Philosophia respectu Theologiæ, est scientia generalior, 23
Philosophus voces ac phrases Latinis auribus graves, evitare neqvit: nimis tamen eas amare, ac numerum earum augere non debet, 20. seq.
Philolosophiæ abusus hæreticus, 5.13. mala applicatio, 67. seq.
Philosophine, an Philologi, ad hæresin proniores? 12. seq.
Philosophandi genus spinos. ac perversum, 77
Philosophiæ nimium tribuit Keckermann, 20
Philosophia S. Scripturæ interpres; monstrosus novi cujusd. Tenebrionis fœtus, 899. seq.
de Libertate philosophandi, pestilens, Anonymi cujusdam tractatus, 700. 891
Philostorgius, 633
Phocion, 795
Phocylidis versus, 898
Phœnix, avis, 949
Photius, 633
Photinus, 14
Physica, 48.51.seqq. 60.68
Physiognomica ars, 471
Picturarum & pictorum fides, 815
Pictoria ars apud Judæos non fuit in usu, 637

Pietatis studium ac vitæ sanctimonia, 125. 129. Secundum Calixtum, salutis conservandæ medium removens seu privativum est, 129. seq. Tale ab eo salutis medium vocatur, qvale in disciplina morali; fini suo assequendo reqviritur, 135
Pietas qvo sensu medium salutis dici possit, 143. qvomodo per eam conservetur gratia Dei, 161
Pileus libertatis signum, 877
Pileis an Judæi olim usi fuerint, 872
Plagium literarium non idem mox verborum sensus, neq; etiam eadem verba arguunt, 691
Plantarum Palingenesia Chymica, 919. seqq.
Platina, 166
Plato, 17. 248. 379. 530. 558. 560. 899. 951. seq. 954. seq. Ejus Reipubl. 492. Platonica ἀναβίωσις, 899
Plinius. 234. seq. 577. 603. 898. 876. 888. 952. seq. 957. 960. 965. seq. 971. 973. seqq.
Pluralis de uno Deo locutio in Script. 335
in Plurali nunqvam unus de se apud Hebræos loqvitur, 335
Pluralis pro singulari, & contra, usurpari solet, 834. seq. 837. seq. 841
Plutarchus, 236. 369. 383. 537. 585. 725. 781. 783. 795. 876. 951. 953. 955. 968. seq.
Pnevmatica, 39. 221
Pœnarum natura & indoles, 215. pœna duo complectitur. 187. pœnarum genera, 187. seq. pœna damni, & pœna sensus, 188
Pœnæ causa an sit judex, 195

Pœna inflictæ causa reus est; qvomodo; 201
Ejus causa physica, 202
Pœnam intendere Deum, sine respectu ad peccatum Calviniani dicunt, 195
Pœnarum causa, an & in qvamtum Deus sit, 187, seqq.
Deus non est causa pœnæ; qvomodo; 213. intuitu culpæ causatur pœnam; 213
An Deus sit autor culpæ, qvatenus pœna simul est; 211
Pœnitentia, 327
Amand. Polanus, 473
Angelus Politianus, 6
Politica disciplina. 60
Jul. Pollux, 49. 856
Pondus proprie ad qvantitatem pertinet, 512
Jov. Pontanus, 605
Summi Pontificis Romani auctoritas in determinandis controversiis, 431
Pontificii nonnunqvam conspirantem Patrum sententiam refutant, 414. 429. Patres, prout cum ipsis faciunt, vel extollunt, vel redarguunt, 439. eorum scriptores recentiores antiqvitatem parvi faciunt, 627. Ars ipsorum nova, 34. In specialiore determinatione dogmatis de essentia & Personis divinis, à nobis multis modis discedunt, 357
Pontificiam de Bonis Operibus sententiam qvidam nostrorum rejicientes, loqvendi tamen formulis fovent, 100

Porphyrius, 666
Possevinus, 627. ejus Appendix ad apparatum Sacrum; 602
Possibile qvid, 246. seq. duplici ratione dicitur, 240
Potentiæ divisio in activam, & passivam, 220 241
Potentiæ activæ definitio, 227. qvid sit secundum Aristot. ibid.
Posse aliqvando abstrahit, ab acta aliqvando non, 253
Potentia activa, vel libera, vel naturalis, 222
Posse ambulare, edere, bibere, &c. qvalem importent potentiam, 241. 245
Potentiæ divisio in ordinatam, & absolutam, 221
Potentia Physica; & potestas moralis dist. 226
Potentia naturalis in Prædicam. Qvalit. 45. seq.
Potentia qvælibet ex objecto suo æstimatur, 238. seq.
Potentia divina, 900. seqq. 912. non æstimanda est è potentia naturæ, 264. seqq.
Potentiam creaturarum Deus possidet eminenter, 242
Potentiæ divinæ infinitas, 233. qvo respectu dicatur infinita, 230
Potentiæ div. Scholastici qvidam terminos intellectu nostro circumscribunt, 263

Posse

Posse Deum plura qvam velit: it. Dei posse, velle ejus esse: qvo sensu PP. dixerint, 251. seqq.
Posse Deo possibilia facere; an rectè exprimat omnipotentiæ objectum? 243
Potentia Dei qvalis sit, & qvotuplex, 331. seq.
Potentia Dei libera div. in absolutam & ordinatam, 223. Qvæ bifariam dicuntur, 233. seqq. Alii commodius appellant ordinariam, & extraordin. 226. 230
Deum qvædam non posse, 225
Posse Deum falsum dicere, qvidam Pontific. ajunt, 249
An Deus possit velle mala, 224. seq.
Deum posse Deum facere; contradictio est, 231. 245
Præcipere in Script. interdum est, permittere, 195
Præscientia Dei rerum præscitarum libertatem non tollit, 323
Præsentia, diff. à subsistentia, 265
Praxeæ argumentatio, 254
Jo. Ulr. Pregizerus, 696
Principii distinctio in reale, & instrumentale, 53. seq.
Principia rationis, 19. 34. duplicis generis, 66. Vid. Ratio.
Principium, idem qvod argumentum, 59
Principium, commune, & proprium, 34. 36. seq. 60. 62
Principium commune determinatur in applicatione, ut fiat respectivum, 66

Principiorum applicatio, 19. 20
Principia inconvenienter applicata, monstra pariunt, 69
Principii distinctio in Scientiæ & conclusionis, 62
Principia Scripturæ; & rationis, 66
Principii Philosophici ratio, 340
Principium Theologiæ proprium, 58
Principia Theologica secundaria, 59
An Deus Pater recte dicatur Principium, respectu reliqvarum Personarum, 340
Pater & Filius, in resp. ad Spir. S. sunt unum Principium, 353. seq.
Principiatum Patris Deus Filius dicitur, 346
Privatio, 200. seqq. An ejus causa sit Deus; ibid. An in statu innocentiæ locum habuisset, 203
Privatio in pœnis, diverso respectu, & perfectionem, & imperfectionem dicit, 205
Proæresius Sophista, 617
Procopius, 446
Profanum non protinus est, qvod non è S. literis hauritur, 67
Proportio Geom. & Arithm. 512. seq.
Propositiones in Syllogismo, qvomodo se habeant ad conclusionem, 26
Propositio simplex, & compos. 46
Propositiones Theologicæ, 58. revelatæ, 34. seq. 55
Propositiones mixtæ seu mediæ, minus recte ita appellatæ. 35. seq.

Pro-

Propositiones ex unione naturarum in Christo salutantes, qvotuplices, & qvo referendæ sint. 295
Propriorum differentia, 266. qvomodo subjecto communicentur, 267. Eorum separatio, 266
Proverbia non secundum literam semper intelligenda, 827
Pulchritudinis vocabulum latius acceptum, 364. seq.
Pulchritudo qvid, 371. seqq. 480. 551. 662. 670
Pulchritudinis modus ac ratio in se definiri non potest, sed effectu, & hominum judiciis dijudicanda, 373. 375. 377
Pulchritudo oculis ac animo usurpata, ejusdem repræsentat naturam, 374
Suum cuiqve pulchrum, qvare dicatur, 363
Pulchritudo vel animi est, vel corporis, 361
Pulchritudo primario ac proprie de rebus corporeis & adspectabilibus concipitur, figurate de aliis qvoqve rebus dicitur, 362. seq. 365. seq. 395. 401
Pulchritudo virilis, ac muliebris, 739. Ejus differentia, 662. Pulchr. muliebr. 386. 542. seqq.
Pulchritudo corp. vel connata est, vel acqvisita, 369. seq.
Pulchritudo Corp. à Cic. descripta 363. qvale bonum, 760. In sese spectata, an & qvatenus certum modum ac judicium admittit? 376

Pulchritudo corp. cum animi Virtute conjuncta, 369. 396
Pulchritudinem qvid efficiat, 578. ejus origo cœleſtis, 382. eſt donum Dei, 454. Ejus vires atqve effectus, 363. 377. 670
Pulchra ſunt amabilia, 475. 772. ſeqq.
Pulchra qvomodo, & qvare, amentur, 776
Pulchritudo corporis, ſignum bonæ temperiei, 528
Pulchra facies pulchri ingenii judicium, 780
Pulchritudine præſtantium exempla, 383
Pulchritudinis gradus, ac differentia, 390
Pulchritudo corporis, cæterarum habilitatum condimentum, 681
Pulchritudinis proſtitutio gravioribus pœnis digna cenſetur, 379. 384
Animæ pulchritudo, 362. 366. 384
Pulchritudo hominis vera, 396
Pulchritudinis commendatio, 378. ſeq.
Chriſtus non eadem ſemper corporis pulchritudine eſſe potuit; qvare? 371
Bona Animæ eximia, pulchri corporis imagine, à Spiritu S. adumbrantur, 385
Pulchritudo an, & qva ratione, Deo primo competat, 364. ſeqq.
Pupilla oculi, qvid ſignet; 272
Puritas naturalis, 203
Pyrrhonii, 78
Pythagoræ metempſychoſis, 940. 952

Q.

QValitates primæ in elementis, 497. ſeq.

Qvalitas una alteram vehementia superat; 498
Qvalitatum corporis ex imagine div. derivatio, 467. 469. seq.
Jos. Qvercetanus, 924. 921. seq.
Qvinta corporum Essentia, 928. seqq.
Qvintilianus, 364 848
Jo. Qvistorpius, 90. 794

R.

RAbbinica literatura, 15
Rabbinorum authoritas Judeorum principium, 257
R. Moses, 964
R. D. Kimchi, 395
R. Sal. Jarchi, 277. 878. 957
R. Is. Abarbenel, 518. 698
R. Aben-Esra, 277. 878
R. Mose Alschech, 717. 721
R. Jacob Jehuda Leo, 849
C. T. Rango, 609
Ratio, munus Dei inæstimabile; 67
Ratio Reformatorum luxurians, 18. seqq.
Rationis hum. incredulitas, à Tertull. castigatur. 260
Aliud est, rectæ rationi adversarii; aliud eandem transcendere, 24
Rationis è Theologia ejectæ Lutheranos inculant Reformati, 18. cui ipsi nimium tribuunt, 19. sed ea sine ratione utuntur, 25. & eam pro norma seu principio in Theol. habent 20

Ratio-

Ratione ratiocinata differre, qvid, 319
Propositio rationis duplex, 66
Propositiones rationis in Theol. 54. seqq. 60
Propositio rat. conclusionem Theologicam antecedens, qvam indolem habeat ; 34. 37. qvo respectu dicatur universalis, seu generalis, 61. 62
Redemptionis opus, qvomodo Filio Dei approprietur, 348. qvare Deo Patri non possit appropriari, 343. 348
Hon. Reggius, 890
Regnum Dei triplex 331
De Religionis Christianæ Veritate, Scriptores, 899
Remonstrantes, 216
Remotio valvarum, qvalis causa illuminationis in conclavi? 116. 119. 151. 156
Renovatio interior in qvo consistat, secundum Bernhardum, 164
Reprobationis causa effic. optimè à D. Königio distincta, 210
Reprobationis & damnationis causa, an Deus dici possit; 210
Resistentiæ causa ac ratio, 229
Resurrectio carnis, an ex Ratione possit innotescere. 888. seqq. 260
Resurrectionis qvodnam fundamentum Patres, in disp. contra gentes, posuerint, 908
Resurrectionis possibilitas, an à ratione humana citra revelationem comprehendi possit; 899. rectæ rationi non adversatur, 975

In

In Resurrectione non qvamlibet carnis particulam restitui, necesse est, 913
Resurrectionis exempla, à gentilibus tradita, 951. seqq. 973. seqq. An gentiles eruditi iis fidem adhibuerint, 970. seq. 975. Exempla recentis seculi, 969. seq.
Revelatum dupliciter dicitur, 55
Revelationis finis, 56
Rex à legum vinculis liber, 84
Rhethorica, 46. 59
Rintelensis Academiæ Theologi, 120
Andr. Rivetus, 123. 275. 439. 517. 697
Robur corporis, unde; 555
Roma Subterranea, [liber] 609
Alb. Rubenius, 788. 790. 834. 857. 862
Ruffinus, 12. 633.
D. Dav. Rungius, 132. 185. 274
Chr. Adam Rupertus, 644

S,

SAcrificia N. T. 404
Sacrilegorum pœna, 92. 93. 95
Salis natura ac præstantia, ex mente Borelli, 932
Angelus Sala, 931
Cl. Salmasius, 608. 787. 817. 820. 858. 861. seq.
Salmeron, 282. 413
Salus, vel inchoata, vel consummata, 112
Samosateni, 314
Sanctitas, vel interna, vel externa, 325
Sanctitas Dei, norma honestatis, & actionum nostrarum, 85

Sanctificationis voce qvid designetur, 356
Sanctificationis opus, creatione & redemptione posterius est, 355. qvare Spiritui S. non à Deo Patri appropriari possit, 343. 355. seqq.
Σανδάλια, 801. 809. 817. seq. 820. seq.
B. Andreæ sandalium. 807
Sanum, vox analoga, qvot modis sumatur, 43. seq.
Sanitas corporis, ejusqve efficiens, 525. ad animæ actiones perfecte obeundas necessaria, 475
Jo. Saubertus, 849
J. C. Scaliger, 327. 233. 606
Jos. Scaliger, 273. 643. 646. 898
Scalpendi & signandi ars qvo tempore maxime floruerit, 652. seq. qvando ac decrementum inclinarit, 656. seq.
Jac. Scheggius, 17. 22. 47. 514. 895
Chr. Scheiblerus, 18. 25. 232. seq. 253
Schenkius, 962. 964. 967
Scheurlæus, 25
D. Seb. Schmidius, 89. 360
Scholasticorum laborum, qvis esse finis debeat, 75
Scholastici doctores, 11. seq. 340. 453. 464. seqq. 769. acutissimi Philosophi, 265. castigantur à Melch. Cano, 17
Scholastici termini usu recepti, tolerari possunt, 70
Scholasticorum Theologia, Pontificiis maxime expetita, 14

Scholastici qvidam modo intolerabili circa constituendos divinæ potentiæ terminos, peccarunt, 263
Scholasticorum fæces à Luthero expurgatæ, pessimo nunc fato denuo conqviruntur, 77
Andr. Schottus, 643
Scire, Scientia, 63
Sciendi desiderium inexplebile animis nostris inditum, & qvare, 67. seq.
Scire, secundum Aristot. qvid; 53
Scire aliqvid potest vel in gener. vel in spec. 64
Scientiarum differentiæ substantiarum triplicitati inædificatæ, 48
Scientiarum theoret. termini, seu fines, 40. seq.
Scientiam, seu disciplinam scientificam, qvid constituat, 53
Scortationis peccatum, 85
Scotus; Scotistæ, 421. 44
S. Scriptura, principium cognitionis divinæ, 315. qvale principium Theologiæ, 53. seq. οἰκεῖον ac proprium principium conclusionum Theologicarum, 58. Ejus contemptores, 6. 17
S. Scripturæ neglectus castigatur à Melch. Cano, 17. Ejus interpretatio unde petenda, 428. seq. 436
S. literarum expositio, qvatenus Patrum consensui innitatur, 430
A Scriptoribus θεοπνεύστοις ratio exigi non debet, cur hoc vel illud scripserint, aut omiserint, 752. seq.

S. Scripturæ traditiones non repetitionis frequentia, sed auctoritatis pondere æstimandæ, 398
Scythæ 530. 536
Secula numero eadem à Deo restitui, nihil repugnat, 262
Jo. Seldenus, 826
Nic. Selneccerus, 434. 696
Seneca, 236. 317. 470. 898. seq.
Dan. Sennertus, 488. 500. 511. 515. 959
Sensuum omnium eadem est ratio, 333
Sensuum & notitiæ verba, in Scriptura, affectum connotant, 175
Septuaginta Interpp. 11. Eorum allegata in N, T. 183
Servator, Salvator, 287
Servire, & ancillari, diversa significatione dicitur, 30. seq.
Alex. Severus imaginem Christi colit, 630
Sibyllæ, 753
Sigberti Chronicon, 166. 640
Simeon Metaphrastes, 623
Jac. Sirmondus, 647. 648. 660
Paul. Slevogtus, 189
Artic. Smalkald. 287
Val. Smalcius, 14
Socini; Sociniani, 14. 20. 21. 401. 406
Socrates, Hist. Eccl. 3. 13
Socratis Philos. dicta ac facta, 75. 368. seq. 379 390. Ejus Deus, 902
Solis natura & qvalitas, 507

Solares radii, causale medium producendi calori, 113
Solea D. Petri, Romæ asservata, 807
Ansh. Solerius, 626.628.872.seq.875.877.seq.
Solium Dei, qvid denotet, 272
Sophistica, 17
Sophocles, 236
σωφροσύνη, 85
Joh. Hier. Sopranes, 851.875
σωτὴς, 287
Sozomenus, 13.632
Jo. Sperlingius, 488.490.496.499.501
Species à Christo in V. T. apparente assumtæ, 349.seq. propriæ hypostasi reali unione appropriatæ fuerunt, 350
Speciei columbinæ, item linguarum ignearum appropriatio παραδατικὴ, à Spiritu S. facta, 356
Spiritus qvid, 318.352
Spiritus S. divinitas probatur, 350.seq.
Spiritum S. personam esse, qvomodo probetur è Scriptura, 59
Spiritus S. proprietas distinctiva interna, 352. seq. externa, 354. Personalitas, & realis à Patre & Filio differentia, 351.seq.
Spiritus S. à Patre & Filio procedit, 340.353.seq. dicitur Spiritus Filii, 353. Processio illa qvalis sit, & qvomodo à Generatione Filii differat, 353
Spiratio activa Deo Filio cum Patre communis, 346

Spiritus S. motus ac dona in credentibus, 451.
κοινωνία, ibid. Ejus veneratio externa, qvid innuat, 289
Theoph. Spizelius, 946
Dan. Stalius, 147. seq. 151. 153. 156. 226. 241. 243 256. 263. 284. 487
Statua Christo ab Hæmorrhousa posita, 612. 630. seq.
Statua iconica Clivensis, 822
Statura hominis justa, sec. Varronem, 603
Status integritatis describitur, 473
Adr. Stegerus, 375
H. Stephanus, 968
Stilico, 391
Stobæus, 386. 538
Stoica mundi exustio, 949. seq.
Stolas qvare Chr. in Phar. reprehenderit, 837
Strabo, 383
Studia Christianorum Scholarum qvalia esse debeant, 75
Suarez, 150. 808.
Petr. Suavis, 432
Suidas, 50. 855
Sub-& supralapsarii, 104. 214. seq.
Substantias Aristot. tres numerat, 39
Subsistentia, qvid differat à præsentia, 265. seq.
Subtilitates Theologicæ vanæ ac dispendiosæ, 76. seq.
Sudarium Christi, 628
Suetonius, 385. 387. seqq. 608. seqq. 671. 745. 843. 848. 877.

Sum-

Summum bonum civile, 474. seq.
Suppositum, qvid, 334. sumitur vel abstractive, vel concretive, ibid.
Fr. Sylburgius, 954
Sylvester Papa, 611. 614
Symbola externa, suppositа demonstrant, 336
Symbolum Apostol. 355. Athanas. 358
Synesius, 247. 876
Synthesis, qvale vestimentum, 842. 852
Syrus Interp. N. T. 869. seq.

T.

TAcens, consentire videtur, 212
Talmudicæ traditiones qvando conscriptæ, 850
Tatianus, 909
Fr. Taubmannus, 607
Temperamentum qvid, 488. seqq. 549. divi in innatum, & adscititium, 516
Temperamentorum inæqvalitas, 559. 562. seq.
Temperamenti inæqvalitas, mortis causa, 517
Temperamenti æqvalitas, an corporis sanitatem efficiat, 532
Temper. ad pondus, 491. seq. 500. 506
Temp. ad justitiam, an inclinet ad corruptionem, 514
Temp. pituitosum, an omnibus cæteris deterius sit; & an pulchritudinem efficiat, 566. seq.
Temperamentum optimum, an posit definiri, 564
Temperamenti bonitas, unde æstimetur, 564

Temperamenti conditionem qvænam seqvantur, 515
Temperamentum, ceterarum qvalitatum atqve potentiarum principium, 505. Naturæ Instrumentum, 524. 533. 550. 553. Ejus finis atqve officium 514. qvalitas ejusdem, pro ætatis diversitate, 546
Temperamentum homini perfectius, qvam cæteris mixtis debetur, 513. seqq.
Ejus imperfectio in homine, unde, 513
Mutatio ejus, 516
Temperamentum puerorum, 546
Temperamentum hominis primævi, 477. seq.
Temperantia, bonæ constitutionis in corpore conservatrix, 576. seq. 585
Templum V. T. Christi, etiam qvoad corpus, typus fuit, 573. 575
Tenebræ infernales; ac naturales, 422
Jac. Tenzelius, 189
Terminorum qvæsita novitas castitatem veritatis vitiat, 69
Terminorum novorum ac monstrosorum fabricatores, 70. seq.
Tertullianus, 13. 121. 208. 251. 254. seq. 206, 427. 812. 870. 892. 894. 907. 909. 914. 917. Ejus dictum de Philosophis, 1. ejus errores notantur, 722
Theocritus, 379
Theodoretus, 412. 435. 438. 185. 260
Theodorus Anagnostes, 600. seq.
Theodosius Imp. 381

Theodosiani, 13
Theognis, 236
Theologia, seu, Scientia Theologica, 63, Habitus à D. Paul. dicitur, 174. Habitus transcendens, juxta Wandalinum, 173. An speculativus, an practicus; 172. seqq. An proprie sit domina Metaphysicæ, 25. seqq.
Theologiæ finis, 172. Principium, 60. seq. Principia ἀκριβῶς, & παχυλῶς, dicta, 36
Ad propositionem presse Theologicam, qvid requiratur, 36
Qvæstiones Theol. qvotuplices; 35
Conclusiones vere & exacte Theologicæ, 58
Theologus philosophicas disciplinas contemnere aut rejicere non debet, 570. An ad sermonis elegantiam sit adstrictus, 70. 73
Theologia moralis, 125. qvomodo ab aliis habitibus practicis differat, 137
Theologia naturalis, 37. 41. revelata, 37
Theologia secularis, per contemptum dicta, 4. fucata, atqve curiosa, 78
Theologisandi mos inanis ac perversus, 77. Subtilitates & controversiæ novæ atqve ineptæ, 76. cum curiosis mechanicorum artificiis comparatæ, 79. seq.
Theophrastus, 379
Theophylactus, 185. 633. 790. 792. seq. 827. 870. 872
Theopompus, 898
Theoria & praxis, an dici possint conditio

ad vitam æternam conſeqvendam, 176
Θεοσεβεῖς Impp. ſe vocarunt, 640
Theſpeſius, revixiſſe traditur, 969. ſeq.
Thomas Aqvin. 194. 206. 590
Jac. Thomaſius, 650. 691. 949. ſeq. Sententia ejus de Metaphyſica, 38. ſeqq.
Thuanus, 587
Tibialia noſtratia, an apud veteres in uſu fuerint, 847. 850
Tironum apud Romanos dilectus, 618
Titus Imp. 388
Toga Rom. 855
Toletus. 808
Torrenſis, 282
Traditiones Eccleſiæ, 35
Trajanus Imp. 391
Transſubſtantiatio, 254
Imm. Tremellius, 82. 271. 873
Tridentinum Concil. 282
SS. Trinitatis Myſterium. an argumentis ex ratione probetur, 317. qvod Keckerm, vult, 20, Ejus credendi neceſsitas, 334. In Vet. Teſt. ad Salutem creditu neceſſarium, ac propterea ſufficienter revelatum fuit, 334
SS. Trinitatis opera ad intra; & ad extra, 338
Tunica Chriſti inconſultis, 852, 786. ſeqq. 832
Turnebus, 875
Jo. de Turrecremata, 627

U.

Ulyſſes, 537. 558

Unctio extrema Pontific. 398
Unum compositum, 319. 321
Unio Animæ & corporis in Homine, 910. seqq.
Unio in Divinis παραχωρισικὴ, & περιχωρισικὴ, 349
Unio Filii Dei cum forma Angeli, in V. T. cujusmodi fuerit, 292
Universalium consideratio, magis proprium Animæ officium, eamqve Deo propius conjungit, 68
Univoca, 45. Vel latius, vel strictius accipiuntur, 156
Urticarum palingenesia, 922. seqq.
Valentinus; Valentiniani. 730. 314.
Valerianus Imp. 652
Valer. Max. 953. 971
Henr. Vallesius, 624
Varro, 603
Nic. Vedelius, 37. 64. iniqve ac falso pro se allegat Doctores nostros, 19. Ejus Rationale Theologicum, 19. fœdus error circa Propositiones Syllogismi, 26
Vegetius, 618. 877
Venustum qvid, 364
Verbis alienis, tanqvam nostris, sententiam nostram exprimere possumus, 689
Verbum Div. cujus Theologiæ principium? 37
Verbum & Sacramenta, Fidei retinacula, 162
Veritas una & simplex est, non alia in Philosophia, alia in Theol. 21

Non

Non omnium opinionum veritas inter duo extrema versatur, 705
Veritas Sententiarum ; & connectionis. Distinctio D. Augustini, 37
S. Veronica, 626
Vesalius, Med. 963
Vestimenta apud Veteres, numero ad differentia, plurima, 836. 842. seq.
Vestes lineæ ap. Hebræos, 805
Vestimenta qvadrata, 859. seqq
Vestes festivæ, seu splendidæ, in Script. celebres, 794
Vestitus Christi, qvalis fuerit, 785. seqq. 869
An conformis cum vestitu Apostolorum, 816. seqq.
An Christus plures simul portaverit vestes, 796. seqq. An omnibus corporis vestimentis usus sit, 847. seqq.
Veteris Testam. dicta, è versione τῶν LXX. à Scriptoribus N. T. allegantur, 183
Via, & medium, diff. 163
Via qvid propriè sit, 166
Victimæ V. T. 571. 574
Victus simplicitas vitæ longævæ conducit, 577
Victorinus, 13
Vincentius Lerinensis, 13. 722
Vir; Hebr. qvemlibet in particulari notat, 179
Vir viro, Hebr. qvid: 83
P. Virgilius, 383. 605. 902
Virginem parere, citra omnem contradictionem dicitur, 257

Virtus, omnium actionum pulcherrima, 378.
qvomodo pulchra dicatur, 362. seqq. 366
Virtus per se laudabilis atqve amabilis, 367.
medium morale, ad summum hominis civilis finem, 114
Virtutes Christianæ, 125. 127. 136. Eas Calixtini, in Theologia morali, media ad conseqvend. finem constituunt, 125. 133. seqq.
Visibile, 332
Visus oculorum, an ad videndum Deum supernaturaliter elevari possit, 333
Vita æterna, qvalis merces, 168
Vitii moralis causa physica Deus non est, 194
Lud. Vives, 220. 229. 235. 625. 899. 951. 971
Gisb. Voëtius, 123. seq.
Voluntas Dei anteced. & conseq. 190. 96. seq.
An Deus Voluntate conseqvente velit mortem peccatoris, 190
Fl. Vopiscus, 828
Jacob. de Voragine, 640
Conr. Vorstius, 247. 258.
Gerh. Jo. Vossius, 14. 598. 601. 623. 650. 950
Vocum proprietas, ac sensus literalis, in interpretatione, non facile deserenda, 396. 400
Vultus & gestuum compositio, in sermone atq; actione, maximè efficax, 778. seqq.

W.

Christoph. Wagenseilius, 858
D. Tob. Wagnerus, 921
Walenburchii, 68
Brianus Walthonus, 88

D. Jo. Wandalinus, 5. 73. 173
Web. Anabapt. 890
Wendelinus, 123
Guil. Wittakerus, 641
Jo. Wowerius, 948

X.

XEnophon, 284. 876
Xerxes, ſpecie ac magnitudine corporis, omnes ſuperavit, 383
Xiphilinus, 368

Z.

ZAnchius, [Hier,] 129. 267
Joh. Zimiſces, Imp. 648. ſeqq.
Zizith in veſtibus Hebræorum, qvid fuerint, 855. ſeqq. 866
Zoroaſter, 953
H. Zwinglius, 20. 282. ſeq.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1142
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863220061/phys_1148
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863220061/phys_1149
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863220061/phys_1150
DFG

ERBORUM
ehementia ſuperat;
498
magine div. deriva-
467. 469. ſeq.
924. 921. ſeq.
a, 928. ſeqq.
364 848
90. 794
15
tas Judeorum princi-
257
964
395
277. 878. 957
518. 698
277. 878
717. 721
849
609
mabile; 67
urians, 18. ſeqq.
tas, à Tertull. caſti-
260
dverſarii; aliud ean-
24
jectæ Lutheranos in-
18. cui ipſi nimium
a ſine ratione utuntur,
rma ſeu principio in
20
Ratio-